


2nd ed (1st 1673)
much of American interest



JOANNIS ADAMI WEBER
Præpositi Högelwerthensis,

DISCURSUS
CURIOSI ET FRUCTUOSI.

DISCURSUS
CURIOSI ET FRUCTUOSI,

Ad præcipuas

Totius Litteraturæ Humanæ

Scientias illustrandas

Accommodati.

OPUS

Tam Lectu *jucundum, quàm* Fructu *fæcundum*;

IN QUO

De Macrocosmo & Microcosmo

sive

DE MAGNO ET PARVO MUNDO,

Sub Schemate universalis Litteraturæ,

Non minùs accuratè quàm succinctè differitur.

AUCTORE

JOANNE ADAMO WEBER, Canonico

Regul. S. August. Collegij Cellæ Novæ in Tyroli Professo, SS. Theol. Sacrorúmq; Canonum Doctore, Sac. Majest. Cæsar. Consiliario, Præposito Högelvvertensi.

EDITIO ALTERA.



16 90.

Impensis JOANNIS BAPTISTÆ MAYR, Typographi Aulico-Academici Salisburgensis.

Reverendissimo Prænobili
Amplissimo
DOMINO DOMINO
HIERONYMO,
DEI GRATIA
Insignis Ecclesiæ Collegiatæ
Canonicorum Regula-
rium
Ad S. DOROTHEAM
Viennæ Austriæ
PRÆPOSITO
dignissimo,
SAC. CÆS. MAJEST.
CONSILIARIO
Statuum Provincialium Inferioris
Austriæ
DEPUTATO
&c. &c.
Domino meo perquàm gratioso.

Reverendissime Prænobilis ac Amplissime

DOMINE DOMINE

PRÆSUL



AD S. DOROTHEAM, & Reverendissimum Celeberrimi illius Asceterij ANTISTITEM Discursus hi festinant, ad illum nimirum gratiarum sinũ, quem pridem, diúque non delibavit tantùm Operis hujus Author, sed

 plenis,

plenis, ut ajunt, buccis ruminavit, plurimúmque frequentiùs mihi deprædicavit jure planè meritissimo, animôque, ut apparebat, gratissimo. Recurrit nunc post Ejus mortem ad hunc ipsum fontem Opus Ejusdem alterâ Editione Curioso, ac Studioso Orbi ulteriùs promulgandum, ac propagandum Et quia mel ex ipsis DOROTHEÆ floribus suxisse videtur Apis nostra argumentosa, meritò gratiosissimum Auspicium, ac Patrocinium ibidem quærit *Typus* hic *Succedaneus*. Opus curiosum est, ac fructuosum. Et

quia

quia nunc de tempore eſt *le-
gere fructus* , liceat his *Au-
tumnales præguſtus* ſociare
Veri Dorotheano etiam in ri-
gidâ quantumvis hyeme de-
licioſâ florum varietate feli-
ci. Senſit aſperam prô do-
lor! non adeò pridem hye-
mem Vienna, Turcis, velut
niviũ floccis, ingruentibus;
at ſervavit ſuos DORO-
THEA flores dante incre-
mentum DEO , providâ
identidem directione Ri-
gante vigilantiſſimo horti il-
lius concluſi Cuſtode, TE,
inquam , REVEREN-
DISSIME , PRÆNO-
BILIS AC AMPLISSI-

ME D. PRÆSVL. Et quia ex cultiſſimo illo Viridario tunc etiam flores apparuerunt in terrâ noſtrâ, qui meos quoque typos viſere, ac gratioſiſſimâ pariter, atque gratiſſimâ præſentiâ beare dignati ſunt, Fiduciâ plenus hos ipſos Characteres ſub TVVM auſpicium remitto, *Patrone Ampliſſime*, atque unà tot vota in longævi, ac feliciſſimi Regiminis omen, ac votorum Tuorum apicem, quot apices præſens hic liber numerat.

Admitte, quæ veniunt ex corde bono & optimo, ac parce brevitati meæ; nam virtu-

virtutum Tuarum Elenchum texere, nec Modeſtia Tua permittit, nec chartæ hujus Anguſtiæ. Satis Vienna deprædicat, Auſtria ſuſpicit, ego verò Spartæ huic impar venerabundo ſilentio interim conticeſco.

Reverendiſſimæ Prænobilis & Ampliſſimæ Dominationis Tuæ

Salisburgi 28 Auguſti
in ipſo D. Auguſtini Feſto

Servus humillimus

JOANN. BAPT. MAYR,
Typographus Aulico-Academicus.

APPROBATIO


Reverendiſſimi Metropolitici Conſiſtorij Salisburgenſis, &c.

Libellum hunc, intitulatum, *Diſcurſus Curioſi & Fructuoſi, &c.* de mandato Reverendiſſimi Conſiſtorij diligenter revidi: Qui cùm Orthodoxæ fidei ac bonis moribus ſit per omnia conformis, etiam publicâ luce dignus, imprimi permittitur. Salisburgi, 17. Auguſti 1673.

JOANNES JULIUS DE MOLL,
Provincialis Auſtriacus, Celſiſſimi PRINCIPIS & Archiepiſcopi Salisburgenſis S. Sedis Apoſtolicæ Legati, &c. &c. Conſiliarius Conſiſtorialis & Colleg. B. M. V. ad Nives Canonicus.

SYLLA-





SYLLABUS DISCURSUUM,

Qui ex præcipuis humanæ Litteraturæ Scientijs formati, & præsenti Opusculo inserti sunt.

ISAGOGE

Sive


INTRODUCTIO

VIII. Ex

XXVII, Ex




XLIII. Ex





ISAGO-



ISAGOGE

SIVE

INTRODUCTIO

AD PRÆSENS OPUSCULUM,

In quâ breviter differitur de quatuor Scientiis Univerſalibus, HEXILOGIA, TECHNOLOGIA, ARCHELOGIA, DIDACTICA, quæ ad omnes alias ſcientias perfectè addiſcendas præliminariter requiruntur.

PRÆFATIUNCULA.



Ræliminares appello has quatuor Scientias, quia in anteceſſum addiſcendæ ſunt, ut iis animus diſcentis ad faciliorem reliquarum diſciplinarum intelligentiam præparetur. Quapropter non ineptè quis haſce quatuor ſcientias quaternas Rotas appellaverit, quibus innixus Litteraturæ univerſalis currus, ad metam conſummatæ Sapientiæ feliciter attingendam promovendus eſt. Porrò Hexilogia *nihil eſt aliud, quàm Doctrina præcognoſcenda de Habitibus Intelle-*

telle-

tellectualibus. Technologia *est doctrina præcognoscenda de habitudine ac serie disciplinarum, sive scientiarum.* Archelogia *est doctrina præcognoscenda de principiis omnium disciplinarum.* Didactica *est doctrina præcognoscenda de ratione studendi in disciplinis sive Scientiis.*



PARS

PARS PRIMA.

DE HEXILOGIA,

CAPUT I.

Doctrinæ Proœmiales.

PRIMA. Omnis doctrina est ex præcognitis. Præcognita autem alia sunt *Thematica*, alia *Problematica*, alia *Systematica*. Præcognita *Thematica* sunt, quæ in tractatione Thematis simplicis præmittuntur; ut si disserendum sit de Deo, necesse est, ut aliquid saltem sit præcognitum: Verb. grat. quid sit ens, bonum &c. Præcognita *Problematica* sunt, quæ in tractatione problematum, id est, quæstionum controversarum præmittuntur formationi argumentorum. Exempli gratia, si quæstio sit, An Philosophia & Theologia inter se pugnent; colligi debent præcognita quædam ex parte subjecti & prædicati. Præcognita *Systematica* sunt institutio præparans animum discentis ad faciliùs capessendam disciplinam, quæ traditur. Hæc aliàs appellantur Prolegomena, Prodidagmata, Protheoriæ, Prænotiones &c.

SECUNDA. Principia, quæ dirigunt discentem, vel sunt habitualia, vel notionalia. Illa sunt ipsi habitus, qui sunt principia actionum: hæc sunt axiomata, ex quibus oriuntur conclusiones. Priora explicantur in Hexilogia, posteriora in Archelogia, de qua infra. Dividuntur insuper Principia in Theoretica & Practica: quorum illa dirigunt cognitionem veri, ista actionem boni moralis.

TERTIA. Deus nihil est aliud, quàm increata Lux, & omnia ejus opera sunt plena Luce; & in tantum sunt

opera Dei, in quantum Luce sunt prædita. Porrò Lux illa, quam Pater Luminis, homini in prima creatione implantavit, appellatur Lumen naturæ, quod est radius quidam divinæ Lucis, fulgens in mente seu intellectu hominis, diciturque propriè *Intelligentia*, prout est in intellectu theoretico: *Lex naturæ*, prout est in practico. Atque hanc Naturæ Legem conservat synteresis, eique ancillatur Conscientia.

Quarta. Lex est norma faciendorum, dividiturque in scriptam & non scriptam. Lex scripta pertinet ad Jurisprudentiam, de qua suo loco. Lex non scripta est ipsa lex naturæ, quam Deus omnium hominum mentibus insculpsit, ad percipiendum discrimen honestorum & turpium. Aliter appellatur *Jus Naturæ*, quia est jussus quidam naturæ: item *Jus Divinum*, quòd habeat Deum authorem: *Jus* denique *Æternum*, quia non est lex scripta, sed nata; quam (ut ait Cicero) non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.

Quinta. Encyclopædia est methodica scientia rerum omnium in hac vita homini discendarum, sive omnium scibilium. Itaque Encyclopædia non immeritò appellari potest Pandectæ & Universitas disciplinarum, atque systema omnium systematum, quibus res homine dignæ methodo certâ explicantur.

CAPUT II.

De Natura & objectis Hexilogiæ generatim.

A*ssertio Prima.* Hexilogia derivatur à nomine Græco *Hexis*, quod significat habitum. Nam Hexilogia nihil est aliud, quàm scientia differens de habitibus: cujusmodi sunt sapientia, scientia, prudentia, Ars &c.

Asser-

Assertio Secunda. Objecta Hexilogiæ ſunt 1. Habitus. 2. Intelligentia. 3. Sapientia. 4. Scientia. 5. Ars. 6. Opinio. 7. Fides. 8. Prudentia. 9. Syntereſis. 10. Conſcientia.

CAPUT III.

De Hexilogiæ objectis in particulari.

ASſertio Prima. Habitus intellectuales (de quibus hîc præcipuè ſermo eſt) ſunt qualitates determinantes intellectum ad faciliùs percipiendum ſua objecta, quæ ſunt omnia intelligibilia.

Assertio Secunda. Cauſæ habituum intellectualium aliæ ſunt ſupra hominem, uti eſt gratia Dei: aliæ intra hominem, uti ſunt Natura, Doctrina & Exercitatio. Natura incipit, Ars dirigit, Exercitatio perficit. Natura facit habiles, Ars faciles, Exercitatio ſtabiles.

Assertio Tertia. Quidam habitum dividunt in tres Species: innatos, infuſos, acquiſitos; alii in duas: innatos & adventitios. Sed illa trichotomia in hac dichotomia continetur, ad eamque omnes habituum ſpecies revocari poſſunt.

Assertio Quarta. Amplè dividuntur habitus in tredecim ſpecies. *Primò* In veros & falſos. Illi diſponunt intellectum ad aſſentiendum veris principiis & concluſionibus: hi diſponunt intellectum ad aſſentiendum falſis principiis & concluſionibus. *Secundò* In rectos & pravos. Illi diſponunt intellectum ad benè: hi ad malè contemplandum verum & falſum. *Tertiò* In innatos & adventitios. Illi ſunt homini à Deo implantati: hi forinſecus accedunt. Unde illi infuſi, hi acquiſiti appellantur. *Quartò* In liberales & illiberales. Illi ad intellectualia, hi ad corporalia munia obeunda hominem reddunt idoneum. *Quintò* In ſimplices & mixtos. Illi determinant intellectum ad cognitionem uni-

unius, hi ad cognitionem varii objecti. *Sextò* In necessarios & contingentes. Illi disponunt intellectum ad cognitionem principiorum & conclusionum immutabilium: hi ad cognitionem principiorum & conclusionum mutabilium. *Septimò* In eos, qui sunt præsentis, & eos, qui sunt futuræ vitæ. Illi hominem ad munia vitæ animalis in statu naturæ, vel spiritualis in statu gratiæ: hi ad munia vitæ spiritualis in statu gloriæ reddunt idoneum. *Octavò* In practicos & speculativos. Illi ordinantur ex natura sua ad productionem sui objecti. Hi sistunt in contemplatione objecti, illudque non efficiunt. *Nonò* In totales & partiales. Illi versantur circa integrum Systema alicujus scientiæ ex variis habitibus partialibus conflatæ: illi occupantur circa partem scientiæ totalis. *Decimò* In ordinarios & extraordinarios. Illi disponunt intellectum secundùm ordinarium naturæ vel gratiæ cursum. Hi supra ordinarium cursum naturæ vel gratiæ ipsum elevant. *Undecimò* In perfectos & imperfectos. Hi aliquâ, illi omni ex parte intellectum disponunt. *Duodecimò* In noëticos & dianoëticos. Illi disponunt intellectum ad contemplationem non discursivam: hi ad discursivam. *Decimò Tertiò* In naturales & supernaturales. Hi vires naturæ excedunt, secus illi.

Assertio Quinta. Intelligentia est habitus contemplativus, inclinans hominem ad firmiter & evidenter assentiendum primis principiis theoreticis. Aliàs dici solet intellectus principiorum speculativorum.

Assertio Sexta. Quia habitus intelligentiæ producitur sine medio, sine discursu & sine arte, solummodò per naturale lumen intellectûs, ideò nomine *Intellectus* significatur, nomenclaturâ sanè augustissimâ.

Assertio Septima. Synteresis (vulgò Synderesis) est habitus practicus, quo homo redditur propensus ad firmiter

miter & evidenter assentiendum primis principiis practicis.

Assertio Octava. Sapientia propriissimè sumpta consistit in habitu versante circa prima, id est, generalissima principia, & illorum conclusiones.

Assertio Nona. Sapientiæ strictissimè sumptæ sex sunt attributa. 1. Omnia scire: non quidem singulatim, & minutatim, sed quantum ad primos sciendi fontes, id est, prima principia. 2. Scire difficilia. 3. Versari in accurata demonstrandi ratione. 4. Maximam habere ad docendum aptitudinem: non quidem quoad modum docendi (ita enim Logica maximam habet ad docendum aptitudinem) sed quoad principia cognitionis. 5. Esse maximè expetendam: cùm sit scientia rerum altissimarum & generalissimarum, scilicet primorum principiorum, quæ sunt cognitu dignissima. 6. Omnes alias scientias regere, præscribendo suum singulis objectum, & principia communia tradendo.

Assertio Decima. Scientia est habitus inclinans Intellectum ad assentiendum conclusionibus necessariis per proprias sive proximas causas, non autem per primas, quod proprium est Sapientiæ.

Assertio Undecima. Duæ sunt proprietates Scientiæ, evidentia & certitudo; per illam cognoscit Scientia suum objectum sine obscuritate, per hanc sine formidine & dubitatione.

Assertio Duodecima. Scientia alia est actualis, alia habitualis. Illa in assensu conclusionis scientificæ seu demonstrativæ, hæc in habitu ex prædicto assensu generato consistit.

Assertio Decima Tertia. Completa ratio scientiæ his tribus continetur: subjecto, proprietatibus & principiis. Nam primò requiritur subjectum scibile, de quo agat, & cujus proprietates demonstret Scientia. Dein-

de requiruntur ipsæ proprietates, cum subjecto necessariò connexæ & de eo demonstrabiles. Tertiò, cum nihil demonstretur per se ipsum, necesse est, ut dentur principia, eaque proxima, per quæ demonstrentur passiones de subjecto.

Assertio Decima Quarta. Prudentia est habitus practicus, respiciens bonum practicum, id est, honestum; quatenus illud ex principiis suis probatur. Quèmadmodum enim intelligentia in theoreticis est habitus noëticus, & scientia habitus dianoëticus: ita synteresis in practicis est habitus noëticus, & prudentia dianoëticus: ac proinde ex principiis practicis probat conclusiones practicas, quemadmodum scientia conclusiones theoreticas probat ex principiis theoreticis. Hoc tamen interest, quòd demonstratio propriè dicta non detur in prudentia, sed latè sumpta. Nam prudentia non versatur circa res necessarias, in quibus proprietas demonstranda sit de subjecto: sed circa res contingentes, id est tales, quæ pendent à nostra voluntate; in quibus hoc quæritur, ut à nobis fiant, non verò, ut à nobis sciantur. Cæterùm prudentia est in Ethicis habitus moralis; hoc loco est habitus intellectualis.

Assertio Decima Quinta. Ars est habitus cum recta ratione operativus, & ordinatur ad operationes non modò liberales, sed etiam illiberales & Mechanicas. Priori modo Logica v. gr. sortitur appellationem Artis: posteriori modo fabrilis, &c.

Assertio Decima Sexta. Quælibet Ars duas continet partes, docentem & utentem. Docens est, quæ tradit præcepta artis: utens est, quæ prædictis præceptis utitur.

Assertio Decima Septima. Scientiæ opponitur Opinio, ut perfectio imperfectum. Nam opinio est assensus pendulus, scientia assensus immobilis. Illa formidinem includit, hæc excludit.

Asser-

Assertio Decima Octava. Opinio alia est mediata, alia immediata. Mediata est, quæ nititur medio probabili: ut, *Luna pallet, ergo brevi pluet.* Immediata est, quæ assentitur objecto sine medio: ut, *Omnis mater diligit liberos suos. Noverca odit liberos mariti sui.*

Assertio Decima Nona. Duplex est formido Intellectûs, actualis & virtualis, sive radicalis. Actualis est, cùm actu timeo, ne objectum, cui assentior, sit falsum. Virtualis est, quando possum timere, ne objectum sit falsum. Actualis formido non est de essentia opinionis, secus Virtualis. Ita in Universa Philosophia sunt permultæ opiniones, communi ferme totius Scholæ consensu approbatæ, quas sequimur absque ulla formidine actuali. His tamen opinionibus intrinseca & essentialis est formido Virtualis; quia cùm nitantur motivo tantùm probabili & non certo, non repugnat iis subesse falsum.

Assertio Vigesima. Fides est habitus inclinans ad assentiendum authoritati sive testimonio; quod quando est divinum, dicitur fides divina: quando humanum, humana.

Assertio Vigesima Prima. Conscientia est habitus in Intellectu practico, accommodans proprium factum ad Regulam à Synteresi suppeditatam.

Assertio Vigesima Secunda. Cum Synteresi conjuncta est Conscientia, quæ est testimonium, quod unusquisque in seipso sentit de officio facto vel neglecto: unde sequitur defensio, vel accusatio, lætitia vel tristitia. Quod sic declaratur. Synteresis in syllogismo, qui dicitur practicus, ponit Regulam generalem in Majori propositione, Conscientia de speciali facto assumit in Minori, & concludit vel defensionem, vel accusationem: unde spes vel metus exoritur. Exempli gratia: Synteresis dictat, Quod mihi nolo fieri, ne faciam al-

teri. Conſcientia aſſumit, me nolle, ut alii me ſub ſpecie amicitiæ fallant. Hinc concludit, me vel alium malè facere, ſi fallam alium ſpecie amicitiæ. Sic hanc propoſitionem: *Qui hominem occidit, peccat*; ſuppeditat Synteresis. Conſcientia ſubſumit: *Atqui tu hominem occidiſti*: & ſimul concludit accuſationem, quâ te convincit peccaſſe, adeoque pœnâ afficiendum eſſe. Et ſic quidem accuſat. Si verò Synteresis promat hoc principium: *Qui honorat Patrem & Matrem, benedicitur à DEO*: Conſcientia pii filii ita ſubſumit: *Tu honoraſti Parentes*: & demum concludit: *Ergo benediceris à Domino.*

Aſſertio Vigeſima Tertia. Synteresis non fallitur, ſed conſcientia ſæpe, dum generalia principia non rectè applicantur ad ſingularia facta.

Aſſertio Vigeſima Quarta. Conſcientia non exorbitans eſt tribunal, quod erigit Deus in cordibus mortalium: Imo eſt Judex, Actor, Scriba & teſtis in uno foro.

CAPUT IV.

Corollaria, ad illuſtrandam doctrinam de Hexilogia hactenus traditam, accommodata.

PRimum. Natura tribus modis aliquid dictat: quædam dictat neceſſariò facienda: quædam neceſſariò fugienda: quædam in medio relinquit. Quæ natura dictat neceſſariò facienda, ea cùm fiunt, juſta ſunt ubique & apud omnes: idque naturâ, non opinione. Hujus generis ſunt omnium virtutum actiones propriæ, ex principiis naturæ demonſtratæ. Quæ natura neceſſariò cavenda judicat, ea cum fiunt, injuſta ſunt ubique & apud omnes, idque rurſus naturâ, non opinione. Hujuſmodi ſunt omnes actiones, quæ vel minimùm deflectunt

ctunt à Virtutum propriis actionibus. Quæ verò in medio relinquit Natura, ea ſunt libera, ita ut nec juſtus, nec injuſtus quis dicatur, ſive ea faciat, ſive omittat.

Secundum. Habitus mentis ordinarii in Regno Naturæ ſunt intelligentia, ſyntereſis, ſapientia &c. prout vulgò ſe habent in plerisque hominibus: in Regno gratiæ eſt fides: in Regno gloriæ eſt Lumen gloriæ. Habitus extraordinarii in Regno Naturæ ſunt Intelligentia, ſyntereſis, ſapientia &c. non in gradu vulgari, ſed excellenti & heroico: in Regno gratiæ ſunt dona quædam ſingularia, ut donum linguarum, donum Propheticum &c. In Regno gloriæ ſunt acceſſiones illæ, quibus alii præ aliis ornabuntur in futura vita, exempli gratia Prophetæ & Apoſtoli præ aliis fidelibus.

Tertium. Scientiæ opponitur ignorantia, quæ duplex eſt, videlicet illa, quæ eſt ſimplicis ſeu puræ negationis, & ea quæ eſt pravæ diſpoſitionis. Illa, eſt mera ſcientiæ privatio, qualis eſt in pueris & idiotis: aliàs vocatur ignorantia negativa. Hæc eſt falſa ſcientiæ perſuaſio, & dicitur ignorantia accerſita, quæ errori ſuo prætendit rationem. Prior illa opponitur ſcientiæ ut privatio, poſterior ut contrarium, cùm ſit aliquid poſitivum.

Quartum. Dubitatio eſt, cùm hæret mens noſtra ob contrariarum rationum æqualitatem; quia videlicet paria arbitramur eſſe rationum momenta. Unde dubitatio dicitur eſſe ſuſpenſio ſeu cohibitio aſſenſus propter æquilibrium contrariarum rationum. Quam ſuſpenſionem & cohibitionem Ariſtoteles comparat vinculo, dum ait: *Qui dubitat, vincto eſt ſimilis.*

Quintum. Suſpicio habet pro objecto aliquod factum, vel qualitatem perſonæ: unde differt à dubitatione, quæ pro objecto directo habet aliquam propoſitionem, non verò perſonam; cùm ſuſpicio reſpiciat dire-

directè factum vel qualitatem personæ, licet indirectè possit etiam respicere propositionem.

PARS SECUNDA.

DE TECHNOLOGIA.

CAPUT I.

Doctrinæ Præliminares.

PRima. Quælibet Scientia debet habere certum, proprium & adæquatum finem; quia nulla Scientia temerè & frustra fuit inventa. Unde dici solet: *DEUS, Natura & Ars nihil faciunt frustra.*

Secunda. Duplex est finis Artium, internus & externus. Ille semper obtinetur ab artifice: hic non semper. Sic finis internus Oratoriæ est tradere instrumenta persuasoria: externus, persuadere. Illum semper obtinet Orator, hunc non item.

Tertia. Ars est æmula & imitatrix naturæ, quæ imitatio in his consistit. 1. Quod utraque, tam Ars quàm Natura, nihil faciat frustra, sed omnia certâ ratione certique boni gratia. 2. Quod utraque semper per se loquendo faciat id, quod est optimum. 3. Quod neutra deficiat in iis, quæ sunt necessaria, nec redundet in iis, quæ non sunt necessaria. 4. Quod utraque faciat omnia cum certo ordine.

Quarta. Eadem res diverso modo considerata potest esse objectum diversarum scientiarum. Ita operationes mentis quatenus sunt definitiones, divisiones & argumentationes, pertinent ad Logicam: quatenus sunt actus vitales, spirituales &c. spectant ad Animasticam & Pnevmaticam. Similiter Ens ut ens, sive in genere sumptum, à Metaphysica: ut naturale, à Physica: ut sanabile, à Medicina: ut numerabile, ab Arithmethica

metica: ut menſurabile, à Geometria: ut honeſtum, ab Ethica: ut diſſertabile, à Logica: ut ad finem ſupernaturalis beatitudinis creatum, à Theologia conſideratur.

CAPUT II.

De Natura & Objectis Technologiæ generatim.

ASſertio *Prima.* Technologia eſt Scientia diſſerens de proprietatibus, ordine & numero ſcientiarum.

Aſſertio Secunda. Tria ſunt Technologiæ objecta principalia, ut patet ex definitione hujus ſcientiæ jam tradita: nimirum proprietates, ordo & numerus ſcientiarum.

Proprietates ſcientiarum ſunt in duplici claſſe: quarum aliæ in convenientia, aliæ in differentia ſcientiarum fundantur.

Ordo ſcientiarum eſt quadruplex: *Inventionis, Naturæ, Dignitatis, Doctrinæ.*

Numerus ſcientiarum in variis earundem ſpeciebus, per varias diviſiones cognoſcendis, conſiſtit.

CAPUT III.

De primo Technologiæ Objecto, hoc eſt, de proprietatibus Scientiarum.

P*Rima* cujuslibet Scientiæ proprietas eſt, tradere media ſufficientia ad finem illum, quem ſcientia intendit, conſequendum.

Secunda ſcientiæ proprietas eſt, ita conſiderare materiale, hoc eſt, rem illam, quæ dicitur objectum ſcientiæ, ut non aberret à formali, hoc eſt à debito modo obje-

objectum illud considerandi. Nam omnes scientiæ certum sibi vendicant modum de objectis suis differendi. Ita Physica differit de corpore speculativè, Medicina practicè: Physica illud considerat ut naturale, Medicina ut sanabile.

Tertia est Subordinatio seu Subalternatio, quâ inferior scientia dependet à superiori, vel ratione subjecti, vel ratione principiorum, vel ratione finis. Subalternatio ratione subjecti est, quando subjectum unius scientiæ pendet à subjecto alterius. Subalternatio ratione principiorum est, quando principia unius scientiæ dependent à principiis alterius. Exemplum utriusque subalternationis cernitur in Metaphysica, à cujus subjecto & principiis omnium aliarum scientiarum subjecta & principia dependent. Subalternatio ratione finis reperitur propriè in scientiis & disciplinis practicis: in quibus illa dicitur subalternata, ratione finis, cujus finis est sub fine subalternantis; ita scilicet, ut subalternans dirigat practicè subalternatam eique præcipiat, ut ad superiorem finem suas actiones dirigat. Hoc pacto scientiæ Politicæ subordinatur Oeconomica: quia illa respicit finem superiorem, & præcipit Oeconomicæ, ut in agendo ad finem superiorem sese accommodet.

Quarta est connexio & consensio, quæ à nonnullis vocatur vinculum sororium; de quo Cicero in limine Orationis pro Archia: *Omnes*, inquit, *Artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent commune quoddam vinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur.* Consistit autem hoc vinculum consensionis & cognationis in tribus. Primò in veritate seu indagatione veritatis, quam omnes scientiæ sibi propositam habent. Secundò in fine ultimo, qui est Dei gloria, & proximo, qui est sublevatio miseriæ humanæ. Tertiò in mutuo

auxilio,

auxilio, quod sibi præstant scientiæ, juxta receptum Philosophorum axioma: *Disciplinæ sunt conjunctæ in usu.*

Quinta est traditio idoneorum præceptorum. Ut autem præcepta scientiæ reputentur idonea, necesse est *Primò*, ut sint vera. *Secundò*, ut sint perspicua. *Tertiò*, ut sint facilia. *Quartò*, ut sint utilia. *Quintò*, ut sint sufficientia. *Sextò*, ut sint accommodata & proportionata ad finem à scientia intentum.

CAPUT IV.

De secundo Technologiæ Objecto, nimirum de Ordine Scientiarum.

ASsertio Prima. Ordo inventionis in scientiis est ferè fortuitus. Quia inventores scientiarum diverso tempore vixerunt, & occasionibus variis sese offerentibus varias invenerunt scientias. Itaque hunc ordinem oportet discere ex Chronologia, quæ proinde consulenda est. Hoc tamen certum est, scientias generaliores posteriori loco inventas esse: quia hæc est natura inventionis, ut ex singularibus colligantur generalia.

Assertio secunda. Ethica est prima inter disciplinas practicas, Politica verò est dignissima, si Ordo Naturæ attendatur in Ethica, & excellentia atque præstantia consideretur in Politica: ad quam cæteræ disciplinæ practicæ, ut Ethica, Oeconomica &c. tamquam ad finem referuntur, & per eam ad civilem usum accommodantur; sicut enim cæteras scientias theoreticè ordinat Metaphysica, ita practicè illas ordinat Politica. Quòd verò Ethica ordine Naturæ in latifundio scientiarum practicarum primatum obtineat, patet ex eo, quia ipsa tradit fundamenta reliquarum Prudentiarum,

rum, quæ inter ſcientias practicas ſunt primariæ conſiderationis. Agit enim Ethica de affectionibus animi, de Virtutibus earumque actionibus; item de ſummo bono & ultimo fine hominis: quibus rebus non ante cognitis atque perſpectis, reliquæ diſciplinæ practicæ, v. g. Oeconomica, Politica &c. progreſſionem facere non poſſunt.

Aſſertio Tertia. Metaphyſica eſt prima & nobiliſſima inter diſciplinas theoreticas. Prima quidem, quia generaliſſima. Nobiliſſima verò, quia immediatè imperat aliis diſciplinis theoreticis, conſtituendo illarum prima principia. Proximum dignitatis gradum obtinet Pnevmatica: utpote quæ tractat de Spiritu increato & creato: quæ tamen ſcientia, quatenus de Spiritu increato ſive de DEO tractat, nobilior eſt Metaphyſicâ. Pnevmaticam excipit Phyſica, quia poſt tractationem Spiritûs, proxima eſt tractatio corporis naturalis. Ultimo loco eſt Mathematica, quia tractat de quantitate, quæ eſt accidens: tractatio autem accidentis poſterior eſt tractatione ſubſtantiæ.

Aſſertio Quarta. Inter ſcientias Philologicas, Lexica & Grammatica primas tenent; quia utraque tractat de Vocibus. Neceſſe eſt autem, ut priùs voces ſciantur, quàm res proponantur. Poſt Lexicam & Grammaticam ſequitur Logica: quæ prior eſt quàm Rhetorica, quòd doctrina troporum, de quibus agit Rhetorica, omninò dependeat à Logicâ. Rhetorica tamen eatenus prior eſt Logicâ, quatenus eſt diſciplina ſermocinatrix, ſicut Lexica & Grammatica. Poſt Rhetoricam ſtatuo Oratoriam, quæ differt à Rhetorica; nam Rhetorica tantùm ſpectat ornatum orationis, Oratoria verò totum Eloquentiæ campum ſibi habet propoſitum. Poëtica ſequitur Oratoriam, quia oratio ligata poſterior

rior

rior eſt ſolutâ. Logica verò inter ſcientias Philologicas eſt nobiliſſima, quia eſt directrix Rationis.

Aſſertio Quinta. Metaphyſica eſt inter Scientias poſtrema ordine inventionis. Quia Metaphyſica eſt diſciplinarum generaliſſima : generaliſſima autem ſunt ultima ordine inventionis.

Aſſertio Sexta. Philoſophia practica eſt prior ordine inventionis quàm theoretica. Nam quia homo eſt animal politicum, & in Societate ab initio vixit, hinc impulſu naturæ conatus eſt primò mederi defectibus illis, qui accidunt in Societate; atque ita invenit Philoſophiam practicam, utpote defectuum illorum accommodatum remedium. Poſtea cum homo beneficio Philoſophiæ moralis commodè viveret in ſocietate, cœpit animum adjicere ad contemplationem operum Dei: unde orta eſt Phyſica & Aſtronomia. Et quia in Artibus Mechanicis multi fuêre defectus, Mathematicæ diſciplinæ ad defectus illos tollendos excogitatæ fuerunt. Cùm autem cernerent homines ſe minùs bene progredi poſſe in contemplatione rerum, neque ſenſa animi cum aliis communicare, inſtituerunt Logicam & artes ſermocinatrices.

Aſſertio Septima. Metaphyſica ordine doctrinæ exquiſitæ eſt prima omnium diſciplinarum: quia continet generaliſſimos terminos. Generalia autem ſunt notiora naturâ, quemadmodum ſingularia ſunt notiora nobis. Ordo autem accuratæ doctrinæ conſentaneus eſt ordini naturæ.

Aſſertio Octava. Ordine doctrinæ accuratæ ſeu exquiſitæ Phyſica eſt prior Mathematicâ. Nam entia Mathematica pendent in ſuo eſſe à rebus naturalibus, in quibus exiſtunt; unaquæque autem res per ea perfectè intelligitur, à quibus pendet in ſuo eſſe.

Aſſertio Nona. Quia Moralis Philoſophia multa de-

ſumit ex naturæ fontibus, & Phyſicæ Veritatis contemplatione, v.g. quid ſit anima, quid affectus &c. ideò Philoſophiam Moralem ſeu Practicam ordine accuratæ doctrinæ Philoſophiâ theoreticâ poſteriorem eſſe neceſſe eſt.

Aſſertio Decima. In ordine melioris doctrinæ eum locum obtinent diſciplinæ, quem requirit imbecillitas noſtra. Hinc Metaphyſica & Pnevmatica ordine melioris doctrinæ ſunt omnibus ſcientiis poſtponendæ. Nam quæ ſcientiæ res maximè abſtruſas & à ſenſibus remotas tradunt, eæ poſtremo loco propter noſtram imbecillitatem addiſcendæ ſunt. Ita verò ſe habent Metaphyſica & Pnevmatica.

Aſſertio Undecima. Philoſophia moralis ſeu practica ordine melioris doctrinæ ultimo loco diſcenda eſt. Maturiori quippe opus eſt judicio ad eorum intelligentiam, quibus componendi ſunt mores, regenda familia, inſtituenda Reſpublica, quàm ad capeſſendum eruditionem phyſicam & penitus theoreticam. Deinde in iis, quæ ad vitæ diſciplinam, & regendas, moderandaſque hominum voluntates pertinent, fallacior eſt & incertior, magiſque ardua experientia, quàm in theoreticis. Quò ſpectat illud Ariſtotelis 1. *Ethicor. cap.3.* Juvenem haudquaquam eſſe idoneum moralis diſciplinæ auditorem; quia nimirum in perturbationum juvenilium regno non poteſt eſſe firmum de rebus agendis judicium, dùmque reciprocante cupiditatum æſtu animus fluctuat, quo pacto vitiis imperandum ſit, non capit, ſed poſt adeptam quietem prudens fit.

CAPUT V.

De Numero ſcientiarum, ſeu diviſione illarum in varias ſpecies.

D*Ividitur* Scientia 1. in Archetypam & Ectypam. Illa

Illa est causa hujus; Hæc illius effectus. Potest autem eadem scientia esse Archetypa simul & Ectypa. Ita v. g. Logica in mente Aristotelis existens fuit Archetypa: Logica, quam chartis mandavit, fuit ectypa: sed eadem etiam dici potest archetypa, quatenus peperit Logicam ectypam in mente discipulorum.

Dividitur 2. in Architectonicam & Subditam. Illa imperat Huic: Hæc illi ancillatur; unde & ancillaris dici solet. Exercent autem disciplinæ Architectonicæ imperium in alias scientias, vel theoreticum, ut Metaphysica: vel Practicum, ut Logica, dum aliis scientiis tradit instrumenta, sicut Metaphysica principia sciendi.

Dividitur 3. In Subalternantem & subalternatam. Illa probat aliquid hujus: hæc ab illa sumit aliquid probatum.

Dividitur 4. in Acroamaticam & Exotericam. Illa est sublimioris indaginis: hæc vulgaris doctrinæ.

Dividitur 5. in docentem & utentem. Illa tradit præcepta: Hæc præceptis utitur.

Dividitur 6. in Naturalem & Supernaturalem. Illa discitur ab homine, ut est homo: hæc discitur ab homine, ut est Christianus.

Dividitur 7. in Totalem & Partialem. Illa complectitur integrum systema scientificum: ut Physica. Hæc est integri systematis pars: ut Anthropologia, sive Scientia de homine, respectu totius Physicæ.

Dividitur 8. in Homogeneam & heterogeneam. Homogenea est unius objecti, sive materiæ. Heterogenea est, quæ compilat sua præcepta ex variis disciplinis homogeneis: ut *Mnemonica, Historica, Chronologia, Architectonica, Gnomologia, Paradoxologia &c.*

Dividitur 9. in liberalem & illiberalem. Hæc hominem non reddit verè literatum & doctum: secus illa.

CAPUT VI.

Corollaria ad prædictorum illustrationem pertinentia.

PRimum. Quemadmodum tria sunt, quæ in quolibet artifice, ut aliquid efficiat, spectantur: *Natura, Doctrina, Usus*; quorum primum ingenio, secundum scientiâ, tertium fructu dijudicatur: sic triplex à Philosophis inveniri debuit disciplina : *naturalis*, propter naturã, *rationalis*, propter doctrinam, *moralis*, propter usum. Et quoniam homo procreatus est à Deo, ut per id, quod in ipso præcellit, pertingat ad id, quod in cunctis excellit: per hujusmodi tripartitam Philosophiam pertingit ad unum, verum, optimum Deum: sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus usus fructuosus est.

Secundum. Philosophia dici solet partus ignorantiæ; quia ignoratio parit admirationem, admiratio inquisitionem, inquisitio scientiam Philosophicam. Hinc philosophari nihil est aliud, quàm effectorum, quæ admiramur, causas, quas ignoramus, inquirere. Nam quemadmodum in motu est terminus *à quo*, medium *per quod*, & terminus *ad quem*: ita in Philosophiæ studio est ignoratio causarum, à qua per admirationem & discursum provehimur ad notitiam causarum, quæ est vera Philosophia.

Tertium. Logicam veteres dixerunt esse septum universæ Philosophiæ contra insultus protervorum Sophistarum. Physicam compararunt horto, in quo flores & arbores omnis generis visuntur. Ethicam assimilarunt cœlo, quòd hortum istum fœcundet. Dixerunt item, Philosophiam esse quoddam quasi animal, cujus ossibus similis sit Logica, carnibus Ethica, animæ Physica.

Existi-

Exiſtimarunt denique Philoſophiam eſſe veluti Urbem, in qua Logica vicem Murorum, Phyſica Civium, Ethica Legum ſubeat.

Quartum. Quædam Philoſophiæ partes interdum nomine Philoſophiæ non appellantur, ob quinque cauſas: vel quia de rebus facilioribus, aut minoris momenti tractant: vel quia non ſunt ipſâ veritatis cognitione contentæ: vel quia non videntur pertinere ad benè beatèque vivendum: vel quia non agunt de rebus per ſe ſubſiſtentibus: vel quia non tractant prima omninò principia rerum, de quibus agunt. Propter primã cauſam, ſæpè Mathematicæ diſciplinæ non numerantur in partibus Philoſophiæ. Propter ſecundã cauſam, nonnunquam ſolæ ſpeculativæ ſeu contemplativæ diſciplinæ nomẽ Philoſophiæ ſortiuntur. Propter tertiã, interdum ſolæ practicæ vocabulo* Philoſophiæ ſignificantur. Propter quartam, ſæpè ſolæ Phyſicæ ſcientiæ diſciplinis Philoſophicis accenſentur. Propter quintam, non rarò ſoli primæ Philoſophiæ ſeu Metaphyſicæ appellatio Philoſophiæ tribuitur.

PARS TERTIA

DE ARCHELOGIA.

CAPUT I.

Doctrinæ Procemiales.

P*Rima.* Finis ſcientiarum alius eſt per ſe, alius per accidens. Finis per ſe eſt, qui ſcientiis eſt quaſi internus, & ad quem illæ eſſentialiter referuntur. Finis per accidens eſt, ad quem ſcientiæ accidentaliter ordinantur: uti ſunt gloria, honor, opes, amici, &c.

Secunda. Causa remota scientiarum est partim sensus, partim recta ratio, seu lumen naturæ. Causa proxima est observatio sensuum & experientia: quæ posterior est plurium observationum collectio, & ad certum usum applicatio.

Tertia. Forma scientiarum consistit in earum unione & connexione quoad certa principia, objectum & finem.

Quarta. Principiis scientiarum quatuor insunt proprietates: *Veritas*, *Necessitas*, *Claritas*, *Facilitas.*

Quinta. Principia immediata sunt, quæ non habent aliud medium seu principium, per quod à priori demonstrentur: ut *Deus est.* Mediata sunt, quæ possunt demonstrari ex principiis superioris scientiæ. Sic principia Optica demonstrantur ex principiis Geometricis.

Sexta. Principia scientiarum alia sunt confessa, alia dubia. Illa suâ luce coruscant: hæc lucem habent, sed non ostendunt primâ fronte.

Septima. Principia generalissima sunt, quæ ita sunt principia, ut non sint conclusiones. v. g. *Impossibile est idem simul esse & non esse.* E contrario principia subalterna vocantur, quæ ita sunt principia, ut etiam sint conclusiones.

Octava. Principia illa, quæ verè & in se sunt principia, censentur dignissima: unde & *dignitates* vocantur. His opponuntur principia *ex conventione*, quæ disputandi vel docendi gratiâ supponuntur.

Nona. Tria continent scientiæ: *res*, *verba*, *conceptus.* Inter objecta intellectus *res* obtinent principatum. *Verba* sunt propter res. Notæ rerum & verborum in mente sunt *conceptus.*

Decima. Principium illud, *impossibile est idem simul esse & non esse*, est inter omnia principia scientiarum simpli-

ſimpliciter & abſolutè primum; quia eſt *certiſſimum, notiſſimum, evidentiſſimum.*

Undecima. Principium primum & ſummum dignitate eſt illud, *Deus eſt*, at primum & ſummum generalitate eſt hoc, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.*

CAPUT II.

De Principiis regulativis ſcientiarum in particulari.

Principia Grammaticæ.

1. NOmen & Verbum ſunt principales partes Orationis.

2. Terminationes in nominibus & verbis ſtudiosè ſunt obſervandæ.

3. Octo ſunt partes orationis: *Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Præpoſitio, Adverbium, Interjectio, Conjunctio.*

4. Ad Grammaticam pertinet habere rationem triplicis accentûs: *Acuti, Gravis, Circumflexi.* Acutus ſyllabam attollit, Gravis deprimit, Circumflexus partim elevat, partim deprimit.

5. Officium Grammaticæ eſt (inquit Tullius) & verba efferre, quæ nemo reprehendat, & iis caſibus, temporibus, genere, numero, ne quid perturbatum ac diſcrepans inſit, aut præpoſterum.

6. Hoſtes Grammaticæ ſunt I. *Solœciſmus*, qui eſt fœdatio Latini ſermonis: & qui hoc vitio laborant, Solœciſtæ vocantur. II. *Barbariſmus*, hoc eſt, dictio aut omninò barbara, aut latina quidem; ſed vitioſa ſcripto, pronuntiatione, ſignificatu; cujus rei cauſa non raro eſt *Idiotiſmus*, ut vocant, ſeu conſuetudo ſermonis vernaculi; quæ vitia uno vocabulo *Stribligo* vocantur. III. *Cacophaton*, ſeu deformis literarum concurſus,

cursus, ut *Rex Xerxes*; & alia complura. IV. *Tapinosis*, quando rei magnitudo aut dignitas humilitate verbi minuitur: ut *nequam* pro *parricida*. V. *Tautologia*, quando idem verbum, aut idem sermo, vel eædem literæ inepte iterantur, ut: *quidquam, quisquam, cuiquam, quod convenit, neget?* VI. *Macrologia* & *Pleonasmus*: quæ duo vitia fermè in idem recidunt, & consistunt in eo, quod utrumque supervacuis verbis oneret orationem, ut: *ego meis hisce oculis vidi*. VII. *Archaismus*, sive prisca constructio & obsoleta.

Principia Poëticæ.

1. OFficium Poëticæ est rem quamlibet oratione metricâ per fictionem idoneam, accommodatè ad delectationem exponere. Quòd si absit fictio, non tam erit Poëta, quàm Versificator.

2. Excellentia Carminis in ingeniosa potiùs inventione, quàm in metro consistit.

3. Pedes metrici (ut inquit Alstedius in Encyclopædia) sunt universim 124. sed non omnes sunt necessarii.

Principia Rhetoricæ.

1. POëta & Orator multa habent communia: conveniunt autem præcipuè in *Inventione, Dispositione, Elocutione, Memoria, Pronuntiatione*.

2. Quatuor sunt instrumenta Rhetoricæ principalia: *Tropus, Figura, Vox, Gestus*.

3. Numerus Oratorius magnam conciliat Orationi gratiam.

4. Pronuntiatio sequatur res, & gestus sequatur pronuntiationem.

5. Maxima vis Oratoris est in hominum mentibus permovendis, quod fit amplificatione.

Principia Logicæ.

1. OFficium Logicæ eſt dirigere alias ſcientias ad inveſtigationem veritatis, adminiculo trium inſtrumentorum ſciendi, videlicet *definitionis, diviſionis, argumentationis.*

2. Principalis & ultimus finis Logicæ eſt demonſtratio, quæ totam hujus ſcientiæ expetibilitatem adæquat.

3. Quæ affirmantur aut negantur de aliquo Univerſali univerſaliter, etiam affirmantur aut negantur de quolibet ſub illo Univerſali contento.

4. Quando duo per prædicationem affirmativam tribuuntur uni tertio, tunc poteſt etiam unum alteri per ſimilem prædicationem attribui. Quando autem duo diſtinguuntur in uno tertio, eò quòd unum illorum affirmetur de tertio, & alterum negetur; tunc illa duo pariter inter ſe diſtinguuntur, poteſtque unum negari de altero.

Principia Phyſicæ.

1. COrpus naturale quà naturale pertinet ad conſiderationem Phyſicam.

2. Omnis natura eſt principium motus & quietis.

3. Materia prima eſt primum ſubjectum ſubſtantiale, formarum ſubſtantialium receptivum.

4. Forma naturalis ſubſtantialis eſt prima radix proprietatum, qualitatum, & operationum naturalium.

5. Compoſitum reipſa non diſtinguitur à partibus unitis, ſive ſimul ſumptis.

6. Omnis cauſa eſt prior naturâ ſuo effectu.

7. Cauſa adæquata non poteſt eſſe ignobilior ſuo effectu.

8. Continuum eſt diviſibile in ſemper diviſibilia.

9. Animalia constant corporibus organicis, habentque apparatum partium heterogenearum, sive dissimilarium.

Principia Metaphysicæ.

1. Metaphysica est virtualiter tota Philosophia.
2. Omne ens est unum, verum, bonum.
3. Substantia & accidens exhauriunt totam Universitatem rerum.
4. Principium rei constitutivum est ejusdem distinctivum.
5. Ubi Metaphysica desinit, ibi aliæ Scientiæ incipiunt.

Principia Mathematicæ.

1. Omne totum est majus suâ parte.
2. Si ab æqualibus æqualia auferantur, quæ remanent, sunt æqualia.
3. Si inæqualibus æqualia addantur, tota sunt inæqualia.
4. Corpus habet longitudinem, latitudinem & profunditatem: superficies longitudinem & latitudinem: Linea longitudinem duntaxat: punctum nec longitudinem, nec latitudinem, nec profunditatem continet.
5. Lineæ parallelæ sunt, quæ ubique distant æqualiter, & ideò in eodem plano nusquam concurrunt.

Principia Arithmeticæ.

1. Unitas metitur quemlibet numerum.
2. Quoties numerus à numero subtrahi potest, toties in eodem est numerabilis.
3. Abacus Pythagoricus continet mera principia: qualia sunt *Bis duo sunt quatuor. Ter novena sunt viginti*

ginti ſeptem &c. Et hic Abacus eſt fundamentum totius Arithmeticæ.

4. Algorithmus, id eſt, quinque illæ notiſſimæ Arithmeticæ Species & Regula de Tri (quæ eſt fœcundiſſima multa regularum Mater) faciunt utramque paginam in Arithmeticis.

Principia Geometriæ.

1. Tres ſunt ſpecies quantitatis continuæ: longitudo, latitudo, & altitudo ſive profunditas.

2. Linea incipit à puncto, & deſinit in punctum.

3. Ex concurſu ſeu contactu linearum fit angulus: qui vel eſt *rectus*, ut quando linea recta rectam tangens æquales facit angulos, ſive cujus crura ſunt æqua ad perpendiculum; vel *obliquus*, cujus crura non ſunt ad perpendiculum erecta.

4. Circulus eſt figurarum omnium capaciſſima ac ſimpliciſſima; qui fit ex unica linea ambiente, quam vocant Græci Peripheriam (vulgò Circumferentiam) à cujus medio puncto ſeu centro ductæ lineæ, ſunt inter ſe æquales.

5. Diameter tertiam peripheriæ partem adæquat.

Principia Aſtronomiæ.

1. Stellæ fixæ hodie cognitæ ſunt 1725. Planetæ ſunt tantùm ſeptem.

2. Planetæ certis orbibus moventur, & nullus locum alterius ingredi poteſt.

3. Planetæ efficaciùs agunt in hæc inferiora, quàm ſtellæ fixæ.

4. Quæ pendent à libera hominum voluntate & arbitrio, ea non ſubjacent aſtris: de quibus vulgatum illud circumferri ſolet, *Aſtra inclinant, non neceſſitant.*

Princi-

Principia Geographiæ.

1. Cœleſtia ſunt menſuræ terreſtrium.

2. Aqua & Terra conſtituunt unum globum.

3. Terra eſt centrum mundi univerſale.

4. Uni gradui cœleſti reſpondent in terris milliaria Germanica quindecim.

5. Tota terra nondum eſt detecta.

Principia Opticæ.

1. Omne corpus radiat; radius autem perpendicularis eſt fortiſſimus.

2. Viſibile ſplendidum lædit viſum: & univerſim ſenſibile vehemens lædit ſenſorium.

3. Lumen congregatum eſt fortius diſperſo.

4. Inter viſibile & viſum legitima requiritur diſtantia.

5. Viſio recta fit per unum medium, refracta per duplex, reflexa autem fit in ſpeculis.

Principia Muſicæ.

1. Muſica eſt triplex: *Vocalis*, quæ modulatâ vocum varietate conſtat: *Inſtrumentalis*, quæ inſtrumentis arte ad id compoſitis perficitur: *Mixta*, quæ ex vocibus & inſtrumentis harmonicè contemperatis componitur.

2. Quatuor ſunt diſcrimina vocum muſicalium: *Diſcantus*, *Altus*, *Tenor*, *Baſſus.*

3. Intervalla Tonorum muſicalium præcipuè concordantia ſunt 1. *Ditonus*, ſive perfecta Tertia, facilè Princeps in Muſica. 2. *Diateſſaron*, vulgò Quarta, nimirum quatuor clavium diſtantia & comprehenſio. 3. *Diapente*, ſeu Quinta. 4. *Diapaſon*, ſive Octava, continens 8. claves & Tertiam, Quartam, Quintam includens harmonicè.

4. Quod eſt ori cibus ſine condimento, hoc eſt auri Muſica ſine ſuavitate.

5. Cantus mollis eſt delicatior, durus præ ſe fert maſculam gravitatem.

Principia Ethicæ.

1. Ethica quantum ad principia generalia, eſt inter ſcientias practicas, quod Metaphyſica inter theoreticas.

2. Decalogus eſt perfectiſſima Ethica.

3. Virtus conſiſtit in medio, vitium in extremis.

4. Cuilibet virtuti bina opponuntur vitia: *nimis parum*, & *nimis multum.*

5. Virtutes ſunt inter ſe connexæ, ſicut annuli in catena aurea.

6. Duæ ſunt virtutes dirigentes, Prudentia & juſtitia univerſalis.

7. Virtus verſatur circa ardua. *Quod pulchrum, idem difficile.*

8. In qualibet ſocietate quatuor iſta conſiderare oportet: *fundationem*, *conſervationem*, *amplificationem*, *curationem.*

Principia Oeconomica.

1. Felicitatem Oeconomicam oportet metiri potiùs qualitate, quàm quantitate.

2. Familiæ benè conſtitutæ ſunt baſes utriuſque Politiæ, tàm Civilis, quàm Eccleſiaſticæ.

3. In perfecta Familia requiritur triplex ſocietas: *conjugalis, patria, herilis.*

4. Acquiſitio rei familiaris quatuor nititur columnis: *ordine, diligentia, prudentia, charitate.*

5. Acquiſitio Georgica eſt omnium naturaliſſima & innocentiſſima.

6. Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

Prin-

Principia Politica.

1. Regere & regi ſunt actus naturales, ex jure gentium profecti.

2. Publica privatis anteferenda bonis.

3. Monarchia eſt optimus Reipublicæ ſtatus.

4. Jura Majeſtatis ſunt individua.

Principia Medicinæ.

1. Medicina tribus conſtat partibus. *Prima* morbos avertit; *altera* ſanitatem tuetur; *tertia* reficit valetudinarios; ſeu, quod idem eſt, *curat*, *præſervat*, *reſervat*.

2. Quatuor ſunt columnæ Medicinæ: *Phyſiologia, Diæta, Signa, Pharmaca.*

3. Peritus Medicus ſimilia curat ſimilibus, contraria contrariis.

Principia Jurisprudentiæ.

1. Tria ſunt Juris præcepta principalia: *Honeſtè vivere, neminem lædere, ſuum cuique tribuere.*

2. Tria ſunt objecta generaliſſima Jurisprudentiæ Civilis & Canonicæ: *Res, perſonæ, actiones.*

3. Poteſtas, obligatio, Poſſeſſio, Dominium, Actio, utramque faciunt paginam in utroque jure.

Principia Theologiæ.

1. Theologia duobus potiſſimùm libris utitur: *libro naturæ, & libro ſcripturæ.* Ille continet aſſerta *humanæ rationis*, iſte teſtimonia *divinæ revelationis.*

2. Theologia inveſtigat Ens Increatum per creatum: & reciprocè per Ens increatum, velut per ſpeculum reflexè cognoſcit meliùs Ens creatum.

3. Attributa divina illuſtrant univerſam Theologiam.

4. Actiones DEI in tempore ſunt ſpeculum operationum ab æterno.

5. Crea-

5. Creatio, redemptio, ſanctificatio ſunt præcipuæ actiones DEI in hac vita.

6. Triplex eſt regnum DEI: *potentiæ, gratiæ, gloriæ.*

CAPUT III.

Corollaria ad prædictorum illuſtrationem pertinentia.

PRimum. Actio honeſta refertur ad cultum divinum, quem ſpectat Theologus practicus, vel ad componendos mores, quod proprium eſt Philoſophi moralis, vel ad Politiam conſervandam, quod proprium eſt Politici, vel ad Oeconomiam prudenter inſtituendam, quod ſpectat paterfamilias.

Secundum. Inſtrumenta ſcientiarum alia ſunt naturalia, alia habitualia, alia perſonalia, alia realia. *Naturalia* ſunt ſenſus, obſervatio, experientia. *Habitualia* ſunt attentio, lectio, ſelectio, exercitatio. *Perſonalia* ſunt Magiſtri, muti & vocales, ſive libri & Profeſſores. *Realia* ſunt artes inſtrumentariæ; Item bona corporis & fortunæ, quatenus ſunt inſtrumenta virtutis intellectualis & moralis.

Tertium. Diverſæ ſcientiæ uniuntur inter ſe triplici vinculo planè ſororio. *Primum* vinculum eſt communium principiorum: dantur enim communes notitiæ, à quibus tanquam cardinibus dependent omnes ſcientiæ. *Secundum* eſt vinculum unius objecti, intellectûs nimirum & voluntatis: item veri & boni. *Tertium* eſt vinculum finis, qui eſt hominis perfectio. Propter hanc arctiſſimam connexionem fit, ut diſciplinæ ſive ſcientiæ ſibi mutuas operas tradant. Et hæc eſt illa Catena Homerica, in qua annulus annulum ita capit, ut ſi unum trahas, omnes continuò ſequantur: ſi unum demas, tota catena diſſolvatur.

Quart

Quartum. Inter principia ſcientiarum quædam vocantur principia eſſendi, quædam principia cognoſcendi. Ac principia quidem eſſendi poſſunt etiam eſſe principia cognoſcendi, ſed non contrà. Nam principium, cur res ſit, etiam eſt principium, cur res cognoſcatur: quia cognitio rei debet eſſe proportionata eſſentiæ. Sed principium, cur res cognoſcatur, non ſtatim eſt principium, cur res ſit: quia rei eſſentia non pendet à noſtra intelligentia.

Quintum. Principia cognoſcendi mole ſunt parva, virtute maxima. Sunt enim veluti ſemina, quibus ipſæ res inſunt virtualiter. Quemadmodum itaque ſemen minimum poteſt arboreſcere: ita principium minimum infinitarum concluſionum poteſt eſſe feraciſſimum. Magni ergo facienda principia ſciendi, neque quantitate ſed virtute æſtimanda ſunt.

Sextum. Inter principia ſcientiarum quædam ſunt, quæ primariò talia dicuntur; & hæc ex natura ſua, non autem ex conventione ſunt principia. Et hujusmodi principia oportet eſſe vera, quia ſunt regulæ veritatis; porrò quia verum vero non poteſt eſſe contrarium, ideo etiam hiſce principiis uti falſitas ſubeſſe nequit, ita contrarietas ineſſe non poteſt. Unde ulteriùs ſequitur, quod quidquid verum eſt in una facultate ſive Scientia, non poſſit eſſe falſum in altera. Graviter proinde hallucinantur, qui ſemper in ore habent illud: *Hoc verum eſt Philoſophicè, ſed falſum eſt Theologicè.*

PARS

PARS QUARTA.

DE DIDACTICA.

CAPUT UNICUM.

In quo methodus discendi sive scientias comparandi per breves aphorismos exponitur.

1. Scientia Didactica nihil est aliud, quàm Methodus discendi, quæ omnibus Studiosis æquè necessaria est, atque nautæ cynosura, architecto norma & circinus, viatori herma.

2. Præcepta dirigentia discentiam ex tribus fontibus petenda sunt: nimirum ex fine discentiæ, ex impedimentis & mediis discendi.

3. Scopus studiorum debet 1. esse accommodatus discentis temperamento, dispositioni & inclinationi naturali. Neque enim ex quovis ligno fit Mercurius, ut est in proverbio. 2. fixus & stabilis; quia si scopus variet, media non possunt ab illo accipere ordinem, vires, perfectionem & mensuram. 3. excellens, idque ratione rei & propositi. Ratione rei, ut res discenda sit præclara, laudabilis, utilis. Ratione propositi, ut ille qui discit, cupiat excellere vel in uno aliquo scientiæ genere, vel in pluribus.

4. Tria sunt discentium impedimenta generalia: *defectus judicii, ignavia, impietas.*

5. Inter omnia discentiæ principia principem locum obtinet Deus. Hinc Platonici scriptum reliquerunt, cognitionem nostram esse à Deo, sicut illuminatio est à sole.

6. Secundum principium discentiæ est præceptor vivâ voce docens. Quo principio ut rectè utamur, sex ista requiruntur. *Primò* eligendus est Præceptor doctus

 & fide-

& fidelis. *Secundò* electus charitate est complectendus. *Tertiò* assiduè est audiendus. *Quartò* sæpius interrogandus. *Quintò* dictis illius fides adhibenda est. *Sextò*, in his quæ laudabilia sunt, imitandus est.

7. Tertium discentiæ principium sunt libri, qui à discente ex consilio Præceptoris parandi sunt.

8. Sumptus, locus & tempus sunt adminicula discentiæ per accidens.

9. Inter principia discentiæ non infimum locum obtinet firma Corporis valetudo. Quia bona corporis constitutio plurimum facit ad integritatem facultatum animæ. Non tamen requiro valetudinem corporis in summo apice constitutam, quæ facit, ut homo appetat potiùs voluptates & delicias hujus mundi, quam Literas & Sapientiam; sed Valetudinem firmam, quæ necessaria est ad obeunda munia vitæ literariæ.

10. Manum inter principia discentiæ referendam esse, non obscurè indicavit Anaxagoras, qui solitus erat dicere, *manum esse causam sapientiæ.* In quam sententiam Cardanus ita scribit *in lib. de subtilitate:* Tribus armavit hominem Natura præsidiis: ingenio, ad inventionem necessariorum: sermone, ad auxilium: manibus, ad perfectionem omnium eorum, quæ vel ingenio excogitasset, vel sermone ab aliis didicisset. Et Scaliger *Exercit.*356. ait, Rationem esse manum Intellectûs: Rationis, orationem: orationis, manum.

11. Ordo est anima studiorum; cujus proinde magna ratio habenda est. Id autem quàm rectissimè fiet, si observemus quadruplicem varietatem, seu multiplicitatem, ex qua solet oriri confusio in studiis. *Prima* est in causis finalibus, quæ sunt multifariæ. *Secunda* in rebus discendis, quæ sunt innumerabiles & propè infinitæ. *Tertia* in mediis, sive principiis discendi, quæ & ipsa sunt varia. *Quarta* est in circumstantiis loci & temporis.

ris. Oportet itaque ordinem certum in iſtis quatuor obſervare.

Ac primùm quidem ordo in cauſis finalibus ſtudiorum rectè adhibetur, ſi maturè cogitemus de vitæ genere, tanquam fine ultimo, ad quem ſtudia noſtra dirigere volumus. Et in fine illo excellere conemur, mediaque ad illum obtinendum accommodata uſurpem⁹.

Ordo in rebus diſcendis adhibendus eſt, alius totalis & univerſalis, alius partialis & particularis. Ordo totalis rectè adhibetur, ſi non eodem tempore plura tractemus, ſed uni ſtudio principali, principaliter incumbamus. Ordo partialis rectè adhibetur, ſi ſcientiam per partes, initio facto à facilioribus, addiſcamus.

Media diſcendi certo ordine adhibentur, ſi media apprehendendi præmittantur mediis conſervandi, & in curſu ſtudiorum initium fiat ab acroaſi ſeu auditione, & cum hac conjungatur lectio, utraque verò condiatur & firmetur collatione, meditatione, repetitione & ſcriptione: quæ ſunt veluti quatuor columnæ ſuſtentantes auditionem & lectionem.

Ordo in ſtudiis rectè adhibetur ratione circumſtantiarum, ſi locorum delectus habeatur, & ſimul obſervetur, quando & quam diu ſtudiis ſit vacandum. Ad hoc poſtremum quod attinet, variorum varia eſt conſuetudo. Gaſpar Contarenus, poſt ſummariam eorum, quæ præcedenti die didicerat, repetitionem, tres horas matutino tempore ſtudiis impendit: pomeridianum verò tempus confabulationibus cum amicis & aliis recreationibus tribuit. Jacobus Cujacius horas omnes matutinas, antelucanas etiam, ſtudio tribuit, pomeridianas verò recreationi. Nonnemo Principi cuidam hanc temporis diſtributionem præſcripſit. Cùm dies civilis, inquit, in 24. horas diſtribuatur, octo ex illis tribuantur ſomno, totidem cibo capiendo, exercendo

corpori, & aliis recreationibus indulgeantur; Reliquæ octo studiis impendantur.

DISCURSUS CURIOSI ET FRUCTUOSI,

Ad præcipuas totius Litteraturæ humanæ Scientias illustrandas accommodati.

DISCURSUS PRIMUS.

EX COSMOLOGIA.

PRÆFATIUNCULA.

Cosmologia est Scientia differens de iis, quæ pertinent ad constitutionem mundi corporei. Ejus objecta principalia sunt 1. *Duplex mundi regio, cœlestis & terrestris.* 2. *Quatuor mundi cardines: Oriens, Occidens, Meridies, Septentrio.* 3. *Circuli Cosmographici, videlicet Æquator, Zodiacus, Meridianus, Horizon, Coluri, Tropici, Polares &c.*

SECTIO PRIMA.

De Creatione Mundi corporei variæ moventur Quæstiones.

QUÆSTIO PRIMA.

An Deus totum Mundum corporeum simul, vel successivè produxerit?

SEnsus hujus Quæstionis est, an Deus in creando hoc mundo sit usus spatio sex dierum, vel potiùs uno die aut momento produxerit omnia, quæ in Genesi

nesi seu primo Libro Moysis leguntur sex diebus producta esse?

Hoc posterius multi affirmant, præsertim Philo Judæus *Libro de allegoriis Legis Mosaicæ*, ubi scribit in hæc verba: *Rusticanæ simplicitatis est, putare sex diebus mundum esse conditum.* Item Procopius, Gazæus, & Cajetanus *in caput* 1. *Genes.* imò etiam D. Augustinus *lib.* 4. *de Genesi ad Litteram cap.*22. *& sequent.* Item *lib.*11. *de Civit. Dei cap.* 9.

Quòd si dicas, hanc sententiam repugnare sacro Textui, asserenti mundum sex diebus conditum esse; respondet Procopius, Sacrum Textum docendi gratiâ ita locutum esse, ut nos rem totam meliùs & distinctiùs perciperemus.

D. Augustinus aliter rem explicat. Putat enim Nomine diei hoc loco intelligi cognitionem Angelicam, ita ut sex illi dies non sint aliud, quàm sex cognitiones Angelicæ, quibus Angeli cognoverunt res illas, quæ dicuntur sex diebus esse productæ. Unde secundùm S. Augustinum primus dies nihil est aliud, quàm cognitio illa, quâ Angeli cognoverunt ea omnia, quæ primo die narrantur esse facta. Similiter secundus dies non est aliud, quàm cognitio illa, quâ cognoverunt ea, quæ secundo die narrantur esse facta, & sic deinceps. Porrò sicut in unoquoque die datur tempus matutinum & vespertinum: ita cognitio, qua Angelus unamquamque rem cognoscit, aut est matutina (inquit Augustinus) aut vespertina. Matutina est, qua cognoscit rem in Verbo divino; Vespertina, qua cognoscit illam in proprio genere.

Altera sententia, quæ inter Patres & Scholasticos est communis, & à Magistro sententiarum *in* 2. *dist.*12. vocatur magis approbata ab Ecclesia, docet hunc mundum successivè conditum, ac formatum esse spatio sex dierum.

Probatur primò. Quia Moyses scripsit Genesim historicè: ergo propriè, & non metaphoricè intelligendus est, dum in Genesi ait mundum sex dierum spatio conditum esse; alioqui nihil certi haberemus.

Probatur secundò. Quia Scriptura dicit fuisse aliquando tenebras super faciem abyssi: ergo aliquando non fuit lux: ergo non omnia sunt simul facta in uno eodemque instanti seu momento. Dicit item, terram fuisse aliquando inanem & vacuam: ergo aliquando non habuit plantas & animalia, ergo plantæ & animalia non sunt simul producta cum terra.

Probatur tertiò. Quia *Exod.* 20. *cap.* præcipit Deus sanctificari diem Sabbati, & adfert hanc rationem, quòd sicut Deus creavit hunc mundum sex diebus, & septimo die requievit, ita etiam Judæos oporteat sex diebus laborare, & septimo die quiescere. Hæc autem ratio non valeret, si Deus creasset omnia unico momento, & non successivè per sex dies.

In contrarium objici potest illud Ecclesiastici 18. cap. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul:* ergo non creavit successivè per sex dies naturales.

Responderi potest 1. Deum creasse omnia simul, non quidem in eodem instanti seu momento, sed in eodem tempore, nimirum in tempore sex dierum continuato & non interrupto. Nam quæcunque hoc tempore facta sunt, simul facta esse dicuntur. Hoc sensu *Marc.* 10. dicitur, Deum ab initio creaturæ fecisse masculum & fœminam. Et *Joannis* 8. dicitur Diabolum ab initio fuisse homicidam; cùm tamen prædicta duo non contigerint ante diem sextum.

Responderi potest 2. Particulam *simul* non significare ibi tempus, sed collectionem, ut sensus sit Deum creasse omnia simul, id est, creasse omnia quæ creata sunt, & nihil esse creatum nisi à Deo. Atque in hoc sen-

su

ſu ſæpe ſumitur particula *ſimul* in Scripturis, ut Pſalmo 13. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum* &c. & Pſalmo 48. *Simul inſipiens & ſtultus peribunt.*

Objicitur præterea illud Jobi 40. *Ecce Behemoth, quem feci tecum.* Ubi per Behemoth intelligitur Diabolus. Itaque Diabolus & homo ſunt ſimul creati: ſed Diabolus dicitur creatus in primo inſtanti cum cœlo Empyreo, & homo dicitur creatus ſexto die: ergo illa diſtinctio dierum non eſt propriè intelligenda, ſed figuratè.

Reſpondeo, in ſententia eorum, qui per Behemoth intelligunt Diabolum, hunc eſſe ſenſum verborum illorum: *Ego & te & Diabolum feci: ambo eſtis opera mea.* Ex quo non ſequitur Diabolum & hominem ſimul, hoc eſt, eodem die, creatos eſſe. Alii per Behemoth intelligunt Elephantem, ita ut ſenſus ſit: Ego & te & Elephantem feci eodem die. Nam homo, & omnes beſtiæ ſexto die productæ ſunt.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quid produxerit Deus primo die?

Reſpondeo, Deum primo die in primo inſtanti Creationis produxiſſe cœlum, terram & aquam. Patet hoc ex narratione Moyſis, qui ait, Deum in principio creaſſe cœlum, terram & abyſſum; per abyſſum autem intelligitur aqua. Nam abyſſus, ut definit Boëthius, eſt copioſa aqua, ad cujus fundum non facilè perveniri poteſt. Nomine cœli hoc loco intelligitur ſolum Cœlum empyreum, non autem alii cœli, ut ſentiunt Beda, Alcuinus, Rabanus, & alii. Idque conſtat ex narratione Moyſis; qui dicit Deum ſecundo die feciſſe firmamentum, & quarto die poſuiſſe; in firmamento Solem, Lunam & ſtellas: ergo ante ſecundum & quartum diem non erat firmamentum, nec ulla aſtra: ergo in pri-

mo instanti Creationis non erat aliud cœlum, quàm empyreum.

Postquam Deus in primo instanti creasset Cœlum, terram & aquam, voluit ea paulatim ornare. Itaque post primum illud instans seu momentum temporis (eodem tamen die, hoc est, primo) produxit lucem: secundo die fecit firmamentum in medio aquarum: tertio discooperuit terram, congregando aquas in unum locum, & produxit plantas: quarto produxit solem, lunam & stellas: quinto pisces & aves: sexto animalia terrestria & homines; de quibus singulis sigillatim agetur suo loco.

QUÆSTIO TERTIA.

An Lux illa, quam Deus produxit primo die mundi, fuerit spiritualis?

Respondeo contra Rupertum, Lucem illam non fuisse spiritualem, sed corporalem & sensibilem.

Probatur primò. Quia opinio ista est magis conformis sacræ Scripturæ. Nam Scriptura dicit, ante creationem illius Lucis fuisse tenebras super faciem abyssi: sed illæ tenebræ non fuerunt spirituales, quia erant sensibiles: ergo etiam lux, quâ expulsæ sunt tenebræ debuit esse sensibilis, adeoque non spiritualis.

Probatur secundò. Per illam lucem distinguebantur tres primi dies, qui solis & astrorum productionem præcesserunt: illi autem tres dies fuerunt sensibiles, non minùs, quam lux solis & astrorum.

QUÆSTIO QUARTA.

An lux illa, quam Deus primo die mundi produxit, fuerit lux solis, vel aliquod aliud corpus lucidum?

Respondeo primò, Lucem illam non fuisse lucem solis.

lis. Quia ſol fuit productus quarto die, ut teſtatur Moyſes in Geneſi; ergo lux illa, de qua agimus, non potuit eſſe lux ſolis; hæc enim quarto die cum ſole producta fuit: Lux verò, de qua hic ſermo eſt, non quarto, ſed primo die producta fuit.

Reſpondeo ſecundò, Probabile eſſe, quòd lux illa primo die producta nihil aliud fuerit, quàm corpus quoddam lucidum, à DEO ex aqua præexiſtente productum. Nam ſicut Deus tempore Moyſis produxit columnam igneam, quæ filiis Iſrael de nocte per deſertum prælucebat; ita probabile eſt, eum primo die mundi produxiſſe corpus quoddam lucidum, quod mundum illuminaret. Ita ſentiunt Beda, Hugo Victorinus, Magiſter ſententiarum, Bonaventura & alii complures. Et ſicut columna ignis ab Angelo per deſertum ferebatur, ita dici poteſt, corpus illud lucidum operâ Angeli ab Oriente in Occidentem, & ab uno hemiſphærio in aliud motum fuiſſe: idque per tres dies, donec tandem ſol quarto die produceretur.

Quòd ſi quæras, quid quarto die factum fuerit de illo corpore luminoſo, quando ſol producebatur?

Reſpondent aliqui, id redactum fuiſſe in nihilum, tanquam deinceps ſupervacaneum: alii, reſolutum in aquam, alii ſolem ex eo formatum eſſe arbitrantur.

Probabilius tamen cenſeo, Deum primo die non produxiſſe corpus lucidum, à quo lux diffunderetur, ſed potiùs produxiſſe ipſam lucem immediatè, eamque diffudiſſe à certa parte ſpatii per integrum hemiſphærium, eo modo, quo nunc à ſole diffunditur; ita ut cæperit ſucceſſivè diſcurrere ab Oriente in Occidentem, & ſpatio 24. horarum ſuum curſum perfecerit, ſicut nunc ſol facit. Ita ſentiunt D. Baſilius, Theodoretus, & aliqui moderni auctores.

Atque hæc ſententia eſt magis conformis ſacræ Scri-

pturæ; hac enim teſtante Deus primo die dixit, *Fiat Lux:* at quarto die dixit, *Fiant Luminaria:* ergo ſignum eſt, quod Deus primo die produxerit lucem immediatè, quarto autem die produxerit luminare, ſeu corpus luminoſum, à quo lux effectivè diffunderetur. Unde primo die dicitur Deus diviſiſſe lucem à tenebris, at quarto die dicuntur ipſa luminaria diviſiſſe lucem à tenebris.

QUÆSTIO QUINTA.

Quid produxerit DEUS ſecundo die?

Reſpondeo, Deum ſecundo die mundi produxiſſe firmamentum in medio aquarum. Sic enim ſcribit Moyſes: *Dixitq́ Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diviſitque aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his, quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita, vocavitque Deus firmamentum cœlum, & factum eſt veſpere & mane dies ſecundus.*

Dubitatur autem, quid hîc intelligatur nomine firmamenti?

Reſpondeo, intelligi aggregatum ex aëre, igne & omnibus cœlis mobilibus.

Probatur primò. Quia in primo inſtanti creationis nihil aliud productum fuit, quàm Cœlum Empyreum, terra & aqua, ut ſupra ex libro Geneſis probatum eſt: ergo reliqui cœli, & reliqua elementa debent eſſe producta ſecundo die, debentque intelligi nomine firmamenti, cùm ad nullum alium diem revocari poſſint.

Probatur ſecundò. Quia quæ Moyſes dicit de firmamento, optimè conveniunt prædicto aggregato. Nam hoc aggregatum eſt, quod dividit aquas ab aquis: hoc aggregatum eſt, quod cœlum appellatur, non ſolùm quoad orbes planetarum, & octavam ſphæram, ſed etiam

tiam quoad aërem, juxta illud Pſalm. 8. *Volucres cœli, & piſces maris.* Et Geneſis 7. *Cataractæ cœli apertæ ſunt, & facta eſt pluvia ſuper terram.*

Porrò hæc omnia, quæ nomine firmamenti intelliguntur, facta ſunt ex aqua, quæ priùs implebat totum ſpatium à terra uſque ad cœlum empyreum. Quia ante firmamentum conditum, non eſt veriſimile fuiſſe ſpatium vacuum, ſed plenum aquis: ergo ex aquis factum eſt firmamentum. Neque dici poteſt, aquas, quæ ibi erant, fuiſſe redactas in nihilum, quia communis Doctorum ſententia eſt, Deum nihil eorum, quæ ſemel condidit, redigere in nihilum.

QUÆSTIO SEXTA.

Quid intelligatur per aquas, quas Scriptura Sacra dicit eſſe ſuper firmamentum?

Reſpondeo, per aquas iſtas non intelligi nubes, ut cenſent aliqui, ſed veras aquas, quæ ſint ejuſdem ſpeciei cum his inferioribus. Ita ſentiunt plerique Patres, teſte Molina *diſp. 10.*

Probatur. Quia hoc eſt magis conforme Scripturæ Sacræ, quæ multis locis apertè aſſerit eſſe aquas ſuper cœlum. Eſſe verò aquas illas veras & propriè dictas, patet ex eo, quòd illæ primo die non fuerint diviſæ, ſed conjunctæ, & ſine dubio ejuſdem ſpeciei: ergo etiam poſt earum diviſionem non potuerunt eſſe diverſæ ſpeciei, quia per ſolam ſeparationem localem non mutatur natura ſpecifica.

Objicies primò. Aquæ elementares naturâ ſuâ ſunt corruptibiles, & actu corrumpuntur, quando adeſt aliquod agens naturale, quod poſſit illas corrumpere: atqui radii ſolares pertingunt uſque ad aquas ſupercœleſtes, & habent vim corrumpendi aquas elementares:

res: ergo si aquæ illæ supercœlestes sint elementares, corrumpentur à radiis solaribus; absurdum est autem, ejusmodi corruptionem admittere supra cœlos: ergo etiam absurdum est concedere aquas elementares existere super cœlos.

Respondeo. Aquas illas supercœlestes esse quidem corruptibiles, sed tamen actu non corrumpi, vel propter qualitatem loci conservantem, vel propter summam resistentiam, vel propter qualitatem aliquam ipsis impressam: qualem etiam habent corpora gloriosa, & damnatorum: vel denique quia Deus denegat suum concursum ad omnem alterationem, quâ corrumpi possent.

Objicies secundo. Aquæ illæ supercœlestes essent penitus frustraneæ, & ad nullum usum deservirent: Deus autem & natura nihil faciunt frustra: ergo aquæ illæ supercœlestes non sunt concedendæ.

Aliqui respondent, aquas illas supercœlestes non esse frustraneas, eo quod ab initio fuerint illinc relictæ, ut tempore diluvii inundarent terram ad punienda peccata hominum. Et hoc sensu interpretantur illud Gen. 7. *Cataractæ cœli apertæ sunt, & facta est pluvia super terram.*

Hæc responsio non placet. Tum, quia non est verisimile, Deum miraculosè fecisse foramina in cœlis, per quæ aqua decideret. Tum, quia si aquæ diluvii inde decidissent, fuisset ibi relictum magnum vacuum, à quo natura abhorret.

Dicendum ergo est, aquas supra cœlum non esse frustraneas, sed ob certos fines à Deo ibi relictas, tametsi nos eos fines ignoremus. Neque hoc mirum est; quia multa ignoramus, quæ quotidie præ oculis habemus, & multò plura, quæ in visceribus terræ delitescunt.

QUÆ-

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quid DEUS tertio die mundi operatus fuerit?

Respondeo, quòd DEUS die tertio terram discooperuerit, congregando aquas in unum locum: ac deinde produxerit plantas, ut patet ex narratione Moysis. Itaque duo sunt opera hujus diei: congregatio aquarum, & productio plantarum.

Porrò congregatio aquarum duobus modis fieri potuit. 1. Ita, ut aqua, quæ prius totam cingebat terram, in unum locum sese receperit, & magnâ mole in altitudinem erecta fuerit. 2. Ut in magnis terræ cavitatibus collecta & recepta fuerit.

Probabilius est, non primo, sed secundo modo id factum esse. Nam si aquæ fuissent coacervatæ & conglobatæ in unum locum super terram, jam essent altiores terrâ, & consequenter terra & aqua non haberent idem centrum, nec unum globum constituerent, quod tamen falsum esse, multis rationibus probat Clavius in sua Sphæra. Igitur dicendum est, aquas fuisse receptas in magnis terræ cavitatibus, & ex utroque elemento factum esse unum globum.

QUÆSTIO OCTAVA.

An DEUS tertio die mundi inter alias plantas produxerit etiam spinas & tribulos, plantasque humano generi nocivas?

Divus Basilius *Homil. 5. Hexamer.* asserit Deum tertio die mundi non produxisse omnes species plantarum, eò quod tunc non produxerit spinas & tribulos, sed primùm post Adami peccatum. Et videtur id colligi ex illo *Genesis cap. 3.* ubi Deus Adamum hisce comminatoriis verbis alloquitur: *Quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta*

terra

terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi.

Unde etiam colligit D. Baſilius roſam tertio die productam fuiſſe ſine ſpinis, & poſtea in pœnam peccati Adæ ſpinas ei adnatas eſſe.

Sed dicendum eſt, die tertio productas eſſe à Deo omnes plantarum ſpecies, etiam ſpinas & tribulos, aliasque plantas noxias ac venenoſas: neque Deum exſpectaſſe, donec Adam peccaret. Eſtque hæc ſententia communior, in quam inclinat D. Auguſtinus *Lib. 3. ſuper Geneſim ad litteram cap. 18.* & D. Thomas *quæſt. 69. art. 2. ad 2.*

Probatur primò. Quia hoc eſt magis conforme Sacræ Scripturæ, quæ dicit omne virgultum agri productum eſſe à Deo, & Deum die ſeptimo quieviſſe ab univerſo opere ſuo, id eſt, non produxiſſe ampliùs novas rerum ſpecies, quas antea non produxerit, ut exponit D. Auguſtinus *lib. 4. cap. 12.*

Probatur ſecundò. Quia etiam ſpinæ & tribuli deſerviunt ad uſum animalium.

Probatur tertiò. Quia ſpinæ & tribuli non ſunt magis noxii aut moleſti hominibus, quàm ſerpentes: conſtat autem, ſerpentes fuiſſe ante peccatum Adami.

Probatur quartò. Quia peccatum Adami non mutavit naturales rerum proprietates: ſed roſam naſci inter ſpinas, eſt naturalis quædam ipſius proprietas: ergo circa illam nihil mutatum eſt propter peccatum Adami.

Objicies primò. Deus in pœnam peccati Adamo dixit: *Terra ſpinas & tribulos germinabit tibi:* ergo ſi non peccaſſet Adam, terra non germinaſſet illi ſpinas & tribulos.

Reſpondeo, Deum tertio die non ſolùm produxiſſe plantas in variis mundi locis, ſed etiam in particulari quodam loco condidiſſe paradiſum, in quo terra erat admodum bona & frugifera, cùm extra paradiſum

eſſet

esset sterilior, & produceret spinas ac tribulos. Itaque hunc esse sensum verborum DEI: Audi Adame, quia peccasti, ejiciam te ex paradiso, & habitabis in terra sterili, quæ germinabit tibi spinas & tribulos: quod non fecisset paradisus, in quo eras positus.

Objicies secundo. Moyses, quando narrat productionem plantarum tertio die factam, addit, Deum vidisse quod esset bonum: ergo non loquitur de plantis noxiis, aut venenosis, quia illæ non sunt bonæ.

Respondeo, omnes plantas esse bonas, tum quia sunt perfectæ in genere suo: tum quia sunt accommodatæ ad finem, ad quem productæ sunt. Finis enim ille (si de immediato & proximo loquamur) est homo, cui plantæ etiam venenatæ conducunt, non quidem ad cibum, sed ad Medicinam. Deinde prosunt animalibus brutis, & hæc prosunt homini, propter quem producta sunt; ac proinde plantæ venenosæ saltem mediatè prosunt homini.

QUÆSTIO NONA.

Quid produxerit Deus die quarto?

Respondeo, Deum illo die produxisse omnia astra, id est, solem, lunam & stellas, ut patet ex narratione Moysis in Genesi.

Dubitatur autem, an Deus die quarto produxerit astra, non modò quoad substantiam, sed etiam quoad accidentia?

Respondeo, id esse probabile, quod sic declaro. Deus secundo die produxit orbes cœlestes ex aquis inæquabili densitate, quarto die fecit quasdam partes rariores & alias densiores, deditque densioribus novas formas substantiales; figuram rotundam, lucem & motum. Cum itaque partes illæ densiores sint astra, sequitur astra quarto die producta esse secundùm suas formas substantiales, & secundùm accidentia jam recensita.

Hæc

Hæc Aſſertio probatur. Quia Scriptura ſacra non aliter loquitur de productione aſtrorum, quàm de productione aliarum rerum: ſed aliæ res non ſolùm quoad ſua accidentia, ſed etiam quoad ſuam ſubſtantiam productæ ſunt: ergo etiam aſtra.

Dices. Hæc ſententia ſupponit, quòd aſtra habeant formas ſubſtantiales diſtinctas à formis ſuorum orbium, ac proinde diſtinguantur ſpecie à ſuis orbibus: quod non eſt admittendum.

Reſpondeo, id omninò eſſe admittendum, idque probari poſſe duplici ratione.

Prima ratio eſt, quia quod ſuapte naturâ lucidum eſt, ſpecie differt ab eo, quod ſuapte natura lucidum non eſt: ſed probabile eſt, ſolem ſuapte natura lucidum eſſe, non autem orbem ſolis: ergo probabile eſt ſolem ſpecie differre à ſuo orbe. Idem dico de cæteris aſtris, exceptâ lunâ, quæ ſuapte naturâ non eſt lucida, ſed illuminatur à ſole.

Secunda ratio eſt, quia vis influendi in hæc inferiora convenit aſtris, non autem orbibus: ergo aſtra habent peculiares formas ſubſtantiales, à quibus illa vis oritur.

QUÆSTIO DECIMA.

Vtrum Deus animalia volatilia & aquatilia (quæ quinto die producta ſunt) ex terra, vel ex aqua produxerit.

Aſſero, Deum tam volatilia, quàm aquatilia, hoc eſt, tàm aves, quàm piſces, ex aqua produxiſſe.

De piſcibus conſtat ex narratione & teſtimonio Moyſis, qui *libro Geneſis cap. 1.* ait: *Dixit etiam Deus, producant aquæ reptile animæ viventis.* Pèr reptile autem intelligi piſces, conſtabit ex dicendis infrà.

De Avibus eſt aliqua difficultas. Nam Cajetanus & Catharinus eas ex terra productas eſſe. Sed alii graviſſimi

vissimi Auctores productionem avium attribuunt elemento aquæ: inter quos est D. Augustinus *lib.* 9. *super Genesin ad literam cap.* 1. S. Hieronymus *in Epist. ad Ocean.* Magister sentent. *in* 2. *d.* 15. aliique complures.

Idem sentit Ecclesia, quæ in Hymno vesperarum Feriæ quintæ sic canit: *Magnæ Deus potentiæ, qui ex aquis ortum genus, partim remittis gurgiti, partim levas in aëra.*

Atque hæc sententia est magis conformis Sacræ Scripturæ, quæ *cap.* 1. *Genes.* sic loquitur: *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram.*

Accedit, quòd pisces & aves in multis conveniant. Nam utrisque commune est ova parere, carere lacte, eminentibus auribus & vesicâ.

QUÆSTIO UNDECIMA.

Cur Deus produxerit pisces ante omnia alia animalia?

Respondeo, hoc ideo factum esse, quia Deus voluit incipere ab imperfectioribus. Constat autem pisces esse imperfectiores aliis animalibus. Imò hunc ordinem Deus servavit in omnibus viventibus. Nam primò produxit plantas, secundò pisces, tertiò aves, quartò animalia terrestria, quintò hominem.

Quæres, unde constet pisces esse imperfectiores aliis animantibus?

Respondeo, id ex multis constare. *Primò*, quia pisces habent imperfectius temperamentum corporis, cùm præbeant exiguum alimentum. Unde qui volunt jejunare, & corpus affligere, solent abstinere ab aliis animalibus, & comedere pisces. *Secundò*, quia pisces habent obscuriora organa corporis ac membrorum. *Tertiò*, quia sensus habent obtusiores. *Quartò*, quia

 non

non sunt tam dociles, nec possunt ab hominibus mansuefieri, nec patiuntur se contrectari. Excipio Delphinum, de cujus docilitate, & amore erga homines mira scribunt Plinius & Plutarchus.

Præter dictas causas, afferuntur duæ aliæ: quarum una est Cajetani, altera D. Basilii. Cajetanus ait, totum genus piscium esse oviparum, nec ulla ex parte viviparum. Basilius asserit pisces carere memoria. Et hinc Autores isti colligunt pisces esse imperfectiores aliis animalibus.

Sed neutra ratio placet. Non prior, quia multi pisces sunt vivipari, ut pristis, balæna, vitulus marinus, Delphinus, teste Plinio *libro 9. cap.*13. & Basilio *homil.7.* Nec posterior, quia experientia docet, pisces habere memoriam. Idque etiam testatur S. Augustinus *lib.3. de Genesi ad literam c.*8. Et ratio est, quia omnia animalia, quæ moventur de loco in locum, oportet esse prædita memoria, ne motus eorum sit vagus & incertus.

QUÆSTIO DUODECIMA.

Cur pisces à Moyse appellentur reptilia?

Respondeo, quia simili ferè modo moventur in aquis, quo reptilia in terris, nempe supra pectus & ventrem.

Dices. Sunt aliqui pisces, qui pedibus gradiuntur, ut crocodili & equi marini: ergo non omnes pisces vocari possunt reptilia.

Respondeo, ejusmodi pisces, quia amphibia sunt, aliquando versari in aqua, aliquando in terra; quando in aqua sunt, natant supra ventrem, sicut cæteri pisces, & suis pedibus tanquam remis utuntur: & hac ratione possunt vocare reptilia; quando autem in terra sunt, erigunt se in pedes, & gradiuntur more alio-

rum

rum animalium: & hac ratione non vocantur reptilia.

QUÆSTIO DECIMA TERTIA.

Quid intelligat Sacra Scriptura per cete grandia, dum ait Genes. 1. cap. Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerunt aquæ in species suas?

Respondeo, Scripturam per cete grandia non intelligere unam aliquam speciem piscium, sed promiscuè omnes pisces, qui sunt grandiori corpore.

Patet hoc ex voce Hebraica *Hataninim*, quæ significat Dracones. Cùm enim Dracones terrestres soleant esse magni, ideo omnes magni pisces vocantur Dracones.

Dices. Si vox illa Hebraica significat Dracones, quare Latinus interpres vertit *cete?*

Respondeo, quia cete sunt magni pisces: omnes autem magni pisces vocari possunt dracones, ut patet ex usu Scripturæ *Psalm.* 148. *Dracones & omnes abyssi.* Et *Ezech.* 32. *Draconi, qui est in mari, assimilatus es.*

QUÆSTIO DECIMA QUARTA.

Cur Moyses lib. 1. Genesis peculiariter meminerit magnorum piscium, & non magnarum avium, aliorumque animalium grandiorum?

Respondeo, quia in nullo genere animalium reperiuntur tam magna, sicut in genere piscium. Nam balænæ, teste Basilio & Theodoreto, cùm super aquas dorsum efferunt, alicujus Insulæ speciem exhibent. Et Plinius *lib.* 9. scribit, balænas maris Indici quaternorum jugerum esse, pristes ducentorum cubitorum, anguillas verò in Gange trecentorum pedum.

QUÆSTIO DECIMA QUINTA.

Quid Deus produxerit die Sexto?

Respondeo, produxisse animalia terrestria & hominem, ut constat ex Historia Biblica *Genes.* 1. *cap.*

Itaque certum est, Deum hoc die produxisse jumenta, reptilia & bestias; quia hoc expressè dicit Moyses.

Per jumenta intelligit Moyses animalia mansueta & domestica: ut canes, equos, boves &c. Per reptilia intelligit serpentes, vermes, lacertas, quæ aut pedibus carent, aut pedes habent parvulos. Per bestias intelligit animalia fera & silvestria: ut Leones, Ursos, Tigrides, Pantheras, &c.

QUÆSTIO DECIMA SEXTA.

An Deus sexto die mundi produxerit etiam animalia adulterina, verb. grat. mulum ex equo & asina &c.

Esse productas à DEO sexto die omnes species jumentorum, reptilium & bestiarum, expressè colligitur ex his verbis Scripturæ Sacræ *Genes.* 1. *cap. Fecit Deus bestias terræ juxta species suas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere suo.*

Dubitatur autem, an prædicta Verba intelligenda sint solùm de animalibus legitimis, an verò etiam de adulterinis, cujusmodi est species muli ex equo & asina, Leopardi ex Leone & Pardo, lyncis ex lupo & cerva?

Multi negant hæc adulterina animalia die sexto producta esse, ut D. Thomas, Rupertus & alii. Et videtur colligi ex eo, quòd Deus in veteri Testamento prohibuerit, ne quis hujusmodi animalium productionem procuraret, juxta illud *Levitici* 19. *Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus.*

QUÆS-

QUÆSTIO DECIMA SEPTIMA.

Ex qua materia fuerit productus Adam primus homo?

Respondeo, fuisse productum de limo terræ, juxta clarum Textum *Genesis* 2. *Formavit Deus hominem de limo terræ.*

Dices. Adam fuit homo sicut cæteri homines: sed cæteri homines constant ex quatuor elementis, & non ex sola terra: ergo etiam Adam.

Respondeo, etsi negari non possit, hominem constare ex quatuor elementis, cùm sit corpus mixtum, à Scriptura tamen non nominari nisi lutum terræ, id est, terram & aquam inter se mixtas; quia illa duo elementa prædominantur in corpore humano quoad substantiam. Ratio est, quia corpus mixtum ex iis præcipuè elementis componitur, in quæ per corruptionem primò resolvitur: constat autem corpus humanum primò resolvi in aquam & terram.

QUÆSTIO DECIMA OCTAVA.

Ex qua materia producta sit Eva?

Respondeo, esse productam de costa Adami dormientis.

Constat id tum ex *cap.* 2. *Genesis:* ubi dicitur, *Ædificavit Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem:* tum ex illis verbis *Ecclesiast. cap.* 17. *Deus creavit de terra hominem, & creavit ex ipso adjutorium simile sibi.* tum denique ex *epist.* 1. *ad Corinth. cap.* 11. ubi S. Paulus ait: *Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro.*

Objicies primò. Si Eva facta est ex costa Adami, ergo vel Adam habuit antea plures costas quàm nos, vel postea habuit pauciores: neutrum autem dici potest; quia vel fuisset prodigiosus, vel defectuosus.

Propter hoc argumentum putat Cajetanus, Evam non esse factam de costa Adámi, & Scripturam, cùm id refert, loqui Metaphoricè.

Sed errat Cajetanus, quia narratio Moysis est historica, quæ debet secundùm propriam verborum significationem intelligi; præsertim cùm alia etiam Scripturæ loca id doceant, omnesque Patres & Scholastici in eo consentiant.

Porrò duplex est objectionis allatæ solutio. Una Catharini, existimantis Adamum nec plures habuisse costas ante, nec plures postea; quia Deus illi unam abstulit, & alteram restituit. Nam Deus non solùm costam, sed etiam carnem abstulit ab Adamo, ex qua Eva formaretur: ergo idem sentiendum est de costa, quod de carne: sed loco carnis restituit illi Deus aliam carnem, ergo etiam loco costæ aliam costam dedit.

Altera solutio est D. Thomæ, quòd Adam habuerit unam costam amplius, quàm cæteri homines, & quòd ex ea facta sit Eva; quodque proinde post productionem Evæ Adam tot costas retinuerit, quòt cæteri. Idque colligitur ex *cap.* 2. *Geneseos*, ubi apertè dicitur, Deum tulisse unam de costis Adami, & replevisse carnem pro ea. Unde sequitur pro costa ablata non esse restitutam aliam costam, sed carnem.

Replicabis. Ergo Adam fuit prodigiosus ante productionem Evæ, quia habuit unam costam superfluam.

Respondeo, quòd Adam dupliciter spectari possit. *Primò.* Ut erat caput totius naturæ humanæ; & sic illa costa non erat ipsi superflua, sed necessaria, ut ex illa formaretur Eva. *Secundò.* Ut erat homo particularis; & sic erat illi superflua.

Objicies secundò. Corpus Evæ fuit multò majus, quàm una costa Adami: ergo ex una costa non potuit fieri.

Respon-

Respondeo, Unam costam cum adjuncta carne non suffecisse, sed fuisse aliam insuper novam materiam necessariam: quæ vel de novo est creata, ut vult D. Thomas, vel sumpta ex aëre circumstante, ut alii censent.

QUÆSTIO DECIMA NONA.

Quo loco primi nostri Parentes, Adamus & Eva producti sint?

Responsio prima. Adam productus est extra Paradisum. Ita D. Ambrosius *lib. de Paradiso cap.* 4. Rupertus *lib.* 1. *ad Genes. cap.* 2. Magister sententiarum *in* 2. *dist.* 17. quem sequitur D. Thomas.

Colligitur ex illo *Genesis* 2. *Tulit Deus hominem, & posuit eum in Paradisum voluptatis.* Item ex illo *Genesis* 3. *Emisit eum Deus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est.* Qui modi loquendi non obscurè innuunt, productionem Adami non esse factam in Paradiso, ut consideranti patebit.

Rationem hujus doctrinæ assignat D. Thomas; quia, inquit, Paradisus erat locus serviens incorruptioni: incorruptio autem non convenit homini naturaliter, sed ex supernaturali dono. Voluit ergo Deus producere hominem extra Paradisum, & postea ponere in Paradiso, ut sciret homo incorruptionem illam non esse ex natura, sed ex gratia.

Responsio Secunda. De loco, in quo extra Paradisum productus est Adam, nihil habemus ex Scriptura; communis tamen traditio est, productum esse in campo Damasceno, ubi terra est rubra: & inde ad Paradisum ab Angelo translatum esse, sicut Habacuc in Babylonem, & Enoch in Paradisum ab Angelo translati sunt. Alii volunt Adamum non esse raptum aut translatum, sed ductum ab Angelo, sicut Tobias ductus est.

Responsio tertia. Eva est producta in Paradiso, ut ple-

rique sibi persuadent, colligiturque ex Scriptura, quæ post narratam translationem Adami in Paradisum, subjungit productionem Evæ de latere Adami.

SECTIO SECUNDA.

Curiosæ Observationes de magnitudine & figura mundi, aliisque nonnullis ad notitiam mundi pertinentibus.

ARTICULUS I.

Observatio prima de immensa mundi Magnitudine.

MUndi magnitudinem colligere solent Astrologi ex altitudine solis: qui à Ptolemæo ponitur semidiametrorum terræ 1210. à Copernico 1179. à Tychone 1182. Taxatur autem, sive æquatur semidiameter terræ milliaribus Germanicis 859. vel 860. circiter, diameter verò illius milliaribus Germanicis 1720. omnium Astronomorum & Geographorum consensu. Est igitur Solis altitudo secundùm Ptolemæum, milliarium 1040600. juxta Tychonem 1016520. Suppositâ solis altitudine Ptolemaica, ejus circulus diurnus erit milliarium Germanicorum 6540914. ac proinde in singulas horas movebitur sol milliaribus 272538. Ex calculo Tychoniano solis motus diurnus est milliarium Germanicorum 6389554. horarius verò 266231. Firmamentum autem seu cœlum stelliferum supra terram attollitur 14000. semidiametris terræ (teste Tychone) sive milliaribus Germanicis 12040000. Quare circulus magnus in firmamento extenditur semidiametris terræ 88000. vel milliaribus 75680000. & motus horarius stellarum fixarum prope Æquatorem sita-

ſitarum eſt milliarium 3153333. ſive trium millionum. Adhæc docent Aſtrologi, tantam eſſe Firmamenti à terra diſtantiam, ut lapis molaris è concavo firmamenti demiſſus, vix nonaginta annorum ſpatio ad nos decideret.

Franciſci Maurolici Itali judicio cœli quantitas continet milliaria Germanica vicies quinquagies quater millena, novies mille centum & ſexaginta.

Communi calculo eorum, qui cœleſtium corporum quantitatem indagant, Luna diſtat à terra circiter quinquaginta millibus milliarium Germanicorum, numero rotundo, ut loquuntur. Interſtitium verò inter ſolem & terram creditur eſſe 1000000. ſive millies millenorum milliarium Germanicorum. Ex qua altitudine præſuppoſitâ & conceſsâ, quantitatem orbis ſive circuli ſolis & lunæ: & ex hac quantitate orbis, quantitatem & magnitudinem totius globi mundani non difficili conjecturâ aſſequemur.

Eſt Theologorum nonnemo, qui de hoc argumento ſic diſcurrit. Si, inquit, Deus è ſingulis arenæ granulis, quæ littus marinum ſtipant, ſingulos crearet orbes terrarum, innumeri certè ac infiniti eſſe dicerentur, ii tamen immenſa cœli ſpatia non implerent.

Sunt qui cœli empyrei (cujus ambitu atque complexu tota vaſtiſſimi mundi machina continetur) magnitudinem, milliaribus 10314085710. definiant, latitudinem verò 3600000000. milliaribus metiantur.

ARTICULUS II.

Obſervatio ſecunda de figura mundi.

Anaximander ſenſit figuram mundi eſſe columnarem, Plato vigint-angularem, nonnemo ad modum pellis planam & latè porrectam, quidam inſtar nucis pineæ pyramidatam. Anaximenes menſæ, Leucippus

tympano, Democritus disco, alii rebus aliis mundi figuram persimilem esse crediderunt.

Schola peripatetica mundo, utpote corpori capacissimo, perfectissimo, elegantissimo, attribuit figuram circularem, quæ inter omnes figuras est capacissima, perfectissima & elegantissima, ut patet ex iis, quæ infra de Geometria dicentur.

Deinde eadem est figura mundi, quæ præcipuarum ipsius partium. Idem enim esse debet judicium de partibus mundi præcipuis, & de ipso mundo: quia fieri non potest, ut partes mundi habeant figuram nobiliorem, quàm ipse mundus. Quare cùm cœlum & elementa (quæ sunt primariæ mundi partes) sint figuræ sphæricæ & circularis, necesse est ipsum quoque mundum talem obtinere figuram.

Porrò cœli rotunditas tum ex ejus motu, qui est sphæricus & orbicularis, tum ex distantia à nobis innotescit. Si enim cœlum alterius esset figuræ quàm orbicularis, stellarum (quæ sunt nobiliores cœli partes) aliæ nobis magis vicinæ forent, aliæ minùs: siquidem non in quovis cœli tractu pari intercapedine à nobis, sive à terra distarent: quod tamen repugnat experientiæ; quia intuemur omnes stellas fixas eâdem perpetuò distantia à nobis circumagi.

Ad elementa quod attinet, licet ea inter se non sint continua, tamen cùm nullum inter ipsa vacuum intercedat, mutuò se tangunt: & terram, quæ rotunda est, aqua complectitur, aquam aër, aërem ignis, omnia circulari ambitu. Et verò si cœlestia, quæ hæc omnia complectuntur, sunt rotunda, oportebit quoque elementa rotunda esse.

Tandem etiam ex instrumentis Astronomicis, quæ in figuram rotundam efformantur, ut cœli rotunditatem imitentur, clarè colligitur, ipsum etiam cœlum ro-

rotundum esse. Si enim cœlum alterius figuræ esset, quàm rotundæ, nequaquam illa quoquo versum constituta, idonea essent ad altitudinem & distantiam siderum dimetiendam. Jam verò constat illa esse idonea ad hoc munus, prout in globo cœlesti, astrolabio, & similibus videre licet. Si autem cœlum est rotundum, ejusdem quoque figuræ mundus censeri debet: quia deforme admodum esset, si mundus quadratus vel oblongus esset, cœlum autem orbiculare.

ARTICULUS III.

Observatio tertia de parte Mundi dextra & sinistra.

Aristoteles docet partem mundi Orientalem esse dextram, propterea quòd inde fiat principium motûs; partem autem mundi Occidentalem esse sinistram, eò quòd vergat ad ipsam motus. Quemadmodum enim in homine cæterisque animantibus omnis loci mutatio à dextra incipit, eò quòd dextra ad impulsum sit expeditior ob calorem hepatis, & solidiorem ejus partis, firmioremque musculorum naturam? ita pariter illa pars, à qua cœlestes sphæræ moventur, denominationem partis dextræ sortiuntur.

ARTICULUS IV.

Observatio quarta de duratione mundi præterita & futura.

Duratio mundi tam præterita, quàm secutura, à multis indagata, à nemine certo temporis spatio citra dubitationem definita fuit.

Ægyptii jam olim sibi persuaserunt mundum durâsse annis 48000. Chaldæi 470000. Orientales 700000. Sunt, qui ab exordio mundi usque ad Christum natum numerent annos 3983. inter quos est Theophilus

lus Raynaudus; alii 3947. Henricus Samerius Soc. Jesu computat annos 3950. Baronius insignis Ecclesiasticæ historiæ scriptor 5199. Venerabilis Beda 5200. Nauclerus 5201. Regiomontanus 6984. Pererius 4022. Salianus & Torniellus 4052.

Major de subsecutura mundi duratione dubitatio est. Macrobius 15000. annorum spatio eum definit: Orpheus 120000. Cassander ad tricies sexagies centena millia computat. Liborovius interitum mundi refert ad annum 1666. Rostius ad 1656. Cusanus ad 1700. vel saltem ad spatium antecedens annum 1734. Lactantius universam mundi durationem sex millium annorum spatio concludit. Sed mihi placet illud D. Thomæ Aquinatis: *Omnes, qui volunt determinatè de mundi fine loqui, tempus præfigendo, falsi reperti sunt, & reperientur in futurum.*

ARTICULUS V.

Observatio quinta de septem Mundi ætatibus.

Prima Mundi ætas est quasi *Infantia*, & incepit ab Adamo Protoplasto, duravitque usque ad finem diluvii annis 1656.

Secunda ætas *Pueritia*, incepit à fine diluvii, & duravit usque ad egressum Hebræorum ex Ægypto annis 887.

Tertia *Adolescentia*, incepit ab egressu Hebræorum ex Ægypto, & duravit usque ad quartum annum regni Salomonis, quo condi cœptum templum Hierosolymitanum, annis 480.

Quarta *Juventus*, incepit à quinto anno regni Salomonis, sive secundo anno ab inchoato templo, & duravit usque ad destructum & exustum idem templum, vel potiùs usque ad finem captivitatis Babylonicæ, annis 452.

Quinta

Quinta *Virilis*, incepit à relaxata captivitate Judæorum, & initio Monarchiæ Persicæ, duravitque usque ad adventum Messiæ, seu incarnationem filii Dei, annis 525. universi autem anni prædictarum ætatum conficiunt Summam annorum 4000.

Sexta *Senilis*, cœpit à primo Christi adventu, durabitque usque ad secundum ejusdem adventum, sive ad judicium universale, & interitum universi. De quo die nemo scit.

Septima ætas non jam in mundo, sed in cœlo inchoabitur à die extremi judicii, duratura, usque in perpetuas æternitates.

DISCURSUS SECUNDUS.

EX ASTROLOGIA,

Complectens varias Observationes de Sole, Luna aliisque sideribus.

PRÆFATIUNCULA.

ASTROLOGIA, hoc est, Scientia de Astris, differt non modò ab Vranologia & Vranometria, sed etiam ab Astronomis. Nam Astronomia motus siderum, Astrologia siderum effectus & inclinationes è stellarum positione scrutatur. Vranologia verò considerat Cælum quatenus est cælum; per quod differt ab Vranometria, cujus officium est speculari cælum, prout est corpus mensurabile & mensurativum. Dicitur autem cælum mensurabile respectu nostri, quia nos illud metimur: mensurativum verò, quia ipsum etiam cælum metitur, tum tempus, tum res in tempore constitutas.

OB-

OBSERVATIO I.

De inæqualitate & asperitate Planetarum, eorumque scabrosis & confragosis partibus.

EXperientia docuit Uranoscopos, Planetarum corpora esse minimè polita & tersa, sed maximè aspera, divisa, confragosa, variis maculis & umbris deturpata, ac proinde etiam non perfectè sphærica. Cujus doctrinæ veritatem moderni Astrologi hoc Phænomeni solaris experimento demonstrare solent.

Si, inquiunt, helioscopio illius generis, quæ maximæ virtutis in astrorum contemplandorum usum fabricata sunt, diversis temporibus in solem directo, speciem ejus intra conclave clausum obscuratumque transmissam: candido plano exceperis; non sine admiratione subinde videbis totam solaris hemisphærii apparentis superficiem heterogeneam ex umbris & luculis conflatam; eundemque solem tamquam mare fluctibus asperum ac veluti crispatum, diverso tamen, pro diversitate temporis, schemate intueberis. Nonnunquam in corpore Solari 50. aut 60. macularum umbrarumque veluti eclipses observantur: quæ sanè maculæ tantæ subinde magnitudinis sunt, ut Lunæ, terræque superficiem æquare videantur. Suetonius tradit, eo tempore, quo Julius Cæsar trucidabatur, circa solem materiam quandam crassam & fuliginosam conspectam esse. Tempore Justiniani Imperatoris anno integro Sol, ceu velamento quodam obseptus, adeo remissam ac debilem diffudit lucem, ut in Lunam conversus esse videretur. Apud Paulum Diaconum legimus anno 790. Solem 17. dierum spatio, cœlo maximè sereno & innubi tam obscurè luxisse, ut penè tenebras mundo offunderet. Ante bellum Suecicum per annum integrum discus Solaris ingenti macularum ebullitione cooper-

coopertus, tum à P. Athanaſio Kircher in Germania, tum à P. Chriſtophoro Scheiner Romæ obſervatus fuit. Porrò ſicut aliquando Sol quodam veluti maculoſo umbrarum tractu lugens procedit; ita nonnunquam è contrario, luctuoſo velamine excuſſo, totus ſerenus, lucidus, placidus, & veluti ridibundus, modò flammas, modò fuligines atras evomere videtur. Videatur Aldrovandus *lib. de prodigiis*, & Roſa Urſina P. Scheineri, opus ſubtiliſſimum, & reconditiſſimis obſervationibus refertum.

His addo experimentum phænomeni Lunaris, quod Mathematicus quidam ſic proponit.

Lunâ plenâ, inquit, melioris notæ tubum Aſtronomicum accipe, quem nocte ſerena, & aëre vaporibus vacuo, in corpus Lunare dirige; & miram quandam Lunæ ex umbris & luculis conflatam faciem deprehendes, non ſecus ac de experimento phænomeni ſolaris ſuperiùs dictum eſt: hoc ſolùm diſcrimine, quòd maculæ & faculæ in ſole ſint perpetuò inconſtantes; in Luna verò perpetuò ſibi ipſis ſimiles & immotæ. Diceres te mare quoddam immenſos terrarum tractus allambens, & in eo longè latèque circumfuſas Inſulas, & alicubi quaſdam veluti Lacunas umbroſas intueri, ex quarum centro fulgentiſſimi radii diffundantur. Notabis quoque in extremo Lunaris diſci Limbo neſcio quid tremulum: fumoſam diceres exhalationem. In eodem limbo non ſine admiratione intueberis veluti præruptos quosdam ſcopulos, & concatenatorum montium ordines. Quæ omnia Neapolitanus quidam artifex, aliique Romani Mathematici excellentiſſimis tubis ſæpenumero obſervarunt.

OB-

OBSERVATIO II.

De insigni densitate & soliditate Solis.

MUlti moderni Philosophi sentiunt, corpus solare ex materia constare omnium totius mundi densissima; eò quòd intra ejus orbem tantum sit materiæ conclusum, quantum tota aurâ æthereâ per infinitam ferè solidæ mundanæ sphæræ amplitudinem est dispersum. Esse autem densitatem corporis solaris in summo gradu, ex ejus calorificâ vi, tam acri, tamque longè porrectâ colligere licet. Nam inter corpora ignita ejusdem quantitatis, tantò quodlibet violentiùs urit & longiùs, quantò est densius: unde plus carbo quàm flamma, plus ferrum candens quàm carbo urit. Unde plerique veterum Orientalium, Hebræi, Arabes, Ægyptii, Persæ, ad declarandam solaris corporis densitatem, symbolicè asseruerunt, solem nihil aliud esse, quàm lapidem candefactum.

OBSERVATIO III.

De immodico & exotico Solis æstu.

NArrat Livius *lib. 4. Histor.* anno urbis Romanæ trecentesimo vigesimo secundo, tantum fuisse solis æstum, ut arescentibus defectu aquarum fontibus, rivis, amnibus, magna strages pecorum siti pereuntium consecuta fuerit. Anno Christi 1153. silvæ nimio ardore solis accensæ fuerunt, & gleba pinguis arsit, nec ulla extingui potuit pluviâ. Anno 1573. Silva Bohemica æstu solis inflammata octodecim septimanis arsit, & Danubius penè exaruit: quodque mirandum est, nullum inde in segetes damnum redundavit. Anno 1584. autumnus tam fuit calidus, ut rosæ cum stirpibus floruerint. Anno 1225. mense Decembri malus Persica floruit. Anno 1186. mense Januario corvi &

aliæ

aliæ volucres pullos excluſerunt. E contrario Anno Nongenteſimo nonageſimo quarto in fine menſis Julii lacus & undæ fluminum tam conſtrictâ fuerunt glacie, ut piſces omnes fuerint emortui. *Jonſton. in Thaumatograph. claſſ.* 1.

OBSERVATIO IV.

De inæqualitate dierum & noctium ex inæquali Solis acceſſu & receſſu ortâ.

IN Araba novi orbis Provincia perpetua eſt dierum & noctium æqualitas. Idem de Peru teſtatur Ovetanus *in Summa.* Sub ſiderum poſiti cardine, æquinoctio verno exortum ſolem, autumnali æquinoctio vident occidere. Hinc ſemeſtrem diem nox ſemeſtris ſubſequitur. Hollandi ad fretum Waygats à quarta die Novembris uſque ad 24. Januarii, unam continuam ſub ſeptuageſimo primo gradu experti ſunt noctē. *Bertius in deſcriptione freti Waygats.* In Laponia nox unica trium menſium ſpatium occupat. *Zieglerus in Laponia.*

OBSERVATIO V.

De influentiis Lunæ in res inferiores.

MUltiplices Lunæ in res inferiores influxus complura teſtantur experimenta.

Si Luna ſub terra poſita ſeratur allium, & rurſus Lunâ ſub terra latente vellatur ſeu eruatur, odoris fœditate carebit, ſi fides adhibeatur Palladio, & Cardano *de varietate lib. 2. cap. 13.*

Plinius de formicis agens, ait, eas eſſe Luniſequas, & opera ſua ad lumen Lunæ diſponere; ſi lumine vacua fuerit Luna, ceſſare ab opere; Laborare contra tantò vehementiùs, quantò majus illa incrementum ſumit; à plenilunio verò ceu torpeſcentes, & nimio la-

bore fatigatas, ad cavernas veluti quietis quædam latibula ſe conferre.

Addit idem Plinius, filamenta Hepatis glirium mira quadam ratione ad normam luminis Lunæ creſcere & decreſcere.

Oculi cattorum notabiliter Lunaris luminis mutationes ſubeunt. Obſervatum quoque eſt, eorundem oculos multò eſſe majores tempore hiberno quàm æſtivo: Neque abſque ratione; cum enim noctes hibernæ longiores ſint, Natura quoque plus luminis ſeu viſivi Spiritus eis conceſſiſſe videtur ad quærendum venatione nocturna alimentum.

Panthera, ſi Alberto credimus, in pelle ſua maculam habet, Lunæ phaſes exactè imitantem.

Omnia oſtreacea, exſanguia, mollia, cruſtacea pro Luminis Lunaris incremento, aut decremento, nunc macreſcere, nunc pingueſcere vulgò notum eſt. Videri poſſunt, quæ de natura Scarabæi, cynocephali, & æluri, Lunaribus animalibus P. Athanaſius Kircher in ſua Phyſica Hieroglyphica fuſiſſimè & curioſiſſimè tradit.

Indubitatâ experientiâ huc uſque innotuit, conceptionem hominis cum nativitate ejus maximum habere conſenſum, ob aſpectum ætatemque Lunæ, ejuſdemque in Zodiaco eodem temporis momento conſtitutionem; ita quidem, ut infantem tempore novæ, aut plenæ Lunæ conceptum, eodem penè momento alterius novæ aut plenæ Lunæ in lucem prodire videamus. Quò ſpectat Aphoriſmus ille 50. apud Ptolemæum: *Signum Zodiaci, in quo morabitur Luna horâ & momento conceptionis, erit idem quod aſcendet ſupra Horizontem horâ & momento nativitatis; & ſignum, in quo eſt Luna tempore nativitatis, erit idem, quod aſcendebat tempore conceptionis.*

OB-

OBSERVATIO VI.

De variis Eclipsibus Solis & Lunæ, ac subsequis calamitatibus.

ANno mundi 3180. prima Eclipsis ab historicis adnotata, & memoriæ prodita fuit in Sole, versante in 7. gradu Tauri, die Dominico (qui tunc dicebatur dies Solis) quinta die Maji circa Meridiem, in ipso ferme capite Draconis. Fuit autem hæc Eclipsis admodum horribilis. Nam in Ægypto Sol ultra dimidiam partem est obscuratus: in Italia ad dimidiam partem: in Æthiopia verò totus amisit lucem. *Dionysius Halicarnass. lib. 1.* Hoc tempore Romulus & Remus sunt concepti, cœpitq; declinare Regnum Israëlis,

Anno mundi 3230. qui fuit annus primus Merodachi Regis Babyloniorum (*Lib. 4. Regum Cap. 29.* appellatur hic Rex Berodach, Latinè amara contritio, vel Myrrha purissima) 19. Martii, feria secunda, Luna patitur Eclipsin totalem. *Ptol. lib. 4.* Quo tempore decem Tribus populi Israëlitici in perpetuam captivitatem fuerunt abductæ.

Anno mundi 3235. qui fuit annus urbis Romanæ 38. paulò pòst mortem Romuli, 26. die Maji Sol patitur horribile deliquium. *Dionys. Halicarnass. lib. 2.* Hoc ipso anno Sennacherib, Rex Assyrius, cæsis 185000. suis militibus, reliquit obsidionem Hierosolymorum. *Isai. 38. 2. Reg. 19.*

Anno mundi 3343. accidit Eclipsis Solis, à Thalete Milesio prædicta. Paulò pòst cœpit captivitas Babylonica, & decennio pòst excidium Templi Hierosolymitani.

Anno mundi 3365. maximam eclipsin patitur Sol, quam etiam Thales prædixerat. Fuit hæc eclipsis ferè totalis, in principio Geminorum die 28. Maji. *Herodot. lib. 1.* Hoc tempore Judæi exulant in Babylone.

Anno mundi 3461. & 31. Darii Histaspis, Luna patitur eclipsin. Quo tempore Darius ad Marathonem ingenti clade fuit affectus ab Atheniensibus, duce Miltiade. Meminit hujus eclipsis Ptolemæus *lib.4.cap.9.*

Anno mundi 3470. Sol patitur eclipsin 19. Aprilis, cùm Xerxes adversùs Græcos exercitum duceret infeliciter: utpote victus ad Thermopylas, & Salaminem. *Vide de hac eclipsi Herodotum lib. 7.*

Anno mundi 3471. conspicitur eclipsis Solis, ante pugnam ad Platæas; ubi Mardonius, Xerxis dux, iterum vincitur. *Herodotus lib. 9.*

Anno mundi 3520. 3. die Augusti fuit eclipsis Solis admodum terribilis. Nam totus propemodum Sol defecit, ita, ut etiam stellæ aliquot interdiu videri potuerint. *Thucyd. lib.* 2. Secuta pestilentia atrox, dicta Attica, quâ Atheniensium civitas ad interne cionem ferè deleta est.

Anno mundi 3621. eclipsis Lunæ totalis conspicitur, duodecimâ nocte ante pugnam Darii & Alexandri M. ad Arbelam, 20. Septemb. Quo die Alexander vicit ingentes copias Darii, interfectis 90000. hominibus; atque ita totius Asiæ imperio potitus est, Sole versante in quinto gradu Libræ, cùm Persæ tenuissent Monarchiam annis 200.

Anno mundi 3733. eclipsis in Sole accidit, quæ tanta fuit, ut aliqui Astronomiæ ignari, pugnam Solis & Lunæ contigisse dicerent. *Livius decad.3. l. 2.* Plurima verò mala hanc eclipsin secuta sunt. Nam Hannibal quindecim millia Romanorum trucidavit. Terra eodem anno septies & quinquagies formidabili motu concussa est. Denique Ptolemæus Philopator Rex Ægypti, Antiocho victo fugatoq; insolentior factus, Hierosolymam ingressus, Sanctum Sanctorũ profanare conatus est: ubi à Deo graviter punitus, in Ægyptum reversus,

versus, supra modum miseros Judæos afflixit, ut patet ex lib. 3. Macchab.

Anno mundi 3748. Sol patitur eclipsin, subsequente postrema clade Hannibalis in Africa. *Livius decad. 3. lib. 10.*

Anno mundi 3749. eclipsatus est Sol, & secutæ sunt tres eclipses Lunæ: quas excepit bellum Macedonicum, inter Romanos & Philippum, ejus nominis ultimum Regem Macedoniæ.

Anno mundi 3760. Sol ingens deliquium passus est, quod Antiocho portendit horribilem cladem suorum, & amissionem ferè totius Asiæ minoris. Ita Monarchia Græcorum paulatim à Græcis ad Romanos inclinare cœpit.

Anno mundi 3761. visa est eclipsis Solis, postquam Antiochus Magnus, Antiochi Epiphanis pater, à Barbaris horribili clade cæsus, vitam pariter cum exercitu amisit.

Anno mundi 3778. eclipsin Lunæ secuta est mors Seleuci Philopatoris, & persecutio Ecclesiæ sub Antiocho Epiphane, immani illa bestia.

Anno mundi 3782. tota Luna obscuratur. Atque hæc est horribilis illa eclipsis, quæ antecessit prælium illud acerrimum, quo L. Æmilius Paulus Consul Roman. Perseum ultimum Regem Macedoniæ vicit, & Regnum ad Romanos transtulit.

Anno mundi 3809. eclipsin Lunæ secutum est bellum servile, itemque Numantinum, quo Numantia deleta fuit.

Anno mundi 3905. accidit plenilunium eclipticum, quod Ovidius *lib. ult. Metamorph.* recenset inter prodigia, quæ mortem Julii Cæsaris antecesserunt.

Anno mundi 3982. Christi verò 33. vel (ut alii volunt) 35. Christus Servator noster crucifigitur. Quo

quidem die factæ sunt duæ eclipses: prima in sole circa meridiem, in undecimo gradu Arietis, ubi Sol non procul à capite Draconis, tempore plenilunii, contra naturam obscuratus est; altera autem in Luna, circa vesperam, sole occidente, paulò post sepulturam Christi; quo tempore Luna, naturaliter tamen, non procul à cauda Draconis, ad septem digitos, hoc est, ultra dimidiam partem defecit.

Anno Christi 59. factum est deliquium solis, & secuta prima persecutio Ecclesiæ sub Nerone.

Anno Christi 133. eclipsin Lunæ excepit ultima clades Judæorum, quorum quinquies centena millia in hoc bello sunt occisi, aliis pestilentia & fame sine numero pereuntibus.

Anno Christi 237. fuit horribilis eclipsis Solis, quæ, teste Julio Capitolino tanta fuit, ut nox crederetur, nec sine luminibus accensis quidquam agi posset. Secutus est terræ motus, quo magnæ Urbes corruerunt, & multi homines oppressi sunt.

Anno Christi 347. fuit eclipsis Solis; quo tempore grassati fuere Ariani hæretici, & Sapor Rex Persarum afflixit Imperium Romanum.

Anno Christi 360. fit defectio Solis maxima, ab aurora usque ad meridiem. Secuta sunt tria memorabilia bella, Persicum, Civile, & Germanicum.

Anno Christi 404. Sol patitur eclipsin, & paulò post Roma capitur ab Alarico Rege Gothorum.

Anno Christi 664. fit eclipsis Solis postquam Saraceni aliquoties cum infesto exercitu ingressi sunt fines Romanorum.

Anno Christi 764. Sol eclipsatur, & eodem anno tanta siccitas est secuta, ut etiam fontes exsiccarentur.

Anno Christi 891. eclipsis Solis facta est, quam secuta sunt varia bella, cùm Imperatores & Reges Italiæ

mutuis

mutuis armis concurrerent, atque ita Italia miserè aliquot annis affligeretur.

Anno Christi 1093. eclipsis Solis antecessit maximam pestilentiam, quæ totam Germaniam & Galliam afflixit.

Anno Christi 1274. eclipsis lunaris visa est: quo tempore tota Germania ardebat latrociniis, seditionibus, tumultibus ac bellis.

Anno Christi 1415. tam horrenda fuit eclipsis Solis, ut aves in terram deciderent. Circa illud tempus Huss hæreticus, qui ob crimen hæresis exustus est, cum suis sequacibus pravæ doctrinæ Zizania in agro Dominico seminavit.

Anno Christi 1544. quatuor fuerunt eclipses, una in Sole valde notabilis, & tres in Luna. Circa hoc tempus cœpit bellum Smalcaldicum, & orthodoxa Religio variè fuit jactata.

OBSERVATIO VII.

De Zodiaco, sive signis, & constellationibus cœlestibus, deque præcipuis mundi Regionibus, & Urbibus, quæ sub signis illis sitæ sunt.

Duodecim sunt signa cœlestia, ex variis conflata constellationibus. Primum signum est *Aries*, secundum *Taurus*, tertium *Gemini*, quartum *Cancer*, quintum *Leo*, sextum *Virgo*, septimum *Libra*, octavum *Scorpius*, nonum *Sagittarius*, decimum *Capricornus*, undecimum *Aquarius*, duodecimum *Pisces*.

Sub *Ariete* sunt hæ regiones, Anglia, Gallia, Germania, Silesia superior, Polonia minor, Burgundia superior, Dania, Syria, Palæstina: & hæ Urbes, Neapolis, Capua, Ancona, Ferraria, Florentia, Verona, Lindavia, Trajectum, Patavium, Brunswicum, Cracovia.

Sub *Tauro* ſunt iſtæ regiones, Polonia major, Irlandia, Lotharingia, Campania, Helvetia, Franconia, Rhætia, Parthia, Perſia, Cyclades Inſulæ, Cyprus & maritima loca minoris Aſiæ: & iſtæ Urbes, Bononia, Senæ, Mantua, Tarentum, Parma, Brixia, Tigurum, Lucerna, Nancejum, Metæ, Herbipolis, Lipſia, Poſnania, Gneſna.

Sub *Geminis* ſunt hæ Regiones, Sardinia, Lombardiæ pars, Flandria, Brabantia, Wirtebergenſis Ducatus, Hircania, Armenia, Cyrenaica & Ægyptus inferior: Urbes, Corduba, Turinum, Vercellæ, Lovanium, Brugæ, Londinum, Moguntia, Kitzinga, Bamberga, Norimberga.

Sub *Cancro* ſunt ex Regionibus, Scotia, Granata, Burgundia inferior, Hollandia, Zelandia, Pruſſia, Numidia, Africa, Bithynia, Phrygia, Colchis, & Carthago: ex Urbibus, Conſtantinopolis, Tunetum, Venetiæ, Genua, Luca, Piſæ, Mediolanum, Vincentia, Berna, Treveris, Eboracum, Lubeca, Magdeburgum, Witeberga, Görlicium.

Sub *Leone* ſunt Regiones, Italia, Sicilia, Apulia, Bohemia, Pars Turciæ, Phænicia, Chaldæa: Urbes, Dantiſcum, Syracuſæ, Roma, Ravenna, Cremona, Ulma, Confluentia, Praga, Lincium &c.

Sub *Virgine* ſunt hæ Regiones, Achaia, Græcia, Croatia, Carinthia, Arteſia, Creta, Rhodus, Pars Rheni, Sileſia inferior, Meſopotamia, Babylonia, Aſſyria: Urbes iſtæ, Corinthus, Novaria, Cumæ, Hieroſolyma, Brunduſium, Papia, Toloſa, Lugdunum, Lutetia, Baſilea, Heidelberga, Erfurtum, Uratislavia.

Sub *Libra* ſunt hæ Regiones, Auſtria, Alſatia, Livonia, Sabaudia, Delphinatus, Thuſcia, Bactriana, Caſpia, Thebais, Trogloditica: Urbes iſtæ, Ulyſſipona,

Arelatum, Cajeta, Friburgum Brisgoiæ, Argentina, Spira, Francofurtum ad Mœnum, Hala Suevorum, Heilbrunna, Frisingæ, Mosbachium, Landishutum, Vienna Austriæ, Antverpia.

Sub *Scorpio* sitæ sunt Regiones, Norvegia, Bavaria superior, Comagena, Cappadocia, Idumæa, Mauritania, Regnum Fessanum, Getulia, Catalonia: ex Urbibus, Valentia Hispaniæ, Trapezuntum, Urbinum, Aquileia, Pistorium, Tarvisium, Forum Julium, Messana, Vienna Galliæ, Monachium, Francofurtum ad Oderam.

Sub *Sagittario* numerantur hæ Regiones, Hispania, Dalmatia, Slavonia, Hungaria, Moravia, Misnia, Celtica & Arabia felix: Urbes autem istæ, Toletum, Volaterræ, Mutina, Narbona, Avenion, Colonia Agrippina, Stutgardia, Rotenburgum, Buda.

Sub *Capricorno* sunt Regiones, Macedonia, Illyrium, Thracia, Albania, Bulgaria, Græcia, Massovia, Lithuania, Saxonia, Hassia, Stiria, Thuringia, Orcades, India: Urbes, Juliacum, Clivia, Berga, Mechlinia, Gandavum, Oxonium, Vilna, Brandeburgum, Augusta Vindelicorum.

Sub *Aquario* sunt hæ regiones: Media, Æthiopia, Moscovia, Russia, Magna Tartaria, Suecia, Pedemontium, Wallachia, Tractus inter Mosellam & Mosam, Montferrat &c. Ex Urbibus, Tridentum, Hamburgum, Salisburgum, Ingolstadium &c.

Sub *Piscibus* sunt, si Regiones spectes, Cilicia, Calabria, Portugallia, Normandia &c. ex Urbibus verò, Compostella, Hispalis, Placentia, Alexandria, Ratisbona, Wormatia &c.

OBSERVATIO VIII.

De Magnitudine Siderum.

TYcho Brahe celeberrimus Aſtrologus diſtinguit ſex ordines Siderum, aitque terram à Sideribus *primi* ordinis ſuperari centies circiter: *ſecundi*, vigeſies octies: *Tertii*, undecies: *Quarti*, ſexies: *Quinti*, paulò plus, quàm ſemel: *Sexti*, ter minores eſſe terrâ. Alii etiam ſex magnitudines in ſtellis agnoſcunt, ſed alio modo explicant. Stellæ *primæ* magnitudinis ſunt, quæ terram centies & ampliùs excedunt: *Secundæ* magnitudinis ſunt, quæ octogeſies ſepties: *Tertiæ*, quæ ſeptuageſies bis: *Quartæ*, quæ quinquagies quater: *Quintæ*, quæ trigeſies: *Sextæ*, quæ decies octies.

Magnitudinem ſolis declarat ejus diameter & perimeter. Diameter ſolis continet milliaria Germanica 9702. hoc eſt, novem millia, ſeptingenta duo. Perimeter ſeu ambitus complectitur milliaria 30743. hoc eſt, triginta millia, ſeptingenta, quadraginta tria.

OBSERVATIO IX.

De admiranda velocitate ſiderum in motu ſuo.

LUna, ſtellarum omnium, quæ terram integro circulo ambiunt, tardiſſima, quotidie curſu ſuo peragit milliaria Germanica 313543. nimirum trecenta millia, & inſuper tredecim millia, quingenta, quadraginta tria. Idque colligunt Aſtrologi ex eo, quòd Luna ſpatio 24. horarum in ſua ſphæra perambulet gradus 348. Unius horæ ſpatio emetitur Luna milliaria Germanica 13064. hoc eſt, decies ter mille, ſexaginta quatuor. De Velocitate curſûs ſolaris agetur ob ſervatione ſequenti. Stella aliqua Fixa ſub æquatore, unius horæ ſpatio decurrit milliaria Germanica 4504761. videlicet quater millies

millies mille, quingenta millia, quatuor millia, ſeptingenta, ſexaginta, unum. Uno quadrante horæ conficit milliaria Germanica 1126190. hoc eſt, millies mille, centena & viginti ſex millia, centum, nonaginta. Uno minuto quadrantis, hoc eſt, tantillo ſpatio, quo recitari poteſt ſalutatio Angelica, peragrat milliaria Germanica 18770. ſive, decies octies mille, ſeptingenta, ſeptuaginta. Momento denique, quo quis vel unicum pronunciare Verbulum queat, abſolvit milliaria germanica 625.

OBSERVATIO X.

De Receſſu Solis in horologio Achaz: ubi declaratur, quot milliaria Sol in receſſu illo confecerit.

ANtequam declaretur, quot milliaria Sol, recedendo in horologio Achaz, decurrerit, notandum eſt, Solem, qui inter ſuos cœlivagos concurſores nec tardiſſimus, nec velociſſimus eſt, unâ die percurrere milliaria germanica 6199303. id eſt, ſexies millies mille, & centies mille, nonaginta novem millia, trecenta tria. Idque colligunt Mathematici ex eo, quod ſol 24. horis emetiatur circuli ſui gradus 369. Unius horæ ſpatio permeat ſol milliaria germanica 258304. ſive ducenta millia, quinquaginta octo millia, trecenta, quatuor. Et hæc juxta calculum P. Petri Udri docti & accurati Aſtrologi, in Theſibus de ſtellarum Theoria Anno 1630. impreſſis.

Aliter ſentit Cornelius à Lapide, juxta cujus opinionem, *in commentar. cap.* 1. *Geneſ.* traditam, Sol unâ horâ percurrit unum millionem, & centum, quadraginta millia leucarum, quæ ſunt milliaria horaria.

P. Henricus Engelgrave *Tom.* 1. *Concion. Dominic. infra Nativit.* ex computatione Tychonis Brahe aſſerit, ſolem unâ horâ percurrere milliaria Belgica ſeu horaria, quingenta octo millia, & octingenta milliaria, id

eſt

est 508800. idque circa æquinoctium, quo tempore, juxta eundem, distat à terræ centro 1396100. hoc est, uno millione, trecentis, nonaginta sex millibus, & centum leucis Belgicis. Idem Auctor sentit, solem unius minuti spatio conficere milliaria Belgica 8480. Atque hujus supputationis rationem deducit ex distantia solis à centro mundi, quæ tempore æquinoctiorum est mediocris, continetque semidiametros terræ, juxta Tychonem, 1180. Unde si diameter terræ continet milliaria horaria minimùm 1214. consequitur inde, verissimum esse, quod de distantia & cursu assertum est. Ex his omnibus infert P. Engelgrave *loc. supra citat.* Solem, cùm decem lineis seu horis recessit in horologio Achaz, confecisse recedendo quinque milliones, octingenta octo millia Belgicorum milliarium.

DISCURSUS TERTIUS.

EX STOECHIOLOGIA,

De quatuor Elementis.

PRÆFATIUNCULA.

STœchiologia est scientia de quatuor elementis: Terra, Aqua, Aere, Igne. Porrò Elementum est corpus, ex quo corpora mixta componuntur, ipsum autem ex nullo alio elemento componitur, sed est in ea ratione simplex. Quod vero numerus elementorum quaternario nec major sit, nec minor, duplex comprobat ratiocinatio. Prima. *Ignis est levissimus, Terra vero gravissima; ergo congruum est, dari duo alia elementa media; quorum unum, videlicet Aqua, habeat gravitatem prope summam; & al-*

& alterum, videlicet Aër, habeat levitatem prope summam. Atque ita quatuor habemus elementa. Secunda. *Infra cœlum sunt tantùm quatuor spatia: Vnum, quod cœlum attingit, & hoc est summum: aliud, quod maximè distat à cœlo, & hoc est terræ centrum, atque omnium infimum. Præter hæc sunt alia duo spatia: unum prope summum, & aliud prope infimum; ergo quatuor tantùm elementa dari possunt, à quibus prædicta quatuor spatia repleantur: videlicet infimum à* terra, *prope infimum ab* aqua, *summum ab* igne, *prope summum ab* aëre. *Atque ita consurgit quaternarius numerus elementorum.*

CAPUT I.

Vtrum Aer intra Aerem ponderari possit?

CEnseo aërem esse simpliciter gravem, & tantùm secundùm quid levem, nimirum respectu corporis gravioris infra aërem positi. Potest autem pondus aëris explorari, si vas quodcunque aëre in suo naturali statu consistente plenum, expendatur primùm bilance, staterâ, aliove quocunque ponderatorio instrumento, & pondus repertum notetur: deinde aëre extracto iterum ponderetur, & pondus notetur. Erit enim pondus secundo loco repertum, minus, quàm pondus primo loco repertum: differentia igitur inter utrumque pondus, erit pondus aëris, qui antea in vase erat.

Confirmatur, quia vesica aëre plena gravior est, quàm

quàm eadem aëre vacua: ut deprehenderunt P. Ricciolus, Galilæus Galilæi & alii.

CAPUT II.

De tribus Aëris Regionibus, earumque profunditate.

TOta profunditas aëris eſt 52. milliarium Italicorum; quia meteororum materia non ſcandit ſublimiùs. Nam ſummi halitus, qui primi manè radium Solis excipiunt & ultimi retinent veſperi, ac proinde altiſſimi ſunt omnium, qui videri à nobis poſſunt, non niſi 52. milliaribus Italicis, ſeu 13. Germanicis à terra diſtant, ut poſt Alhazenum & Vitellonem Tycho multis approbat experimentis.

Porrò aër in tres dividitur regiones: infimam, mediam & ſupremam.

Infima aëris Regio eſt ſpatium à terra uſque ad nubes, ejusque profunditas eſt medii ſolùm milliaris. Tanta enim eſt intercapedo inter terram & propinquiſſimam nubem. Solet nimirum altitudo hujus regionis definiri reflexione ſeu reſultu radiorum Solis à terra: putantur autem vulgò ſolares radii non altiùs, quàm ad imam & concavam nubium ſuperficiem reſilire. Æſtate tamen altior eſt hæc regio, hyeme ſubmiſſior.

Media aëris regio eſt ſpatium, quod ipſas nubes capit. Ejus convexa ſive ſuprema pars quatuor circiter milliaribus Italicis abeſt à ſuperficie terræ: infima autem pars, 500. circiter paſſibus, ſive dimidio milliari Italico à terra diſtat. Ratio prioris eſt, quia montes quidam, altitudinis perpendicularis quatuor milliarium quandoque cano vertice viſuntur. Igitur nubes, materia earum nivium, eouſque pertingunt. Ratio poſterioris eſt, quia nubes proximæ, quales ſunt atræ illæ & pluentes, vix longiori intervallo dividuntur à nobis, ut liquet

liquet experimento ſubeuntium Italiæ alpes. Itaque profunditas mediæ regionis aëris eſt milliarium 3^{2}_{1}.

Suprema aëris regio eſt ſpatium à convexo nubium uſque ad elementum ignis. Ea deorſum videtur terminari circa quartum à terra milliare; ibi enim incipit media aëris Regio. Habet igitur ſuprema aëris Regio 48. milliaria Italica profunditatis. Ex altitudine enim 52. milliarium, quouſque elevantur ut plurimum ſummi halitus, detrahenda ſolùm ſunt quatuor, pro media & infima Regione.

CAPUT III.

De infectione Aëris, præſertim in locis umbroſis, metalliferis, &c.

NOn ſemper ſuas retinet qualitates aër, ſed aliquando inficitur noxiis. Ex Peruana Provincia in Chilam per montana tendentibus aura occurrit mortifera, antequam viatores id ſatis animadvertant. In monte Peruano Pariacacca aër aſcendentibus vitæ deſperationem parit; excitat namque vomitum tam vehementem, ut ſanguis ſequatur.

Tempore Philippi Regis Macedonum accidit, ut in via quadam inter duos montes, certâ horâ, quicunque eques tranſiſſet, concideret moribundus: idque paſſi ſunt etiam pedites; fuitque cauſa ignota, donec Socrates quidam altè erecto ſpeculo chalybeato, in utroque monte conſpexit duos Dracones contra ſe mutuo exhalantes peſtilentem ſpiritum, cujus vi quidquid interceptum eſſet, extingueretur. Libavius *in lib. de cauſis element.*

Ab aëre umbroſo, in vallibus metallicâ exſpiratione fœtis, periculoſa hominibus cauſſari ſymptomata, notiſſimum eſt. Hinc in campis arſenico & ſpiritibus mercuria-

curia-

curialibus turgentibus, tempore æstivo nullus absque periculo vitæ commoratur. Exspirationes verò ex antimonio & sulphure in aëre nocturno exceptæ, dum poros humani corporis subeunt, hominem sine ulla salutis spe è medio tollunt: ut vel hinc causa pateat, cur quædam loca hominum sanitati tam sint infesta: & cur multi in campis & montibus sub dio dormientes, paralysi, tremore totius corporis, omniumque membrorum convulsione corripiantur. Non aliâ utique de causâ, nisi ob spiritus metallicos ibi latentes.

In campis quoque Romanis valdè periculosus (æstivo præsertim tempore) dormientibus est aër nocturnus; quia videlicet sol æstivus magnam ex visceribus terræ cavernosæ, malignis qualitatibus imbutæ, humorum vaporumque copiam extrahit; qui nocturno aëre frigidiusculo condensati, & ad naturalem statum in umbroso aëre reducti, dum poros dormientium intrant, propriæ substantiæ contagione sanguinem inficiunt atque corrumpunt, quam corruptionem febres malignæ, & has caloris nativi dissolutio, ac tandem mors consequitur.

CAPUT IV.

De mirificis quibusdam naturæ spectaculis, quæ in aëre cujusdam Regionis Italicæ tempore æstivo conspiciuntur.

AUdiamus de hoc argumento differentem P. Athanasium Kircher in Arte magna lucis & umbræ *lib.* 10. *part.* 2. *cap.* 1. Eo maximè tempore, inquit, quo ardentissimus sol æstu fervoribusque mare Mamertinum sive Siculum concoquit, natura quoque inexhaustas supellectilis suæ pictoriæ divitias aperiens, præcipuè Rhegio, vetusto non minùs, quàm veterum Philoso-

ſophorum Lyceis & Academiis celebri Calabriæ oppido, ſpectandas exponit. Contingit enim, ut memorato tempore theatrum quoddam in vaporoſo aëre ſe repente aperiat, tanta rerum varietate adornatum, tanto ſcenarum apparatu, ut nihil ferè ibi ſit, quod non ſe ſpectandum exhibeat: caſtellorum ordinatiſſimè diſpoſitorum architectura, palatiorum ædificiorumque ad omnes perſpectivæ regulas, infinito columnarum ordine projectorum, mira quædam magnificentia: in eorum paulatim evaneſcentium locum ſuccedente ſcena Catoptrica. Videas hic umbroſos ſilvarum tractus, cypreſſorum, aliarumque arborum in quincuncem mira ſerie diſpoſitarum ordines, campos immenſos hominum turmis, boum armentis, oviumque gregibus refertos: omnia tanta colorum varietate, tum artificioſa lucis & umbræ miſtura, tam vivis geſtibus, ut nihil ſimile humana videatur induſtria producere poſſe. Vocant autem Rhegini hoc ſpectaculum Morganam. Et cùm hæc res paucis nota ſit, eam hoc locó pertractandam ſuſcepi.

Ego ſanè cùm Anno 1636. Meſſanam tranſiens multa de prodigioſa hujuſmodi paraſtaſi admiratione digniſſima intellexiſſem, Rhegium me contuli, ubi multi è peritioribus oppidi incolis circa hoc naturæ miraculum conſulti, omnes ita ſeſe rem habere, ut referri audieram, affirmarunt.

Ut verò ſolidiùs circa naturæ prodigium tam admirabile philoſopharer, ſitum loci, naturam terræ, vaporem maris ſumma diligentia obſervavi: quibus quidem facilè in tam reconditorum effectuum cauſam deveni.

Primò enim obſervavi montem è regione Siciliæ Rhegio oppoſitum, nigro quodam tractu in Pelorum deſinentem, littora verò, uti & fundum maris, multam glaream ſive arenam ex ſelenite, antimonio, vitro alia-

que materia pelluſtri conflatam, ex vicinis montibus, dictis mineralibus refertis, devolvere, quæ intenſiſſimo ſolis calore, unà cum vapore in ſublime exaltato, diverſas & varias ſuperficies conficiat. Hæ craſſioribus in medio vaporibus montique oppoſitis, umbroſo tractu quaſi opacatæ, in ſpeculum polyedrum omnibus numeris abſolutiſſimum tandem coaleſcunt. In hoc igitur ſpeculo, varium ad oculum ſitum habente, varia quoque rerum objectarum ſimulachra reflectuntur.

Columnarum artificioſa ſeries contingit, vel ex una columna in littore conſiſtente, quæ in infinitam columnarum multitudinem multiplici reflexione ſua abit: eadem prorſus ratione, qua vel unũ ſimulachrum inter duo ſpecula ſibi recta oppoſita, infinitam intra dicta ſpecula ſimulachrorum ſimilitudinem reflectere videmus. Ita unus homo variè intra ſpeculares nubium ſuperficies ſæpiuſque reflexus exercitum repræſentat. Idem de arboribus & animalibus dicendum.

At quid cauſæ eſt, quòd columnis ſuccedant alia objecta, veluti arborum, caſtellorum, animalium &c.

Reſpondeo eam eſſe cauſam, quòd oculus noſter ad diverſas ſpecularis vaporis perpetuò mobilis ſuperficies diverſimodè ſe habeat; Ex hoc enim oritur, quòd juxta regulas angulorum incidentiæ & reflexionis, res quoque diverſæ ſub conſtituto angulo videantur, prout ſpecularis vaporis ſuperficies eas in oculos reflexerit.

Sed mirantur hoc loco nonnulli, quo modo ſpecularis illa materia arenoſa elevetur. At hi mirari deſinent, ubi vehementem attractionis vim, qua Sol, dum vapores elicit & allicit, unà ſecum diverſas rerum materias in altum ſublevare ſolet, penitiùs conſideraverint. Conſtat certè, arenulas, pilos, paleas, feſtucas, ſimileſque

que quisquilias passim in grandine globosa reperiri: quæ manifesta sunt indicia dictas res una cum vapore in aërem elevatas, ibidem vapore resoluto commixtas, deinde vi frigoris concretas, denuò in terram decidisse. Imò Meteorologi docent, quandoque saxis, lignis, ferro, ranis, similibusque animalculis pluisse: quæ profectò in suprema aëris regione crescere non potuerunt, nisi priùs illuc attracta materia. Eandem ob causam vitrea illa materia subtilissima & pene insensibilis, una cum vapore maris elevata, in specularem superficiem conformatur.

Ex dictis hactenus declarari possunt quædam Historiæ, quas plerique tanquam inania hominum figmenta exsibilant.

Refert Pomponius Mela, in Mauritania retro Atlantem regiones esse, in quibus circa meridiem intra montes varia spectra comparere soleant, quæ gestus hominum in omnibus æmulentur. Videas ibi choreas, audias tubarum tympanorumque strepitus.

Refert quoque Plinius, intra Imaum in Scythia regionem esse, in qua quotannis in vasta planitie appareant varia spectacula rerum, sub figura hominum atque animalium, & instar exercitus; quibus viatores non rarò in avia & devia præcipitia deducantur.

Ad flumen Oby refert Haithon Armenus regionem esse, ad quam nullus adhuc penetraverit, ob formidabilium spectrorum, quæ ex illa fluminis parte comparent, multitudinem. Ibi quoque hinnitus equorum, balatus ovium, hominumque vociferationes audiri frequentissimas testatur; ita ut hanc Diabolorum regionem existimantes, horroris causa nemo adhuc tentaverit.

Quæ quidem omnes recensitæ historiæ, per naturalia illa phasmata in vaporoso illo vitro ceu speculo quo-

dam exorientia, optimè explicari & salvari possunt. Fieri enim potest, situm, naturamque locorum talem esse, qualem in freto Siculo supra descripsi, in quo certis anni temporibus vapores vitrei elevati, ceu speculis monstrent horrenda illa phasmata, quæ ignorantes tantopere perhorrescunt. Quòd verò variæ animalium voces audiantur, id ad voces animalium vicinorum in concava rupe, aut monte reflexas referri debet. *Athanasius Kircher in Arte magna Lucis & Umbræ lib.* 10.

CAPUT V.

An dari possit ignis, qui nec pluviâ, nec vento extingui possit?

DAri posse flammam ignis tam validam, ut nullo ventorum turbine, aut vehementia imbrium extingui possit, certo constat experimento, quod se fecisse testatur P. Athanasius Kircher *in art. magna lucis & umbræ lib.* 10. *part.* 2. ubi modum talem flammam conficiendi his verbis exponit: Accipe vernicis libras 10. sulphuris vivi libras 4. olei resinæ libras 2. salnitri libr. 1. olibani libras 11. camphoræ uncias 6. petrolei libram 1. aquæ vivæ optimæ uncias 14. hæc mista simul lento igni exponantur, & fiet mistura, quâ imbutæ stupæ & in ollis positæ, succensæque reddunt ignem inextinguibilem.

Idem alio faciliori modo peragi potest. Accipe sulphur purissimum, quod cum cera æqualiter dissolutum præstat intentum, si ex ea mistura candelam formaveris.

CAPUT VI.

An arte Chymica ignis æternus, sive jugiter ardens confici possit?

TRithemius, referente Bartholomæo Korndorffero

in aureo vellere, per artificia Chymica ignes æternos procuravit. Operatio sic se habet: Misce sulphuris, & aluminis calcinati quaternas uncias, & in sublime actis flores confice. Florum sextantem cum semuncia junge Boraci Crystallino Veneto unciali, inque concha vitrea contritis, affunde spiritum vini quater destillatum, & facta digestione abstracto illo, novum repone, idque repete bis, ter, vel quater, donec sulphur in ærea lamina candefacta sine fumo, instar ceræ fluat. Hoc pabulum est. Postea adornandum est etiam ellychnium hac arte. Asbesti lapidis filamenta, longitudine ferè digiti auricularis, crassitie verò media, colligantur serico albo. Factum inde ellychnium in vitro veneto, sulphure, seu alimento prius purgato conspergitur, tumulaturque, & in arena calente horis 24. decoquitur, ebulliente semper sulphure: Inunctum, delibutumque sic ellychnium, disponitur in concha vitrea, ut emineat paululum: aggeritur sulphur præparatum, concha in arenam calentem infertur, ut liquescat sulphur, & comprehendat ellychnium. Atque hoc incensum ardet jugi flamma, & est ignis æternus, poterisque lampadem quolibet loco reponere. Hæc praxis ab Artis Chymicæ ignaris non satis intelligi, nedum in opus deduci poterit.

CAPUT VII.

Observationes curiosæ de nonnullis ignibus, qui miris qualitatibus præditi sunt.

OBSERVATIO I.

De Igne, manum admotam non adurente.

PRope Pataram Lyciæ Urbem, flamma in campo ejicitur (inquit Jonstonus *in Thaumatographia*

classe 2. artic. 5.) cui si manum admoveas, sentis ardorem, adustionem nunquam experieris. Causa in partes aëris ambientis frigidi & humidi refundenda est. Hæ enim cùm flammam propter raritatem ingrediantur, infringunt ustionem.

OBSERVATIO II.

De quibusdam rebus, quæ ab igne non læduntur.

Ligna & tabulata, alumine (addo & ovis) illita non ardescunt, si fides habeatur *histor. natur. lib. 29. cap. 3.* nec postes viridi imbuti colore ab igne læduntur, dummodo durior ipsis obducatur crusta, atque alumen, plumbique albi cineres copiosè pigmentis commisceantur. Nam densitatem & duritiem ligni, tali crustâ obducti, non penetrat ignis. Hinc Romanæ historiæ scriptores testantur, turrim quandam ligneam alumine oblitam, à Sylla Romanorum Duce & Dictatore exuri non potuisse.

Si quis poculo stanneo aquâ frigida priùs repleto filum circumligaverit, deprehendet is hujusmodi filum ab admota flamma nequaquam aduri posse, quod tamen carbo ignitus comburet. Cujus rei causa alia non est, nisi naturale frigus aquæ & metalli, quod dum in flammam admotam reagit, eam instabilem & vagam reddit: qua instabilitate filum ab omni læsione servabitur, Idem continget, si quis folium chartæ cono flammæ alicujus candelæ immediatè admoverit, & ex superiori parte in illud vehementer insufflaverit; flatu enim frigefacta charta, nullum à flamma supposita nocumentum accipiet.

Quid dicemus de Pyrrho Rege Epirotarum, in cujus majorem dextri pedis articulum nil ignis potuit, teste Jonstono supra citato.

OBSER-

OBSERVATIO III.

De miris proprietatibus ignis Puteolani.

IN Puteolano monte ſulphureo ignis eſt manans, qui neque oleo, neque cera, aut quolibet pingui, ne ſulphure quidem accenditur, aut augetur, neque aqua reſtinguitur, aut accenditur, ſtupam quoque injectam non adurit, nihil denique ex eo accendi poteſt luminis. Majolus *colloquio* 22. non ignem, ſed igneam exiſtimat aquam.

OBSERVATIO IV.

De repentino ortu ignis in ædificiis.

ORitur interdum ignis in ædificiis tam ſubitaneus & inopinatus, ut prodigioſus videri poſſit. Id Cardanus *lib.* 10. *de varietate cap.* 49. adſcribit ſalſedini & ſalinitro, quod vetuſtis murorum parietibus adhæret.

CAPUT VIII.

An elementum aquæ ſit altius & elevatius elemento Terræ, aut contra?

CEnſeo aquam (ſaltem in quibusdam locis) quoad ſitum eſſe inferiorem, & depreſſiorem terra. Patet id in Mari ſeu marina aqua, quæ ſi eſſet altior terra, navis, cùm è portu diſcedit, tardiùs moveretur, quia tunc aſcenderet, quàm cùm ad portum tendit, quia tunc deſcenderet: hoc autem refragatur experientiæ; ergo aqua marina non eſt ſuperior, ſed inferior terra. Atque hanc rationem ab experientia petitam, alia confirmat experientia: quæ, ut teſtatur P. Oviedo *in Curſu Philoſophico*, probat, illis, qui è Luſitania in novam Hiſpaniam navigant, poſtquam per quindecim gradus ex portu diſceſsêre, una hora tardius oriri & occide-

re ſolem, quam iis, qui in Luſitania exiſtunt: quod non ita contingeret, ſi mare eſſet terra eminentiùs; quia ſemper loca eminentiora citiùs quàm depreſſiora à radiis Solaribus illuminantur.

CAPUT IX.

De admirandis variarum aquarum proprietatibus.

IN Mileto (inquit Jonſtonus *in Thavmatographia claſſe 2. cap. 3. artic. 2.*) eſt aqua fontana, cujus partes inferiores ſalſæ, ſuperiores dulciſſimæ ſunt.

Juxta littora Cubæ eſt fluvius ita perennis, ut navigari poſſit; at aquæ illius ita fervent, ut manibus contrectari non poſſint. *Martyr in Sum. Ind.*

Trochlotes fluvius in Aquilonari Norwegia tantum currendo fragorem edit, ut ad viginti milliaria exaudiatur. *Olaus lib. 2. cap. 28.* Beca quoque in Livonia tam ſonoro & vehementi lapſu è ſcopulis ruit, ut vicinos reddat ſurdaſtros. *Ortelius in Livonia.*

Narva Lithuaniæ fluvius eſt, cujus aquas quam primùm ſerpentes attigerint, edito ſibilo refugiunt. *Cromerus in deſcript. Poloniæ lib. 1.*

In Anglia propè novum caſtrum eſt lacus Myrthous dictus, cujus pars ſemper etiam per æſtatem gelu concreta, pars ne hyeme quidem conglaciata eſt. *Thuanus in hiſtor.*

Aqua Nili feminas ita fecundas reddit, ut uno utero quaterni & ſeni gignantur, *Plinius in hiſtor.*

Abſtemius fit, qui è lacu Clitorio biberit; obliviоſus, qui è fonte ad Trophonium.

Lacus Agrigentinus in Sicilia ſuſtinet ea, quæ aliàs in aqua non natant. In Aſphaltite lacu homo manibus, pedibusque ligatus non mergitur. Teſtatur certè Hieronymus Florentinus, ſe vidiſſe decoctorem quendam

dam in aquas illas à præalta turri præcipitatum, nocte integra sine periculo submersionis in lacu permansisse. Causa nimiæ salis misturæ adscribitur. E contrario lacus quidam in Æthiopia tam liquidus est, ut ne folia quidem à proximis arboribus delapsa sustentet.

In Cyrenaica Provincia fons quidam, dictus fons solis, mediâ nocte fervet, mox sensim tepescit, dein ad primam lucem friget; & quò sol magis attollitur, eò fit frigidior, adeò ut meridie rigeat: tum rursus paulatim tepescit; dein ad primam noctem calet: Idem fons singulis diebus, ut ad medium diem fit frigidus, ita & dulcis; ut ad mediam noctem fit calidus, ita & amarus. *Jonston. sup. cit.*

CAPUT X.

De ingentibus aquarum inundationibus.

Anno 1095. in Syria ingens aquarum inundatio innumeros homines oppressit. Fuitque hoc diluvium prædictum ab Astrologo Mahumetano, argumento conjunctionis omnium Planetarum (*Alstedius Chronolog. c. 25.*) excepto Saturno, in signo piscium; quod diluvium fuerit simile Noëtico, in quo omnes septem Planetæ coierint in uno signo.

Anno 1164. tanta fuit aquarum inundatio in Frisia, ut omnem maritimam involvens terram, multa hominum millia consumpserit. *Kranz. lib. 4. c. 4. Vandal.* Similiter anno 1218. in eadem Provincia centum millia hominum exundantibus aquis perierunt. Similes inundationes in Hollandia, Selandia, Frisia &c. Anno 1287. 1421. 1530. acciderunt.

Anno 1509. mense Septembri mare inter Peram & Constantinopolim ita intimuit, ut mœnia Constantinopolitana excederet; quo tempore in ea Urbe sedecim millia hominum perierunt. *Surius in hist.*

Anno 1604. grande aquarum diluvium afflixit Britanniam, quod verbis Thuani *hist. lib. 138.* commemorabo. Maxima, inquit, diluvies fuit in Sommersettensi provincia, ad viginti milliaria in longitudinem, in latitudinem quinque effusis aquis, quæ Hunsfeldiam oppidum, Granthanium, Kenhusium, & Kingsonium pagos, cum multis ædibus per convalles sparsis merserant. Videre erat homines in agro deprehensos, lignis dirutarum domorum insidentes, ubique fluitare, ad quos scaphæ tandem immissæ, quæ plerisque in tempore præsto fuêre, fœnum in cumulos, ut fit, congestum, & trabibus ligneis impositum, undis ubique innatare cernebatur. Et columbæ, cùm aliunde pastus deesset, suibus immistæ, aristis frumenti in pyramides coacervati insidentes, granis fortè oblatis vescebantur; quin & cuniculi è foveis vi aquarum exclusi, in tergo ovium considere, & donec cum ovibus ipsis mergerentur, diu fluctibus innatare visi. *Hactenus Thuanus.*

CAPUT XI.

De magnitudine Terræ, ejusque distantia à corporibus cœlestibus.

MAgnitudo terræ continet in se milliaria germanica (quorum quodlibet duas requirit horas) quinquies mille, quadringenta. Quod inde colligunt Cosmographi, quia unus gradus cœlestis facit in terra milliaria germanica quindecim; ex quo sequitur, quòd 360. gradus constituant milliaria 5400. Diameter terræ complectitur milliaria germanica mille, septingenta, octodecim.

Tota terra superatur à magnitudine solis centies sexagies. Planeta Saturnus, juxta calculum Clavii, excedit

cedit terram nonagies ſemel. Jupiter terram magnitudine ſuperat decies quater : ſecundùm alios, nonagies quinquies. Mars terram magnitudine excedit ſemel. Contrà, Luna tricies novies minor eſt, quàm terra. Venus à terreſtri globo ſuperatur, juxta Tychonem, ſexies; juxta Clavium, ſeptuagies: Mercurius verò ducenties decies novies; ſecundùm Tychonem non niſi decies novies.

A terra uſque ad Firmamentum ſunt milliaria germanica 38893500. hoc eſt, tricies octies millena millia, octingenta, nonaginta tria millia, quingenta milliaria. In ſententia P. Henrici Engelgrave *Tom. 1. Domin. Septuageſ.* diſtantia illa terræ à firmamento complectitur milliaria horaria ſeu Belgica 17360986. id eſt, ſeptendecim milliones, trecenta ſexaginta millia, nongenta, octoginta ſex. A terra ad Solem ſunt milliaria germanica 964361. ſive nongenta millia, ſexaginta quatuor millia, trecenta, ſexaginta unum. A terra ad Lunam numerant Mathematici, teſte Clavio *in ſphæram Joan. de ſacro boſco cap. 1.* milliaria germanica 55183. hoc eſt, quinquaginta quinque millia, centum, octoginta tria.

DISCURSUS QUARTUS.

EX METEOROLOGIA,

De variis Cometis, qui diverſis mundi temporibus obſervati fuerunt, deque funeſtis eventibus, qui eos plerumque ſubſecuti ſunt.

PRÆFATIUNCULA.

M*Eteorologia eſt ſcientia de Meteoris, hoc eſt, de corporibus quæ ex vapore & exhalatione*

in

in sublimi aëre generantur. Quòd enim Græcis est Meteoron, *hoc Latinis est* sublime. *Porro Meteora, sive corpora, quæ ex vaporibus & exhalationibus in sublimi gignuntur, sunt triplicia: videlicet* ignita, *ut Cometæ, fulmina &c.* aquea, *ut pluviæ, nebulæ, nives, &c.* aërea, *ut venti &c. Quibus aliqui addunt* terrea, *ut terræ motus &c. Sed cùm hæc non generentur in sublimi, non nisi abusive dici possunt Meteora.*

ANno mundi 3483. Cometa in cœlo visus est, & lapis è sole decidit in flumen Ægos; quòd priusquam fieret, Anaxagoras Glazomenius futurum prædixerat. Atque hic lapis teste Plinio *Lib. 1. cap. 58.* in locis illis ostenditur, estque colore adusto, & magnitudine vehis. Porrò flumen illud est situm in Thracia, ad cujus ostia classis Atheniensium à Lysandro capta fuit.

Anno mundi 3798. post mortem Demetrii, Syriæ Regis, Cometa horrendæ magnitudinis exarsit; qui (si vera narrat Camerarius *lib. 2. de ostentis*) claritate luminis ignei & rutilantis, tenebras nocturnas dispulit, & magnitudine solem æquavit.

Anno mundi 3947. paulò ante nativitatem Christi conspectus est Cometa, de quo, utpote nativitatis Christi, & Christianæ religionis prænuncio, Sibylla Augusto Cæsari consulenti respondit: *Puer, quem hic Cometa designat, te major est, hunc adora.*

Anno à nativitate Christi decimo tertio visus est Cometa, eodemque tempore contigit celebris illa clades Quintilii Vari, à Germanis Duce Arminio cæsi. Erat hic Varus tempore Augusti Cæsaris Galliæ Cisalpinæ, & Romano exercitui in Germania præfectus; qui dum fœderibus nuper initis plus satis confidit, & à belli cogitatione

gitatione ad jus dicendum se convertit, repente ab Arminio circumventus, & cum tribus Legionibus obtruncatus fuit. Mortem ejus deplorat Horatius *lib. 1. Carm.*

Anno Christi 16. sanguinolenti Cometæ mortem Augusti Cæsaris denuntiarunt.

Anno Christi 56. visus est Cometa, & pluit sanguine, eodemque anno obiit Claudius Imperator.

Anno Christi 57. conspectus est Cometa cum tribus solibus, & evectus ad imperium Nero, Mortalium crudelissimus, qui propriam Matrem, Uxorem & Præceptorem Senecam interfecit, fuitque Imperium illius perpetuum Latrocinium, si excipias jactatum vulgò quinquennium ipsius.

Anno Christi 62. apparuit Cometa sex mensibus, qui sævitiam & tragicum exitum Neronis portendit,

Anno Christi 66. Cometa arsit sex mensibus; quem secutus est terræ motus, quo Laodicea, Hierapolis, & Colossæ in Natolia fuerunt afflictæ.

Anno Christi 68. & 69. Cometa gladio flammivomo similis, & imminens Urbi Hierosolymæ, in Judæa & alibi est visus: qui excidium Urbis sanctæ portendit.

Anno Christi 78. exortus est Cometa, subsequente horribili terræ motu, quo apud Cyprum, & alibi multæ Urbes corruerunt.

Anno Christi 79. monstratus fuit Cometa Vespasiano Cæsari, qui per jocum dixit, hoc crinitum prodigium pertinere ad Regem Parthorum, qui comam nutriret. Sed Vespasianus paulò pòst mortuus est, & secuti sunt horribiles venti, terræ motus, & pestis, præsertim in Urbe Romana.

Anno Christi 181. visus est Cometa, qui à barbæ similitudine appellatur pogonias. Tum temporis subitò con-

conflagravit templum pacis Romæ, & bella multa ſecuta ſunt, Urbsque plurimis,maximisque laboravit incommodis , quorum cauſam homines in Commodi Imperatoris flagitioſam vitam retulerunt.

Anno Chriſti 323. Cometæ varii præceſſerunt peſtilentem Arii hæreſin.

Anno Chriſti 337. Cometa denunciavit mortem Conſtantini Magni, & infinita mala, quæ ſecuta ſunt. Nam tres filii Conſtantini de ſumma Imperii contenderunt, & Chriſtiani immanibus periculis fuerunt expoſiti.

Anno Chriſti 377. Cometam exceperunt terræ motus ferè per totum orbem, adeo ut mare egrederetur littora, & multæ Urbes, innumerique populi opprimerentur.

Anno Chriſti 410. conſpectus eſt Cometa enſiformis, qui multa portendit mala. Nam Roma capta fuit ab Alarico Rege Gothorum, & calamitates , tam in oriente, quàm in occidente variæ acciderunt. Tanta enim eo tempore cædes hominum facta eſt, quantam ætas nulla à mundo condito novit. Tota Europa concuſſa, pars Aſiæ non exigua attrita eſt, nec Africa horum malorum expers fuit. Bellum, Fames, Siccitas certatim infeſtarunt orbem. Tanta etiam fuit Solis eclipſis,ut ſtellæ medio die refulſerint.

Anno Chriſti 418. fulſit Cometa, quem ſeditio in univerſa Italia & Hiſpania ſecuta eſt.

Anno Chriſti 448. Cometa multis diebus micante, factus eſt terræ motus. Attila quoque magnam partem Italiæ afflixit, & multas præclaras Urbes diripuit. Quo tempore exules confugerunt in eum locum, ubi hodie ſunt Venetiæ, quæ circa hoc tempus fuerunt conditæ.

A nno Chriſti 453. & 454. Cometæ, terræ motus, & alia portenta apparuerunt. Attila poſt longam obſidio-

ſidionem captâ Aquileiâ, Vincentiam, Veronam, Mediolanum, Ticinum, Auguſtam Rauracorum, Argentinam, Wormatiam, Coloniam, aliasque Rheni civitates pari terrore pervaſit: qui tandem ab Aëtio in campis Catalaunicis magno prælio devictus eſt.

Anno Chriſti 459. Cometa viſus eſt, & alia prodigia acciderunt, poſt quæ peſtis inguinaria multos abſumpſit.

Anno Chriſti 488. inſoliti Cometæ apparuerunt, & ſecta Arianorum longè lateque graſſata eſt.

Anno Chriſti 519. viſus eſt Cometa barbatus, qui portendit terræ motum, quo multæ urbes hominesque perierunt.

Anno Chriſti 550. Cometa in forma lanceæ apparuit, & Roma capta eſt à Totila, Hunnique devaſtarunt Franconiam & Thuringiam.

Anno Chriſti 594. apparuit horribilis Cometa, quem ſecuta ſunt multa mala, nominatim ſiccitas, annonæ caritas, bellum Longobardorum in Italia, & agmina locuſtarum ibidem.

Anno Chriſti 602. Cometa maximus eſt viſus, & innumera alia eaque horrenda prodigia acciderunt, quæ cædem Mauritii Imperatoris, & futuras Mahometis Pſeudoprophetæ calamitates portenderunt.

Anno Chriſti 633. viſus eſt Cometa figurâ acinacis, ſeu gladii Turcici, & circa idem tempus Saraceni Damaſcum, Hieroſolymam, & Syriam totam occupaverunt.

Anno Chriſti 675. tribus continuis menſibus apparuit Cometa, quo tempore Saraceni Romanum Imperium vehementer afflixerunt. Nam magnâ claſſe venerunt in Siciliam. Bellarminus hunc Cometam refert ad ann. 678. & addit, tribus annis ſequentibus non pluiſſe.

Anno Chriſti 729. duo Cometæ viſi ſunt, & ingens

peſtis

peſtis totum orbem pervaſit, quæ urbem Conſtantinopolitanam præcipuè afflixit, ubi 300000. hominum interiêre. Non multò poſt Luitprandus Longobardorum Rex Romam obſedit, & Saraceni Carthagine ex Africa moventes, in Hiſpaniam navigarunt, ejusque Provinciæ partem occuparunt.

Anno Chriſti 763. Cometam ſecutum eſt magnum frigus, & poſt frigus uredo: Turcarum quoque potentia crevit, poſteaquam Anno 761. in Armeniam irrupiſſent.

Anno Chriſti 814. ante obitum Caroli M. apparuit ſingularis & terribilis Cometa. Unde Imperator attonitus, Eginardo Philoſopho dixit, mutationem regni, mortemque Principis per cometam deſignari. Verùm Philoſophus nolens eum contriſtare, adduxit locum illum Prophetæ: *A ſignis cœli nolite timere.*

Anno Chriſti 840. & ſequentibus duobus tres cometæ ante diſſenſionem & bellum filiorum Ludovici Pii Imp. propter diviſionem Regni exortum, apparuerunt. Quo tempore etiam Saraceni ex Africa in Italiam irruperunt, & Romam diripuerunt.

Anno Chriſti 905. apparuit cometa, & mox Hungari Germaniam vaſtarunt. Berengarius quoque Rex Italiæ Ludovicum Regem Longobardorum oculis privavit.

Anno Chriſti 912. cometæ aliquot ſunt viſi, & non multò poſt Hungari Italiam ingreſſi, multas viciſſim intulerunt, acceperuntque clades, & ſecuta eſt magna inundatio aquarum, præſertim in Saxonia.

Anno Chriſti 942. apparentes cometæ portenderunt bellum, famem, & mortem animalium omnis generis.

Anno Chriſti 1006. qui fuit annus tertius Henrici II. Imperatoris, cometam, & alia prodigia exceperunt

fames & peſtis, è quibus hæc adeò invaluit, ut ſepelientium tædio, vivi adhuc, ſpiritumque trahentes, cum mortuis ſepelirentur. Peſtis illa duravit triennium, & multa oppida planè exhauſit.

Anno Chriſti 1017. 1031. 1038. 1043. 1058. obſervati ſunt cometæ: quorum primum peſtis & bellum in Polonia, ſecundum fames, eluvio & peſtis, tertium ſeditio in Italia, quartum bellum in Hungaria, quintum fames in Polonia, & mors Regis conſecuta ſunt.

Anno Chriſti 1095. 1096. 1097. 1099. 1101. 1106. 1107. 1109. 1110. 1112. totidem Cometæ fuerunt conſpicui, multarum calamitatum prænuncii. Nam Henricus V. infandâ impietate Parentem ſuum Henricum IV. ab imperio remotum, & Bingæ in Tractu Rhenano captum, indignis modis tractavit. Secutum deinde eſt bellum ſacrum, quod multis annis duravit, & toti orbi Chriſtiano fuit inauſpicatiſſimum. Nam magnâ Chriſtianorum jacturâ geſtum eſt. Acceſſit fames & peſtis miſeranda per totum ferè orbem, cum funeſtiſſimo bello inter Henricum V. Imperatorem & Saxonem, in quo quinquies depugnatum eſt multo ſanguine, & plurimi præſtantiſſimi Principes perierunt.

Anno Chriſti 1145. exortus eſt cometa, & cum eo bellum inter Saxones, Vandalos & Polonos. Nobiles quoque in Haſſia rebellarunt.

An. Chriſti 1211. apparuit grandis cometa, irruentibus anno ſequenti Tartaris in Poloniam & Sileſiam, ubi magnam hominum multitudinem trucidarunt, & ſingulis abſcinderunt unam auriculam, ut ſcirent numerum occiſorum.

Anno Chriſti 1223. fulgente in Gallia cometâ, exorta ſunt illa celebratiſſima inter Guelfos & Gibellinos diſſidia: Guelfis Papam, Gibellinis Fridericum II. Imperatorem ſequentibus.

Anno Christi 1240. apparuit cometa, Tartaris anno sequenti magno cum exercitu in Poloniam irruentibus, & omnia cæde flammaque vastantibus: qui, postea per Moraviam ingressi Hungariam, tribus annis eam misere afflixerunt. Eodem anno in Burgundia terribilis terræ motus duos montes loco movit, & multos homines oppressit.

Anno Christi 1305. conspectus cometa, & pestis per universum orbem grassata fuit.

Anno Christi 1313. & quatuor annis sequentibus fulsit cometa. Hoc tempore Henricus Lucenburgicus Imperator veneno est sublatus à Monacho. De Imperatore eligendo facta est contentio sive bellum civile, quod integro octennio gravissimè afflixit Germaniam.

Anno Christi 1390. cometam inauditi & incurabiles morbi secuti sunt.

Anno Christi 1400. 1401. 1402. 1403. totidem cometæ terruerunt orbem, quos ingentes calamitates pede non tardo subsecutæ sunt. Nam varii & inauditi morbi grassati sunt, amnes exaruerunt, pestilentia sævíit; Tamerlanes Scytharum ac Parthorum Rex, cum innumerabili exercitu Asiam invasit, & seipsum appellavit iram Dei ac vastitatem terræ; Sigismundus denique Imperator in Ziscam Hussitarum Ducem infeliciter pugnavit.

Anno Christi 1433. apparuit cometa maximus, quem secuta est annonæ caritas sex annorum.

Anno Christi 1457. cometa, quem nigrum appellarunt, variè hominum mentes affecit. Eum secuta est mors Alphonsi Regis Arragonum, quæ Æmiliam, Sabinam, Campaniam, universumque Regnum Neapolitanum & longo & gravi bello implicavit; Turcæ occuparunt Peloponesum, postquam Anno 1456.

Mity-

Mitylenen, Lemnum, Eubœam, & Anno 1454. Constantinopolim expugnassent, atque Anno 1444. Uladislaum Regem Hungariæ ad Varnam cecidissent.

Anno Christi 1460. visus est cometa: quo tempore victoriosissimus adversùs Christianos fuit Mahumetus II. Imperator Turcarum, qui inde ab anno 1451. duo Imperia & duodecim regna subjugavit.

Anno Christi 1472. duo cometæ apparuerunt, & secutæ sunt epidemiæ cum bellis in diversis mundi partibus, atque anno sequenti æstas ferventissima. Pestis adeò sæviit, ut cognati proximi desererent suos. Carolus Burgundiæ Dux adversùs finitimos eo impetu movit arma, ut multorum etiam annorum bellum excitaverit, quod finitum est ejus morte. Stephanus Moldaviæ Palatinus magnâ pugnâ vicit Mahumetum Turcarum Imperatorem.

Anno Christi 1477. arsit cometa, quem excepit ferventissima æstas, adeò quidem, ut non solùm fruges fuerint exsiccatæ, sed etiam integræ silvæ accensæ, magni insuper fluvii exaruerint, sævaque pestis grassata sit. Eodem anno Carolus Burgundiæ Dux ab Helvetis cæsus fuit, multique Principes obierunt.

Annis Christi 1491. & 1500. apparuerunt cometæ: & priori quidem anno Turcæ bonam partem Dalmatiæ & Slavoniæ occuparunt, posteriori verò Tartari Poloniam devastarunt, Moscovitæ Lithuaniam. Parvæ cruces ex aëre deciderunt.

Anno Christi 1523. apparuit cometa, quem secuta est æstas plena cataractis nubium, terræ motibus, variisque tempestatibus. Exortum est bellum rusticorum Anno 1525. & Franciscus I. Rex Galliæ ab exercitu Caroli V. ad Ticinum captus.

Anno Christi 1527. visus est cometa terrificus caudâ oblongâ sanguinei coloris, Turca Hungariam vasta-

vit. Agmina locustarum hinc inde multum damni dederunt.

Anno Christi 1529. quatuor cometæ apparuerunt. Turca Viennam obsidione cinxit, multasque urbes in Hungaria occupavit. Sudor Anglicus hoc tempore aliquot myriadas hominum sustulit.

Anno Christi 1530. cometa in sublimi conspectus fuit; non sine magnis calamitatibus subsequentibus. Nam Tiberis inundavit Romam,& aquæ in Hollandia ac Selandia multa oppida pagosque obruerunt.

Anno Christi 1539. fulsit cometa, fuitque anno sequenti æstas ferventissima, quæ ipsas etiam silvas incendit, & flumina, fontesque exsiccavit.

Anno Christi 1541. Cometam secuta est pestis,& expugnatio Budæ in Hungaria. Carolus V. infeliciter trajecit in Africam, multis navibus & militibus procellosâ tempestate pereuntibus.

Anno Christi 1542. Cometam secuta sunt agmina noxiarum locustarum. Expeditio Christianorum in Turcam malè cessit, militibus morbo epidemico magnam partem extinctis. Vinum adeò acidum fuit, ut bibi non potuerit. Appellatum est autem vinum Turcarum ab infelici expeditione,cujus modò facta est mentio.

Anno Christi 1618. apparuit cometa, ut Astronomorum dissertationibus, ita publicarum calamitatum multitudine, diuturnitate, & atrocitate famosissimus: de cujus motu audiamus Erycium Puteanum *lib. 1. Paradoxologiæ pag. 32. 33.* Quinto Kalend. Decembris, inquit, horâ quintâ post mediam noctem, in signo Libræ, primò se spectandum præbuit, & moveri in Septentrionem cœpit, medius inter Virginem & Serpentem. Permeavit hinc Booten, relicto ad sinistram Arcturo. Postquam verò circa Idus Decembris ad lævum

vum imaginis hujus brachium perveniſſet, majori jam Urſæ imminens, libratâ velut lineâ, duas extremæ caudæ ſtellas excepit, & occidere nobis deſiit: ſic quidem deinceps & matutinus, & veſpertinus, orientalis & occidentalis, Lucifer & Heſperus, totius, ut ſic dicam, jam noctis Sidus. Brumæ die manum Arctophylacis occupans, extremam Urſæ ſtellam, ſed radiis jam multùm contractis ac dilutis, æquavit, ad reliquas duas obliquè porrectus. Paucis adhuc diebus ſervavit curſum, & magis magisque imminui cœpit, donec evaneſceret. *Alſtedius in Theſauro Chronologiæ lib. V.*

DISCURSUS QUINTUS.

EX LITHOLOGIA.

De Natura variorum Lapidum.

PRÆFATIUNCULA.

Lithologia eſt Scientia de Lapidibus, quæ ſub Nerterologia, ſeu Oryctologia, tanquam ſpecies ſub genere continetur. Eſt autem Nerterologia ſeu Oryctologia ſcientia de mineralibus; quæ, quoniam ope humana eruuntur è terra, alio nomine foſſilia dici ſolent: quæ quaternas ſpecies, terras, ſuccos, lapides, metalla, *complectuntur.*

OBSERVATIO I.

De Lapidibus motum Solis & Lunæ ſequentibus.

Refert Cardanus *Lib. de judiciis Aſtrologicis*, Clementem VII. Pontificem Maximum habuiſſe Lapidem pretioſum, ſeu gemmam, dictam Helitem, ſive ſolarem, quæ auream habebat maculam, juxta Solis mo-

motum ſingulis diebus cum eodem oriente & occidente circumactam. Similia leguntur de ſtatua Solis, à Boëtio Ravennæ conſtructa, quæ ſe cum ſole perpetuò vertebat, uti narrat Hieronymus Rubius *de Antiquitate Ravennæ.*

Memini quoque (inquit P. Athanaſius Kircher *in Arte magna Lucis & umbræ lib. 1. part. 1. cap. 15.*) me in Reconditorio antiquitatum Claudii Menedrii Romæ vidiſſe lapidem inſtar cryſtalli, in cujus meditullio mira ratione incorruptibilis quidam à naturâ inſitus liquor, juxta ſolis aſcenſum, deſcenſumque hinc inde agitabatur.

Conſtat inſuper certos reperiri lapides, dictos Seleniticos ſive Lunares, eò quòd motum Lunæ in omnibus exprimant, cujuſmodi Proclus quoque *lib. 1. de Sacrificio & Magia* meminit ſe habuiſſe, qui omnes Lunæ mutationes, incrementa ac decrementa ſubirent.

De hujuſmodi lapide ſelenitico ex Indiis allato mira refert Mizaldus. Lapis erat ſphæricus, magnitudine ovi columbini, picei coloris, incrementa ac decrementa Lunaris Lucis exprimens per maculam quandam lucidam, quæ cum Luna creſcente creſcebat, decreſcebat cum decreſcente, ita ut novilunii tempore inſtar grani milii appareret, plenâ verò Lunâ piſi magnitudinem exprimeret. Neque ſolùm dictas Lunæ phaſes, ſed & motus illius affectabat. Et ne impoſtura ſubeſſe videretur, addit Mizaldus, ſe hujus rei in præſentia celebris illius Orontii Finei Mathematici Regii, unius integri menſis experimentum ſumpſiſſe, remque purè naturalem deprehendiſſe: Lapidem verò illum, tanquam maximum naturæ miraculum, Regi Angliæ dono tranſmiſſum eſſe.

OB-

OBSERVATIO II.

De quodam Achate, cui nomen Christi non alio quàm naturæ stylo inscriptum est.

INter alios Augustissimi Gazophylacii Cæsarei, quà naturâ, quà arte spectabiles thesauros, facilè sibi palmam vendicat Achates quidam, Gemma verè Cæsarea, & solo Cæsare digna. Hujus artificialis figura Pateram ex unico, rarissimæ & nunquam ante hac spectatæ magnitudinis, Orientali Achate artificiosissimè fabrefactam exhibet; cujus circumferentia duas ulnas Viennenses cum tertiâ ejusdem parte; diameter verò inter duarum ansarum extremitates, unam integram ulnam, minus duobus digitis adæquat. In cavitate verò politissimæ hujus Pateræ, non minùs adorandum, quam admirandum *Christi Redemptoris nomen*, naturæ penicillo ex nativo nigricantium macularum concursu ad vivum hunc in modum, B. XRISTO R. S. XXX. delineatum spectatur; adeò ut natura ipsa hanc stupendæ magnitudinis Gemmam auctori suo CHRISTO Regum Regi, in primis lapidis hujus incunabulis consecrasse videatur.

Arcanum naturæ sensum prædictis characteribus expressum, Clariss. Consultissimus, raræque eruditionis vir D. Petrus Lambecius, Cæsareus Consiliarius, Historiographus & Bibliothecarius in commentario suo *de Bibliotheca Cæsar. lib. 1. fol. 25.* feliciter interpretatus est hoc modo: BEATORI ORBIS, vel BEATORI GENERIS HUMANI CHRISTO REGI SEMPITERNO TRI-UNI CRUCIFIXO. Ubi insuper naturalis Pateræ hujus alioquin vix credibilis magnitudo in plena forma, jussu Cæsaris æri incisa, spectatoribus curiosis exhibetur.

Prædicto Achati non absimilis est rarus ille lapis, *in*

quo natura ipsa Christi crucifixi Titulum ductis lineamentis expressit.

P. Athanasius Kircher *in mundo subterraneo Tom. 2. lib. 8.* mentionem facit de hoc lapide, in agro Tyburtino reperto, in quo quatuor harum literarum I. N. R. I. Christi crucifixi Titulum referentium simulacra à natura depicta cernebantur. Horum characterum caussam formatricem reducit P. Athanasius in aliquam Crucifixi imaginem, ibidem à fossoribus relictam, & saxorum terrestriumque quisquiliarum ramentis coopertam: Unde facilè contingere potuit, ut discussus à cruce titulus, aptæ, atque ad recipiendam formam dispositæ materiæ, in lapideam molem à spiritu lapidifico conversæ, ibidem suum in lapide ectypon reliquerit.

Simile judicium format idem Autor de annulo Achatino Regis Pyrrhi, de quo commemorat Plinius, novem in eo Musas proprio quamlibet instructam instrumento, unà cum Apolline citharam tenente, depictas fuisse.

OBSERVATIO III.

De Lapide, qui vocatur Lacryma Cervi.

DE Lacryma cervi, quam se in musarum thesauris habuisse carissimam sic scribit Scaliger *Exercit.* 112. Ante centesimum annum, inquit, nulla est in cervo lacryma. Post eam ætatem accrescit ad oculi canthum, ipsis ossibus, atque in os protuberans, concrescit eâ duritiâ, quâ cornu superat. Quâ parte prominet rotunda, est insigni nitore, coloris fulvi, non sine vestigiis aliarum venularũ. Tantâ est levitate, ut penè tactum fugiat; ita enim sese subtrahit, ut propemodum se ipsam movere videatur. Adversus venena remedium est præstantissimum, daturque peste correptis cum vini momento.

mento, Unde tantus cietur ſudor, ut penè totum ſolvi corpus videatur. *Huc uſque Scaliger.*

OBSERVATIO IV.

De Lapide, morienti Domino quaſi commoriente.

DE Turcoide ſtupenda refert Rueus, quæ ipſius verbis exponam. Habui, inquit, amicum, cui vivo Turcois erat (aliter hæc gemma vocatur Thyites ſeu Eranus) quæ cum innumeris ſui generis myriadibus de pulchritudine pariter & puritate certare poterat. Ille morbo oppreſſus, fatisque naturæ lege concedens, annulum, cui turcois inſerta erat, forte ſecum habebat. Quo mortuo gemma non aliter quàm animal rationale, aut ſenſu præditum, heri ſui mortem agnoſcens, & lugens, obſcura apparebat, rimamque per medium ducebat. Poſtea verò mortui rebus diſtractis, cùm ob priſtinam gloriam amiſſam præſtinare ipſam nollem, alius quispiam ipſam emit, & quidem vili pretio: quid fit? gemma cum novo domino ſinceritatem ſuam reſumpſit: Nam & coiit ſtatim rima, & priſtinus nitor rediit. *Hæc Rueus.*

OBSERVATIO V.

De Lapide, cui mira ineſt virtus conſumendi aquam.

SCribit Hollerus *lib.1. de morbis internis cap.39.* quòd coluber aquaticus, ſi funis caudæ ejus alligatus fuerit, lapidem quendam in ſuppoſitam aquam evomere ſoleat, qui tantarum in abſumenda aqua virium ſit, ut ſtatim abſumat eandem. Unde ſi hic lapis ventri hydropici appreſſus fuerit (inquit Platerus *lib. de vita.*) aquam in totum conſumit paulatim.

OBSERVATIO VI.

De Lapide, mirâ prædito Virtute, ad sistendum sanguinem.

IN India Orientali reperitur lapis, qui appellatur alequeca. Ei tantam vim inesse scribit Garsias ab Horto *lib.* 1. *cap.* 53. ut vel de corpore suspensus, sanguinem ex quacunque parte effluentem sistat.

OBSERVATIO VII.

De variis Lapidibus, in quibus variarum rerum figuræ penicillo naturæ cernuntur depictæ.

EX lapidibus, Trochites figuram tympani, Enorchis fragmenta testarum, Diphyis utriusque sexûs genitale, Hephæstites speculum, Encrinos effigiem liliorum repræsentat. Cùm enim angulata pars una separatur ab alia, quina utraque ostendit lilia, inquit Jonstonus *in Thavmatographia classe* 4. *cap.* 18.

Tempore Joannis Friderici Electoris Saxoniæ lapis effossus est, qui Christum Crucifixum, cum Joanne & Maria adstantibus exhibebat. *Colerus de piscibus cap.*8.

Lapis quidam, dictus Pyrites, Romanum Pontificem triplici corona redimitum, eundemque barbatum repræsentabat. *Agricola lib.* 10. *de fossilibus.*

In alio quodam lapide visus Franciscanus, caput diademate ornatus, teste Jonstono supra citato.

Habebat & Cæsanatus Medicus Bissontinus lapidem, qui serram, gladium, delphinum & cygnum ita repræsentabat, ut non modò in superficie hærerent figuræ, sed insuper etiam totum penetrarent lapidem.

Merula *lib.* 4. *Memorabil. cap.* 50. mentionem facit lapidis, in quo naturæ penicillo delineatus fuit S. Joannes Baptista, pelle Camelina amictus.

In

In Achate & Marmore, ſeu Jaſpide, nihil ferè eſt, quod natura non pingat. Videbis in eo nunc urbes, nunc ſylvas, nunc flumina, & omnis generis animalia. Effigiem S. Hieronymi in ſaxo depictam, juxta Bethleemiticam ſpeluncam videri; auctores Itinerarii Hieroſolymitani teſtantur.

In Achate perfectum Crucifixum me vidiſſe memini (inquit P. Athanaſius Kircher *in arte magna lucis & umbræ lib.* 10. *part.* 1.) in ſilicibus verò ex Tolfenſi lapidicina extractis, integrum Alphabetum, literis vario venarum ductu formatis.

OBSERVATIO VIII.

De Lapide, qui ſolo ſputo madefactus flammam excitat.

LApis iſte hoc modo confici poteſt, ſi vera ſunt, quæ tradunt quidam Autores anonymi. Magnetem in ollam, vel aliud vas ſimile conjice, vivâ calce immerſum, addito aliquanto caliphoniæ: cùm vas expleveris, id, figulinâ cretâ circumlito ſpiramento, fornaci, donec percoquatur, inditur: deinde exemptus magnes in ollam injicitur, cretaque denuo illitá fornaci imponitur; & hæc pragmatia tam diu repetitur, donec vehementer incanduerit: hæc enim miſtura mox ut humidum contigerit, in flammam abit. Sed experimenti hujus veritatem dubiam reddere videtur, quòd Magnes (qui miſturam illius factitii lapidis ingreditur) cùm natura ſua ſit frigidus & ſiccus, nihil ex ſe ad ullam inflammationem conferre poſſe videatur.

OBSERVATIO IX.

De Homine lapides devorante.

GAllus quidam nomine Joannes Royer famulum habebat, natione Germanum, qui, cùm multos ſilices

lices inſpectantibus plurimis devoraſſet, ventrem concutiebat, ut lapidum ſonus clarè exaudiretur, eorumque durities tactu ventris ab omnibus perciperetur; ita, ut nemo dubitaret, quin lapides revera in ſtomachum trajeciſſet. Erant, qui putarent, hominem peculiaris temperamenti ſtomachum habere, ut lapides digereret. Alii credebant indigeſtos per ſeceſſum reddi. *Ita Schottus in joco-ſeriis.*

OBSERVATIO X.

De Modo Silices inſtar ceræ emolliendi.

Silices in ignem conjecti impensè calefiant, & quaſi igneſcant. Deinde miſceantur inter ſe aqua ſeparatoria, acetum, & ſanguis hirci affundanturque ſilicibus, ut toti cooperiantur. Quo facto mollientur illi adeò, ut ceræ inſtar tractari, intraque abſcondi epiſtola, aut pecunia, & aliò deferri poſſint. Indureſcent denuò, ſi caprino lacti imponantur.

DISCURSUS SEXTUS.

EX METALLOSOPHIA.

De natura variorum Metallorum.

PRÆFATIUNCULA.

Metalloſophia eſt Scientia de metallis: dupliciter autem ſumi ſolet metallum, in lata & ſtricta ſignificatione. Lata ſeu ampla ſignificatio uſurpatur à Juriſperitis, qui nomine metalli intelligunt omnia foſſilia, quæ ex imis terræ viſceribus fodiendo eruuntur. Stricta ſignificatione utuntur naturæ ſcrutatores, qui per metal-

metallum intelligunt ſolummodo quartam ſpeciem foſſilium, juxta ea, quæ in præfatiuncula præcedentis diſcurſus dicta ſunt.

CAPUT I.

An metalla quandoque gignantur in nubibus?

METalla, licet ordinariè gignantur in terræ viſceribus, nonnunquam tamen etiam generantur intra nubes, ex terrenis exhalationibus, virtute ſolis in ſublime evectis, ibique condenſatis. Certè in Perſia ſæpius ærea corpora hamatis ſimilia ſagittis cœló coruſcante decidiſſe, commemorat Avicenna. In Hiſpania verò noſtra ætate (inquiunt Conimbricenſes in Phyſica) maſſa lapidea venis metallicis infecta decidit è nubibus; uti etiam teſtatur Lydiatus *de Fontibus Cap. 6.*

CAPUT II.

An metalla ex ſeminali principio generentur?

QUidam exiſtimant, metalla gigni à calore ſubterraneo. Alii ſibi perſuadent, ea primùm à Deo creata, ſeminali deinde principio ac virtute ſe ipſa propagare: ad quod probandum varia adducunt experimenta.

Corbachii, inquiunt, in Weſtphalia aurum ſingulis quadrienniis creſcit & recreſcit.

Vena plumbi in Sclavonia quadrageſimo anno in argentum convertitur.

Ferrum in Sileſia ad Saganum decimo quóque anno refoditur.

In Suecia limus ruber paluſtris uno anno Soli expoſitus, in bonum ferrum transmutatur. Feſ-

Fessularum mons in Hetruria lapides plumbarios habet, qui, si exscindantur, brevi temporis spatio novis instaurantur incrementis.

De ferro, quod in Ilva maris Tyrrheni Insula effoditur, narrat Cæsalpinus *lib.* 3. *de metall. cap.* 6. terram metalli inanem, quæ eruitur, dum vena effoditur, totam procedente tempore in venam ferri converti.

Neque mirum est, hujusmodi vim seminalem inesse metallis, cùm etiam lapides eâ præditi sint. Majolus certè *Colloquio* 8. ait, se non dubitare, quosdam lapides pumicosos esse fœtûs & partûs capaces. Fluit enim, inquit, ab eis humor, qui mox, ubi constrictus fuerit, jam lapillus est, jam fœtus ac partus alterius est. Plinius quoque *lib.* 10. *cap.* 3. tradit Ætitem lapidem reperiri prægnantem.

CAPUT III.

De Natura Auri.

1. Elementa, ex quibus aurum constat, adeo sunt anatizata, seu adæquata, ut alterum ab altero non superetur, sed omnia ita in æquilibrio sint posita, ut aurum nec ab aqua corrodi, nec à terra exedi, nec ab aëre alterari, nec ab igne consumi possit.

2. Potest tamen aurum judicio quorundam Philosophorum destrui ab aqua, quam ipsi *Dicere nolo* appellant.

3. Quidam tria statuunt auri principia: videlicet aquam, sulphur, & terram puram. Alii duo solùm numerant, sulphur nimirum & Mercurium. Alii terram & aquam statuunt. Quæ sententiæ conciliari possunt, si quis dicat duo esse auri principia, terram puram & aquam puram; ita tamen, ut sulphur ab aqua non separetur. Sulphur enim inclusum est aquæ: & est ignis, quo aqua digeritur, omnibusque impuritatibus exuitur:

quod

quod postcaquam à natura factum est, sulphur deinceps sibi arripit dominium, atque potentiùs agit in terram puram, eamque solvit, & postea coagulando in aurum convertit.

4. Licet auro nihil sit solidius & compactius, nihilque gravius, ne ipsum quidem plumbum, plumbo tamen est ductilius: adeo quidem, ut tertia pars grani auri possit diduci in filum longitudine 134. pedum, & unica uncia auri longiùs extendi, quàm octo unciæ argenti. Hinc aurum neri, & texile fieri potest.

5. Magna medendi vis auro inest propter exquisitam ejus temperiem, & benignam caloris humorisque pinguis moderationem: quâ fit, ut moderatè sit calidum & humidum.

6. Hinc vulnera aureis instrumentis tractata, curantur feliciùs, & cicatrices vel nullas, vel latentiores relinqunt. Et in oleum si resolvatur aurum, omnes particulares medicinas superat.

7. Summa est inter aurum & argentum vivum affinitas, quæ in eo consistit, quòd hæc duo metalla in simplicissimam redacta puritatem, mutuo amplexu avidissimè se invicem excipiant, & naturam suam invicem communicent, atque in unionem summam corporis & spiritus copulentur. Sed de hac auri, argentique vivi sympathia plura cap. seq.

CAPUT IV.

De Natura Argenti vivi.

1. ARgentum vivum est tyrannus metallorum. Certè dum aurum argentumque vivum coëunt, argentum vivum tanquam hostis & tyrannus aurum comminuit, atque ita crudè subtiliat (prout loquuntur Alchimistæ) ut argentea vasa auro incrustari possint. Unde

Unde patet, dictum illud Alchimiſtarum, *Aurum & argentum vivum magnam inter ſe cognationem habent*, non de puritate ac digeſtione, ſed de eſſentia intelligendum eſſe. Conſtat enim, aurum eſſe metallum puriſſimum & eminentiſſimè digeſtum, argentum verò vivum eſſe impurum & indigeſtum.

2. Singularem inter aurum argentumque vivum ſympathiam complura patefaciunt experimenta, ut obſervant Platerus & Lemnius. *Lib.* 2. *de occult. cap.* 35. Nam ſi argentum vivum in corpore ſit, auro propinato educitur. Argentum, niſi Mercurium adhibueris, inaurari non poteſt. Morbo gallico laborantes, ubi Mercurio ſive argento vivo inuncti fuerint, ſi aureum in ore geſtent annulum, & linguâ hinc inde volutent, argentum vivum quod corpori innatat, in annulum devolvitur, isque argenteus eximitur. Argento vivo omnia innatant præter aurum, quod ſolum immergitur.

3. Ex venis Mercurii ſcaturiunt fontes uberrimi, herboſo virentes ceſpite. *Vitruvius lib.* 8. *cap.* 3.

4. Qui venas argenti vivi ſcrutantur, Menſe Majo, die ſerena, tempore matutino, nebulas in vertice montium emergentes, ac inſtar Lanæ ſuper ceſpitem pendulas, obſervant, atque inde in Latentis Mercurii notitiam deducuntur.

5. Mercurius magnetem contingens, in intimas ejus partes penetrat, & lapidem ferrum attrahendi potentia privat. *Jonſton. in Thavmatograph. claſſe* 4. *de foſſilibus.*

6. Ignem Mercurius adeo refugit, ut ſi non detur per inferiora egreſſus, ſuperiora petat: quibus clauſis, premit opercula. *Unzer. lib. de merc. cap.* 1. Hinc panis in clibano, piſa in olla, ova ad ignem, ſi vel unicâ guttulâ imbuantur, ſubſultant, & intuentes ad riſum commovent.

7. Mer-

7. Mercurius ſuper ignem poſitus, in halituoſum reſolvitur fumum, ſed non diſſipatur. Nam ſi vaſe exceptus, & probè cuſtoditus fuerit, paulò poſt in priorem mercurii redit ſpeciem, nec ei quidpiam priſtini detrahitur ponderis.

8. Mercurius in aurem, atque inde in cerebrum immiſſus, epilepſiam excitat, quia ſpiritus animales diſſipat. *Heurn. de Capitis affect. c.* 33.

9. Obſtetrices, ubi gravidæ in partu diu laboraverint, ultimo remedio ipſis argentum vivum, ſcrupuli pondere exhibent.

10. Argentum vivum avellanæ nuci per foramen immiſſum & occluſum, ſericoque rubeo à collo ſuſpenſum, à peſte præſervat, teſte Quercetano *lib.* 2. *de peſt. alex. cap.* 5. Eadem avellana ſi ventrem appenſa tetigerit, ad Curationem colicæ ſingulariter conducit. *Plater. de dol. c.* 13.

11. In monte Gimnavoda ſex à Cracovia milliaribus, argentum vivum ſponte certis anni temporibus ad terræ ſuperficiem erumpit, & circa feſtum S. Joannis Baptiſtæ multa illius grana piſorum inſtar in radicibus graminum ſe collegiſſe, *Tyrocinii Chimici autor lib.* 2. *c.* 3. teſtatur.

CAPUT V.

Variæ Obſervationes de naturâ ferri & chalybis.

OBSERVATIO I.

Commutatio ferri in æs, & chalybem.

JOnſtonus *in Thaumatographia loc. ſup. cit.* ait ferrum in æs converti, ſi alumine & aceto illinatur. Weckerus verò *lib.* 10. *de ſecretis* pro aceto utitur atramento ſutorio. Si ferrum, inquit, in æs commutare deſidera-

 bis,

bis, ut nil ferri prorſus retineat, alumine, & atramento ſutorio tingi poteſt.

In chalybem transmutatur ferrum, ſi ſæpius candefactum in igne, immergatur aquæ. Cardanus ait per corticem mali punici ferrum mutari in chalybem.

OBSERVATIO II.

De induratione & emollitione ferri.

TErræ lumbricos primùm, deinde etiam rapas & radices peponum diſtilla: & hæc omnia pari menſura miſceantur. Quo liquore ſi ferrum madefactum fuerit, indurabitur. Aliter id ipſum perfici poterit, ſi verbena cum cauliculis & foliis conquaſſetur, ſuccusque per pannum lineum exprimatur, qui in vitro ad uſum reſervetur. Quando poſtea ferrum indurare voles, ſuccum verbenæ pari portione cum urina humana eaque virili miſceto. Ferrum verò incandeſcat ea parte, quam cupis indurare, & in prædictum ſuccum immergatur, donec maculæ aureæ appareant. Et ſi multum coloris cærulei deprehenderis, ſcito ferrum nondum ſatis induruiſſe.

Si denique ferrum candens aceto immerſum, atque in eo extinctum fuerit, adeò indureſcet, ut malleis tractari nequeat, faciliuſque frangatur quàm ducatur, ſeu ductile fiat. Cauſa tantæ duritiei eſt ſubtilitas aceti, intimos ferri meatus penetrantis. *Bodinus lib. 2. Theatri.*

Quod attinet ad emollitionem ferri, poteſt ea duobus fieri modis. *Primò* ferrum molleſcit, ſi igne candefactum, non in aqua, ſed in ſucco corticum fabæ, aut malvæ extinguatur. *Secundò* ferrum mollefacit ſerum ſanguinis humani. Excipe vaſe quodam vel pelvi ſanguinem humanum, & ſepone, donec ſanguis craſſus

crassus subsidat; deinde serum sanguinis in aliud vas infusum diligenter asserva. Ubi ferrum mollefacere libuerit, calefactum illud sero hoc obline: quod ut expeditiùs fiat, penicillo ad id utere.

OBSERVATIO III.

De rubigine ferro eximenda.

FErro rubiginem è vestigio adimit, illique splendorem conciliat oleum tartari: quod ipsum etiam lentigines emaculat in facie, omnesque pustulas fœdas, quæ frontem mentumque deformant, vi abstersoria abolet.

OBSERVATIO IV.

De induratione & emollitione Chalybis.

CHalybs durescit, si in aqua frigida extinguatur. E contrario chalybem mollem reddit lixivium ex cinere roboris, & calce non extincta paratum, & duabus horis percolatum. In hoc lixivium chalybs conjiciatur, & diebus 14. in eo relinquatur. Quòd si cupias, ut chalybs pristinam duritiem recipiat, aquæ frigidæ imponatur.

CAPUT VI.

Variæ Observationes de natura Æris, Cupri, & Plumbi.

OBSERVATIO I.

De modo Æs dealbandi.

SI salem ammoniacum (inquit ex Mizaldo Weckerus *in secretis lib.* 10.) & ovi cortices simul trituraveris,

veris, & ex iis aquam chymico organo exceperis, in eaque æs ignitum extinxeris, miram ſuſcipiet albedinem. Adde, quod argentum vivum ex antimonio extractum æs eximiè dealbet, ſi ſuper illud projiciatur, vel defricetur.

OBSERVATIO II.

Æs à putrefactione præſervat.

ÆS à putrefactione eſt immune, & ut alia ſint immunia, efficit. Hinc monumentum ære perennius ab Horatio appellatur. Et Ægyptii olim tabulas æreas, ad arcendam putrefactionem, cadaveribus impoſuerunt. Sed & Pierius in Hieroglyphicis teſtatur, æreos mucrones olim in eum finem cadaveribus infixos fuiſſe.

OBSERVATIO III.

De natura Cupri.

CUprum ferro amiciſſimum eſt, ita ut ſimul juncta mutuò ſeſe amplectantur, ut loquitur Jonſtonus *in Thaumatographia claſſ. 5. de foſſilibus cap. 31.*

Quòd ſi Cupro nitorem argenteum inducere velis, utendum eſt ad eam rem ſale ammoniaco, alumine & nitro, pari pondere permixtis. Modum deſcribit Weckerus *in ſecretis lib.* 10. *c.* 5. ubi etiam declarat, quomodo ita præparari poſſit Cuprum, ut auri colorem referat, & optimè elaborari poſſit.

Qui Cuprum citò fuſibile, & ductile habere cupit, equi ungulas inter eliquandum & fundendum ei adjungat. Hoc ſecretum teſtatur Mizaldus ſe ab Italo quodam, experto fuſore accepiſſe.

OBSER-

OBSERVATIO IV.

De plumbo in ædibus ſubterraneis, mole & pondere creſcente.

EXperimentis conſtat, plumbum non modò ponderе, ſed etiam mole & quantitate ſolere creſcere, ſi ponatur in ædibus ſubterraneis, habentibus aërem turbidum, ita ut ea quæ ibi ponuntur, facilè ſitum contrahant. Obſervatum eſt autem hujuſmodi creſcentis plumbi incrementum in plumbeis ſtatuarum vinculis, quibus earum pedes annectebantur: ita ut inſignis quædam intumeſcentia notata fuerit, teſte Jonſtono ſupra citato.

OBSERVATIO V.

De plumbo liquato manu nudâ innoxie contrectato.

TAmetſi plumbo liquato nihil ſit ferventius, attamen ſi ſucco Malvæ, aut Mercurialis manum oblinas, ſine noxa id contingere licebit, dummodo contrectatio celeri motu perficiatur. *Lemnius de occult. lib.* 2. *c.* 34.

OBSERVATIO VI.

Plumbum eſſe vocis conſervativum.

PLumbum ad vocem conſervandam deſervire, demonſtrat exemplum Neronis, qui, ut teſtatur *Suetonius in Nerone*, amore vocis, vel meliorandæ, vel conſervandæ, Laminam plumbeam ſupinus pectore ſuſtinuit. Sed & Muſici olim ſimiles laminas pectori impoſuerunt, ad cantica exclamanda, ut loquitur *Iſidorus.*

DISCURSUS SEPTIMUS.

EX MESOLOGIA.

De Fossilibus imperfectioribus, habentibus mediam temperiem inter Lapides & Metalla.

PRÆFATIUNCULA.

MEsologia est scientia differens de iis fossilibus, sive mineralibus, quæ nec sunt lapides, nec metalla, sed inter hæc medium obtinent locum seu temperamentum. Atque hæc omnia ad duas species reducuntur, terras *videlicet &* succos; *uti sunt Marga, Terra sigillata, Sal, Nitrum, Alumen, Naphta, Petroleum, Maltha, Vitriolum, Caniphora, Succinum, Ambra, Sulphur, Stibium, aliaque complura.*

OBSERVATIO I.

De Terra Lemnia sive sigillata.

TErra sigillata hodie non absque superstitione sexto tantùm Mensis Augusti die quotannis effoditur. Qui fodiunt, Græci sunt: puteus, ex quo effoditur, suavem exhalat odorem. Foditur à Solis exortu sex horis, exempta eluitur, lota sacco injicitur, manibus permiscetur, in globos formatur, sigillo Imperatoris Turcici notatur, siccatur tandem, & in scrinio obsignata Constantinopolim mittitur. *Stephanus Albacarius in Epist. ad Busbequium.* Terra sigillata Strigensis, quæ in Silesia effoditur, à nonnullis Lemniæ præfertur. *Sennertus Scient. Natur. lib. 5. cap. 1.* Inventor ejus est Joannes Montanus Silesius, qui scriptum de illa edidit.

OBSER-

OBSERVATIO II.

De Sale.

1. NAtura Salis eſt in igne crepitare, in aqua diſſolvi, ſi torrefiat nihil deperdere. Ideo autem Sal in igne crepitat, quia in ſe continet aquam & ignem. Dum enim aquæ humor calori ignis reſiſtit, ſtrepitus cauſatur.

2. Sal rectè appellatur condimentum condimentorum.

3. Obſervatum eſt, eos, qui ad febres putridas diſpoſiti ſunt, cibis liberiùs ſale conditis, ab illis præſervari. *Matthiol. de febrib. peſtil.*

4. Obeſæ mulieres moderato ſalis in condimentis uſu fœcundæ fiunt. Abſtergit enim uliginem, matricemque nimis udam exſiccat, ut ſemen cohæreat.

5. Sal ad os Epilepticorum admotus, eos excitat: & in Lipothymia, ſive ex reſolutione ſpirituum, ſive ex eorundem oppreſſione originem ducat, ſi labia eo fricentur, præſentiſſimum remedium eſt.

6. Sal famis & ſitis antidotum eſt. Expertus id Caroli V. exercitus in obſidione Tunetana, qui periiſſet, niſi unuſquiſque unum aut alterum ſalis granum linguæ ſuppoſuiſſet. *Bicker in præfat. lib. de ſanit. conſt.*

OBSERVATIO III.

De natura nitri.

1. NItrum, aliàs Sal nitri, & quando concrevit, Sal petræ (Salpeter) ſeu halonitrum appellari ſolet. Nam quando aqua terræ nitroſæ affunditur, dat lixivium, quod in ſalem petræ, ſive halonitrum vi ignis decoquitur. quomodo verò purificetur, Chymici norunt.

2. In Polonia & Marchia, aliisque Germaniæ locis opificium excoquendi nitri, ſeu conficiendi halonitri (Salpeter zu ſieden) ſumptu publico paſſim exercetur. Fit autem nitrum ut plurimùm ex hominum urina, aliorumque animalium in ſtabulis & ædibus vetuſtis.

3. De nitro ſcribunt Alchimiſtæ, quòd licet viſui appareat candidum & tactui frigidum, in ſe tamen contineat ſpiritum rubicundiſſimum, maximeque inflammabilem. *Senertus lib. 5. Epit. ſcient. natural. cap. 2.*

4. De Ægyptiis ſcribit Jonſtonus *in Thaumatographia* eos nitro raphanos aſpergere, non aliter ac nós ſale.

OBSERVATIO IV.

De natura vitrioli ſeu chalcanti.

1. Vitriolum optimum cenſetur Romanum & Hungaricum. Ejus bonitas probatur, ſi cultro affricetur. Laudatiſſimum enim habetur, ſi affrictio colore cupreo cultrum infecerit.

2. Spiritus vitrioli bene præparatus, teſte Riolano, tanta acrimonia, tantaque virtute cauſtica eſt præditus, ut vitrum, cui ineſt, exedat.

3. Spiritus vitrioli cum oleo tartari habet antipathiam: & licet utrique ſumma inſit acrimonia & aciditas, ſi tamen permiſceantur, utriuſque acrimonia perit, & liquor fit inſipidus. *Boëtius libro 2. de lapid.*

4. Admiratione non caret, quod de ſpiritu vitrioli & ſuccino refert è Paracelſo Conradus *in medulla deſtillatoria.* Repone, inquit, ſuccinum flavum in tabula è biſmutho facta, & trium ſpithamarum diſtantia vitriolum colloca. Mirum viſu ac dictu! vitriolum & colore & acrimonia ſpoliabitur.

OBSER-

OBSERVATIO V.

De Naphtha & Petroleo.

1. NAphtha tantam habet cum igne cognationem, ut etiam ex intervallo flamma in eam transiliat, & calore solis facillimè incendatur. Naphtha (inquit Cornelius Agrippa *de occulta Philosophia*) trahit ignem, prosilitque in eam undecunque visam. Naphtham imitatur radix herbæ aproxis, quæ & ipsa ignem è longinquo attrahit.

2. Petroleum Naphthâ liquidius est. In Italia & regione Mutinensi è petra stillat candidum & rubeum, odore validissimo. In Sicilia fontibus innatat, quod oleum Siculum appellant, & eo ad lucernarum lumina instar olei utuntur.

3. Mirum est, quod de petroleo refert Mathiolus *in lib. 1. Dioscorid. c. 82.* Habebat Hercules à Contrariis Ferrariensis in prædio suo puteum, in quem distillabat petroleum. Conduxit cæmentarium, qui obturaret: fuitque demissa in puteum candela, quia sine luce fieri nil potuit. Accensum hinc petroleum, cum tanto impetu, ut & cæmentarium ejacularetur, & putei latera diffringerentur.

OBSERVATIO VI.

De Natura Camphoræ.

1. MUlti existimant camphoram ex bituminis quodam genere fieri. Mauri verò in ea versantur opinione, quòd camphora sit lacryma cujusdam arboris, adeò patulis diffusæ ramis, ut tantum locum reddere possit opacum; quantus centum homines capere possit.

2. Camphora Veneri repugnat, & genituræ inimica est, non modò potu sumpta, sed etiam attactu percepta.

3. Camphora ab homine ſumpta, caput petit: & ſi rapuerit ſecum frigidos humores, ſomnum gignit, poteſtque homines, antequam ſeneſcant, canos reddere.

OBSERVATIO VII.

De Succino, ſive Electro.

1. SUccinum non eſt lacryma vel reſina arborum, ut veteres credebant, ſed bituminoſum maris purgamentum, in littoribus Boruſſiæ maximè collectum, aut è mari extractum, capitur reticulis inſtar piſcium ſingulis menſibus aureorum Rhenenſium decem millibus vendi dicitur. Id cùm dureſcit, ut poliri queat, gagates dicitur, Plinio gemma Samothracia.

2. Succinum (præſertim affrictum) trahit paleas, pilos, feſtucas in ſequelam. Quam virtutem tractivam nonnulli conſtituunt in ſpiritu ſicco, quo ſuccinum eſt præditum. Sed repugnat Scaliger *Exercit. 104. Sect. 12.* ubi teſtatur ſe viridem vidiſſe lactucam, quæ paleas attraxerit: ubi nulla ſpiritûs ſicci operatio intercedere poteſt. Alii motum attractionis oriri putant à ſpiritibus acribus, & penetrantibus, ſimulque glutinoſis & pinguibus, in ſuccino lactantibus: qui attenuati affrictu incaleſcunt, & facilè res leves, ut ſtipulas, feſtucas &c. pervadunt; cùm autem rebus occurrunt frigidis, coagulantur, coagulatique versùs originem retrocedunt. Calor enim à contrario rejicitur hoſte. *Libavius in lib. ſingular. Fernelius lib. 3. Med. cap. 4.*

OBSERVATIO VIII.

De Corallio, in Viro rubeſcente, in Muliere palleſcente.

COrallium oritur ex ſucco lapideſcente. Eſt verò frutex ſub aqua marina viridis & mollis, baccas habens

habens molles & candidas. Resectus statim induratur. Interdum unius corallii stirpes ramique partim sunt rubri, partim candidi, partim nigri. Si à viro gestetur corallium, rubescit exuberantiùs: pallescit verò, si à muliere, *Lemnius lib. 2. de occult. cap. 22.* Atque hujus dissimilis effectûs causa, tum in fuliginosos muliebris sexûs spiritus, tum in languidum corallii calorem, tum denique in vaporosam ac mitem caloris innati in viro substantiam reducenda est.

OBSERVATIO IX.

De Modo faciendi corallium fictitium.

HÆc praxis ingenioso, neutiquam tamen operoso constat artificio. Cornua hirci derasa in pulverem & scobem converte, eaque forti lixivio ex lignis fraxini composito, diebus quindecim infunde. Postea extrahe, & cinnaberi in aqua soluto permisce, lentoque igni committe, ut fiat spissamentum. Id si veri corallii præ se feret colorem, in quas visum erit formas effinge, sicca, & secundùm artem expoli. *Mizaldus.*

OBSERVATIO X.

De modo corallium liquefaciendi, deque illius virtute medica.

COrallium berberorum succo, (ut uniones aceto) colliquescit. De cujus liquore unum cochlear assumptum dysenteriam curat. Utrumque astringit & refrigerat, sanguinis excretiones coërcet, & stomachum laxum languidumque corroberat, ut Dioscorides, Galenus & Medici omnes testantur.

OBSERVATIO XI.

De Natura Sulphuris.

1. BOnitas sulphuris inter duas ferreas exploratur Laminas. Si enim inter illas compressum, cereo de-

defluat ſine fœtore fluxu, & rubedinem relinquat, genuinum cenſetur & bonum.

2. Chymici oleum ſeu balſamum ex ſulphure adeò efficax conficiunt, ut neque vivum corpus, neque mortuum, ad putredinem tranſire ſinat: ſed adeò integrum tueatur, ut nulla aſtrorum influentia, nulla elementorum injuria, nulla aliunde profecta corruptio iis obeſſe poſſit. *Weckerus Antid. Spec. lib. 1.*

DISCURSUS OCTAVUS.

EX BOTANOLOGIA.

De Natura & qualitatibus variarum herbarum atque radicum.

PRÆFATIUNCULA.

Botanologia eſt ſcientia diſſerens de herbis & radicibus, quæ à Botanicis in varias claſſes diſtribuuntur. Aliæ enim ſunt hortenſes, aliæ ſilveſtres, aliæ campeſtres, aliæ montanæ, aliæ unicaules, aliæ multicaules, aliæ anguſtifoliæ, aliæ latifoliæ, aliæ acutifoliæ, aliæ trifoliæ, aliæ quinquefoliæ, aliæ centifoliæ, aliæ verticillatæ, aliæ umbelliferæ, aliæ corymbiferæ, aliæ edules ſive alimentariæ, aliæ coronariæ, aliæ medicamentariæ &c. Quibus omnibus magnam ineſſe vim, quotidianis docemur experimentis, juxta illud, In herbis, verbis & lapidibus eſt magna virtus.

OBSERVATIO I.

De lethifera qualitate hyoſciami. Ubi memorabilis hiſtoriola de Carolo V. Imperatore.

HYoſciamus appellari ſolet *herba jacularis*, denominatione deſumpta à telis, quæ olim ſucco hujus berbæ inficiebantur, ad certam mortem ejus, qui tali jaculo vulneratus fuiſſet. Cùm Comes à Boſſu, qui apud Carolum V. Imperatorem multùm gratiâ valebat, cum Cæſare venatum profecturus, cultello, ſucco hyoſciami delibuto, caſu ſe leviter læſiſſet, illico ab Imperatore de periculo admonitus fuit. Et certè periiſſet Comes, niſi Imperator, cui veneni vis perſpecta erat, arrepto Comitis digito, illud exſuxiſſet. *Refert Bonaventura Vulcanius ad Gloſſaria.*

OBSERVATIO II.

De Soporifera Virtute Solani. Ubi memorabilis hiſtoria de dolo Scotorum, & clade Danorum.

SOporiferam ineſſe virtutem Solano, teſtati ſunt Dani exemplo cladis ſuæ. Cùm enim Sueno Norwegorum Rex, Duncanum Regem Scotiæ in oppido Bertha obſideret, evocato hic Maccabæo, conſobrino ſuo, clanculum de deditione agere cœpit, adjectâ conditione, & promiſſione, ſe omnem, quem penes ſe habebat, commeatum, Danis relicturum. Receperunt conditionem Dani, & unà commeatum, quem cùm deguſtaſſent, tam alto oppreſſi ſunt ſopore (Solano enim vinum & cereviſia infecta erant) ut à Maccabæo opprimerentur. Decem ex Danico exercitu, dona hoſtium ſuſpecta habentes, nihil de vino & cereviſia illorum guſtarunt; qui etiam Regem Suenonem exanimi

nimi similem in scapha piscaria abductum, cladi subduxerunt. *Hect. Boët. lib. 12. Histor. Scotica.*

OBSERVATIO III.

De virtute Medica cardui benedicti ad curandas febres.

RECIPE dimidiam drachmam salis cardui benedicti, & pone intra vitrum plenum aquâ distillatâ cardui benedicti. Præbe infirmo manè dum jejunus est, & benè eum cooperi in lecto, ut possit eò meliùs sudare, relinquendo eum sic opertum spatium duarum aut trium horarum. Necessarium autem est, ut antequam potus ille accipiatur, emittatur priùs sanguis, & vena, si fieri possit, secetur durante paroxysmo. Hoc facto, ejicietur venenum & febris. *Ex Secretis P. Athanasii Kircheri.*

OBSERVATIO IV.

Mira virtus Absinthii.

CREDITUM est (inquit Joan. Jonstonus *in Thaumatographia Classe 5. de admirandis plantarum*) infantes, si antequam duodecim septimanas excedant, succo absinthii in manibus pedibusque inungantur, neque frigore neque æstu per totam lædi posse vitam. Idem refert infantem, si totum ejus corpus succo absinthii infricetur, scabie non laboraturum. Hæc Jonstonus ex *Guerth. in append. ad memorab. Mizaldi.* Sit fides penes hos Auctores.

OBSERVATIO V.

De variis nominibus tabaci.

INTER varia hujus herbæ nomina primum locum obtinet *Tabacum*; quod nomen ipsi inditum est à Provincia Novæ Hispaniæ *Tabaco*, ubi primùm reperta fuit.

fuit. A Peruanis & Antarcticis ferè omnibus vocatur *Petum*. A Botanicis communiter appellatur *Nicotiana*, à Joanne Nicotio, qui, cum nomine Regis Galliarum Legati officio fungeretur in Lusitania, hanc herbam in suo horto plantavit, summoque studio educari curavit: unde & Lusitani eam cœperunt appellare *Herbam Legati*. Haud longè post in Galliam redux Nicotius, semen ejus Catharinæ Mediceæ Galliarum Reginæ dono dedit, quæ illam suo nomine insignavit: unde *Herba Reginæ, Catharinaria & Medicea* per totam Galliam est appellata. Ab Italis principio dicta fuit *Herba S. Crucis*, à Cardinale de S. Cruce, qui eam ex Lusitania Romam primus apportavit.

OBSERVATIO VI.

Quòd Tabacum vires habeat curandi vulnera.

AD sananda vulnera recentia, melius remedium inveniri vix potest, quàm Tabacum. Illicò enim sanguinem sistunt folia ejus virescentia, eaq; glutinant. Quòd si verò majora fuerint vulnera, vino priùs eluantur, & labiis vulnerum conjunctis, succus foliorum inspergatur, & ipsa folia trita vulneri alligentur. Atque idem postridie, reliquisque diebus subsequentibus faciendum est, victûs tamen ratione servatâ.

Monardus *lib. de simpl. medicamentis* testatur Hispanos in India Cannibalum telis vulneratos, succo tabaci curasse vulnera, tritis appositis foliis.

Rex ipse Catholicus inflictum cani venenatum (ut vim tabaci experiretur) vulnus beneficio ejusdem herbæ ad cicatricem perduxit. *Jonston. in Thaumatograph. class. 5. cap. 42.*

OB-

OBSERVATIO VIII.

Tabacum Oculis salutare.

VIsum restitui beneficio tabaci, testis est *Wiburgius ad Schnitz. epist. 209.* Pupilla, inquit ille, cuidam puellæ ita obscurata erat, ut non appareret. Sanata est autem succo Nicotianæ majoris cum butyro majali ad consistentiam unguenti cocto, & Oculo clauso exteriùs illito.

OBSERVATIO VIII.

Tabacum dolores dentium sanat.

QUòd tabacum dolores dentium mitiget, imò penitus tollat, testatur *Heurnius in Tabacologia* his ipsis verbis: Cùm ego ipse ante annum vehementer ex dente laborarem, decoxi Nicotianam ex aqua, adjectis Chamæmeli floribus. Tepidi hujus decocti cochlear ore tenebam, exspuebam, ac idem agebam horis duabus; dolor mitescebat: postridie cùm ex more meo hortulum in suburbiis accesissem, inclinatoque capite quid graminis evellerem, liquor croci flavedinem referens, copiosè à naribus meis effluxit, Nicotianæ odorem referens, ac omnis dentium dolor evanuit. Mihi toto vitæ curriculo nec sanguis, nec quid præter serosam pituitam, è naribus fluxit unquam; at nihil ego vidi flavedine altiore tinctum, quàm fuerit liquor ille, qui è naribus meis effluxit.

OBSERVATIO IX.

Tabacum vituperatum & laudatum.

OSor & vituperator tabaci fuit JACOBUS VI. Britaniæ Rex, quòd existimaret usurpatione hujus herbæ debilitari corpora subditorum suorum. Hinc librū inte-

integrum conſcripſit: vituperia tabaci continentem, indito ipſi titulo *Miſocapnos*.

E contrario magna ſunt tabaci apud clariſſimos Viros encomia, quæ Caſtor Durantes Medicus Italus celeberrimus ſequentibus Verſibus complexus eſt:

Nomine quæ ſanctæ Crucis herba vocatur, ocellis
Subvenit, & ſanat plagas, & vulnera jungit.
Diſcutit & ſtrumas, cancrum, cancroſaque ſanat
Vlcera, & ambuſtis prodeſt, ſcabiemque repellit,
Diſcutit & morbum, cui ceſſit ab impete nomen.
Calfacit & ſiccat, ſtringit, mundatque, reſolvitque,
Et dentûm, & ventris mulcet, capitisque dolores.
Subvenit antiquæ tuſſi, ſtomachoque rigenti,
Renibus & ſpleni confert, uteroque, venena
Dira ſagittarum domat, ictibus omnibus atris
Hæc prodeſt, eadem gingivis proficit, atque
Conciliat ſomnum, nuda oſſaque carne reveſtit.
Thoracis vitiis prodeſt, pulmonis itemque:
Quæ duo ſic præſtat non ulla potentior herba.

OBSERVATIO X.

Praxis efficiendi, ut è ſemine in terram jacto, planta aliqua (verbi gratia, lactuca, faba, cucumis &c.) intra pauculas horas ita excreſcat, ut eſui & uſui apta ſit.

Accipe terram nigram, & oppidò pinguem, eâque reple ſcutellam, aut aliud vas largum & amplum, altitudine pollicis circiter. Accipe deinde ſemen Lactucæ, aut alterius, quod placuerit, germinis, quantum ſatis eſt pro vaſis capacitate, & macera per horas 24. in vino aduſto, aut aceto fortiſſimo. Hoc ſemen maceratum ſparge in prædictam terram. Intra horæ ſpatium germinabit Lactucam, quæ paulatim ſed notabiliter creſcet, ac intra quatuor horarum ſpatium

adeò perficietur, ut possit erui, lavari, & ad comedendum præparari. Succedit praxis tàm hiberno, quàm æstivo tempore.

Similem praxin docet *Harstorfferus tom. 1. Deliciarum Mathemat. part. 16. q. 6.* Accipe, inquit, fabas, aliudve semen, pone intra oleum calidum, relinque per dies novem in eo, deinde seminato intra terram tempore meridiano. Intra paucas horas germinabunt, & crescent in altitudinem non mediocrem.

Simili arte intra quatuor horarum spatium cucumeres ac pepones florebunt, si semen ponatur intra sanguinem adolescentis aut juvenis rufsi, & in loco munito ac benè clauso relinquatur spatio dierum quatuordecim; deinde ad solem exsiccetur, terra inspergatur aquâ calidâ, & seminetur. Intra quatuor horas producentur folia & flores. Operatio tamen institui debet tempore æstivo & calido.

Cùm Imperator (Fridericus III. vel Maximilianus I.) Treviris ad S. Maximinum, cum multis Germaniæ Principibus degeret, Trithemius in mensa derepentè, spectantibus omnibus, plantulam quandam produxit.

Insuper Albertus M. Coloniæ coram Imperatore & Principibus aliis produxit ex tempore herbas & flores, & ob id pro suo Monasterio opulentum prædium dono accepit. *Autor Joco-seriorum Naturæ & Artis Centur. 2.*

OBSERVATIO XI.

Gentiana pestis antidotum.

FErtur S. Ladislaus Rex Hungariæ, afflictâ sævissimâ peste Hungariâ, obtinuisse à DEO, ut, quam herbam sagitta in aërem emissa, tangeret delapsa, medicinam illa faceret peste correptis. Cecidit sagitta redux in Gentianam, quæ aliàs etiam Cruciata, item herba S. Ladislai dicitur.

Hic

Hic eſt ille Ladislaus Rex, qui, cùm totâ Hungariâ à Tartaris pulſus, fugiſſet in Daciæ Urbē Claudiopolim, ibiq; contractâ cum quodam homine prædivite familiaritate, ejus compater factus eſſet, ejùſdem auxilio Tartari rurſum fugati fuerunt. Qui cum in fuga numos aureos, quos ex præda collegerant, in Aradienſi abjicerent campo, remoram inſequentibus, fertur Rex à Deo petiiſſe, ut in lapides converterentur; quod & factum. Hinc ingens horum lapidum numerus ibidem cernitur. *Camerarius Centur. 3. memorab. ſect. 23.*

Fuit Rex Ladislaus (qui anno 1078. Hungaricum diadema geſſit) vir ſummè modeſtus, & ob id poſt mortem Zoloveri Regis, cui nupta Ladislai ſoror erat, à Proceribus ad ſuſcipiendum regnum coactus. Is Dalmatiam, Croatiamque Pannoniæ finibus adjecit. Hunnos prælio ſuperavit, Ruthenos item, qui olim Roxolani, in proprios fines remigrare (Hungariā enim invaſerant) compulit, Polonos coërcuit, Cracoviâ captâ.

OBSERVATIO XII.

Monſtroſæ & memorabiles rapæ.

PRope Harlemum (quæ urbs ad confœderatos Hollandorum Ordines pertinet) Anno 1585. eruta fuit è terra rapa, ſimilitudine referens humanam manū, cum unguibus, & diſtinctiſſimis lineamentis digitorum. Ejus pictura Leidæ apud Baudarcium cernitur.

Rapæ nonnunquam in monſtroſam excreſcunt magnitudinem. Matthiolus certè *lib. 2. cap.* 104. teſtatur ſe complures rapas triginta librarum pondere in Ananienſi agro conſpexiſſe.

OBSERVATIO XIII.

De natura Napelli, exitialis & nocentiſſimæ herbæ, memorabili exemplo comprobatâ.

NApellus tota exitium adfert, ſed radix maximè (inquit

quit *Jonstonus in Thaumat. class.* 5.) manu enim retenta quousq; concalescat, tenentem perimit. Certum est, pastores, qui caule hujus herbæ loco veru in assandis aviculis usi sunt, interiisse.

Exitiale hujus herbæ venenum aliquot exemplis declarat *Matthiolus Comment. in Dioscorid. lib. 4. cap.* 73. unum adjicio.

Data erat latroni cuidam annum vigesimum septimum agenti napelli drachma. Hic epoto lethali poculo, piperis omnem saporem illi inesse dicebat. Insecuta sunt gravissima symptomata: evomuit enim frequenter biliosa porraceo colore. Quendam veluti globum circa umbilicum sensit, qui inde superna petens, in supremam capitis partem, frigidam quandã diffundebat auram. Accessit his stupor quidam paralysi non absimilis, qui sinistri lateris brachium & crus occupavit, adeò, ut vix summam manum admovere potuerit, motu jam in cæteris partibus extincto. Interim non multo post tempore, hæc morbi vis, sinistrâ corporis parte incolumi relictâ, in dexteram repentè se contulit, eandemque simili modo occupavit. Ajebat quoque universas corporis venas frigescere. Non defuerunt vertigines, quas secutæ sunt cerebri commotiones adeò frequentes, ut aquæ in caldario bullienti similes esse diceret. Accessit oris & oculorum convulsio, atque acutissimus mandibularum dolor. Quare sæpiùs manibus affectas illas partes perstringebat, veritus, ne exciderent. Forinsecus turgentes oculi, livida facies, & nigra labra cernebantur: quin etiam ventris tumor videri poterat, perinde ac hominis aquâ intercute laborantis. Varia admodum extitit arteriarum pulsatio, & varia quoque mentis perturbatio, pro symptomatum recurrentium acerbitate. Nunc enim prorsùs de vita desperare, mox in spem se erigere videbatur, modò rationis compos, modò

dò delirans, nunc ploranti, nunc cantanti similis. Toto hoc tempore se ter excœcatum, terque cum mortis agone colluctatum affirmabat. Linguâ tamen constitit, nullo unquam symptomate affecta. *Hactenus Matthiolus.* Hæc verò omnia, lapide Bezoar præbito, septimâ post assumptum venenum horâ evanuêre.

OBSERVATIO XIV.

Allium tussis & raucedinis præsentaneum remedium.

AD tussim quod attinet, Alexius Pedemontanus *Lib. 1. Secretorum* sic scribit: Accipe duo vel tria capita allii, eaque mundata probè contunde ac tere: adde porci pinguedinem, & ova, ac cum alliis misce. Vesperi iturus cubitum, pedes nudos (plantas præcipuè) ad ignem calefac, eosque perunge dicto Unguento ex alliis & pinguedine confecto, continuando aliquanto tempore unctionem, pedibus semper ad ignem admotis, & quantum tolerari potest, calefactis. Hoc facto, indue soccos priùs calefactos, lectoque te committe; in ipso verò lecto etiam lumbos prædicto Unguento unge. Hanc curam tribus diebus continenter adhibe, & liberaberis ab omni, vel molestissima tussi.

Ad pellendam raucedinem, accipe duo vel tria capita allii, ac mundata tere, & cum porci pinguedine ad ignem liquefacta misce, donec unguentum fiat. Vesperi antequam cubitum eas, calefac pedes, & unguento prædicto unge, pannisque circumliga; Deprehendes manè omnem recessisse raucedinem.

Non ita pridem celebris in Gallia Concionator fuit, qui hoc remedio vocem, depulsa raucedine, recuperavit. Inchoaratis pro more patriæ quotidianas quadragesimæ Conciones, at post dies aliquot tantam contraxit raucedinem, ut vix pro suggestu dicentem perci-

perent propè ſtantes. Varia per dies aliquot, ſed fruſtra adhibuerat remedia. Audiebat concionantem, ſed voce rauca, quidam loci civis honeſtus, at pauper, accedit dimiſſa concione Concionatorem, ſecretum prædictũ pandit, Veſpere eodem id adhibet Concionator, & die poſtero cum ſtupore omnium voce clariſſima perorat. *Autor joco-ſeriorum Artis & Naturæ Centur. 1.*

OBSERVATIO XV.

De Natura Croci.

FOlia croci tota vireſcunt hyeme, ſpretis algoribus: areſcunt verò, ac penitus deperduntur tempore verno: per æſtatem nunquam apparent. *Matthiolus ad lib.* 1. *Dioſcoridis cap.* 25.

Radix croci gaudet calcari & pereundo provenit. Hinc Verſus:

Pulchrior ut creſcat, teritur Crocus. O furor ingens!
Lætior ut poſſis ſurgere, nolle premi.

Crocus puerperis in partu propinatus, raptim petit uterum, adeò, ut quædam fœtum croco tinctum ediderit. *Heurnius lib.* 2. *Medicam. cap.* 14.

Anhelosis, ſeu difficultate reſpirandi laborantibus, mirificè prodeſt crocus: è contrario infenſus eſt cerebro, & copioſus ejuſdem uſus riſum ciet, non ſine gravi nonnunquam periculo; quod adiit Mercator quidam, qui, cùm plus æquo de croco comediſſet, in tantũ poſt cibum ſolutus eſt cachinnum, ut è vita cum riſu diſceſſurus videretur. *Jonſtonus in Thaumatographia.*

OBSERVATIO XVI.

De Herbis odore inebriantibus.

ESt quædam Scytharum gens, quæ quidem aquæ potu utitur, quotiescunque tamen voluptatis cauſa ine-

inebriari volunt, pyram ſtruunt, & herbas quasdam odoriferas cremant. Tum in orbem circumſedentes, odore ſe iſto non aliter, ac alii vini cyathis invitant, uſque dum bene ebrii ſaltare, canere, tripudiari incipiant. *Maximus Tyrius de amore diſſert.* 2.

OBSERVATIO XVII.

De Natura & proprietatibus pimpinellæ, betonicæ, cicutæ, mandragoræ, ſcorzoneræ, eryngii & aliarum quarumdam herbarum.

PImpinella Chabæ Regis inventum eſt (ſi fides habetur Cluſio *in Nomen. Pannon.*) quâ is Hungarorum quindecim millia ſibi poſt prælium relicta vulnerata ſanavit. Compertum eſt, teſte Fernelio, hanc herbam contra hydrophobiam tantam vim obtinere, ut quicunque eam aliquot diluculis, vel in acetariis, vel alio modo ſumpſerit, nihil incommodi ſentiat.

Betonica tam validæ facultatis eſt, ut oſſa quæcunque confracta extrahat. Eadem cum ſalis momento contuſa, naribusque immiſſa, ſanguinem inde fluentem ſiſtit. *Matthiolus lib.* 5. *Dioſcor. cap.* 1.

Cicuta veneni genus eſt, quod comedentem facit amentem, imò extinguit. Franciſcus Trapollinus, cùm eam loco petroſelini in juſculo, per imprudentiam ancillæ appoſito, ſumpſiſſet, amens obiit. Animalibus quibuſdam tantum induxit ſoporis, ut pro mortuis abjicerentur. Experrecta attonita primùm fuêre diu, mox inſano, præcipiti, & vertiginoſo ſeſe proripuêre curſu. Sturno tamen cicuta eſt eſca. *Paulus Rancalmus obſerv.* 2.

Mandragoram hypnoticam eſſe teſtatur *Lemnius in explicat. herbar. Biblic. cap.* 2.

Cùm enim is ſemel atque iterum ſpecioſum ac amabilem ejus fructum negligentiùs in Muſeo collocaſſet,

ſomnolentiâ premebatur, quæ mandragorâ amotâ evaneſcebat. Idem Lybicis accidit in bello contra Carthaginenſes. Vinum enim in doliis immiſsâ mandragorâ corruperat Amilcar, quod Lybicis prædæ loco ceſſit: qui eo epoto omnes gravi ſomno oppreſſi fuêre, relictâ Carthaginenſibus victoria. *Polyæn. lib.* 5.

Scorzoneram primus deſcripſit *Matthiolus lib.* 2. *c.*137. invenit in Catalaunia ſervus Afer. Eam contra viperarum morſum præſentaneum eſſe remedium, idem, qui invenit, oſtendit. Ut proſit, ſuccum ejus haurire neceſſe eſt.

Eryngium tanta celeritate ſuum ſpargit odorem, ut inſtar ignis in proxima quæque loca diffundatur, inque illa ſuas exerceat vires. Quòd ſi vel unica capra hanc herbam in os ſumpſerit, confeſtim totum gregem ſiſtit, nec loco moveri, niſi herbam ore exemeris, poteſt. *Plutarchus in lib. quod maximè cum Princip. diſſ.*

Lyſimachia inſigne contra peſtem remedium eſt. Ea altiùs homini adalligata, deorſum peſtilens impellit virus, neque ſurſum regredi patitur. *Ruell. de natur. ſtirp. lib.* 3. *cap.* 78.

Cubuja eſt herba novi orbis, ex cujus frondibus filum ſubrufum admixtâ arenâ, ferrum ſecat. *Ovetan. hiſt. lib.* 7. *cap.* 10.

Porrum eſt herba tetrum exhalans odorem, quem tamen ex ore comedentis non exhalabit, ſi is cuminum præguſtaverit.

De Porro ſcribit Mizaldus, ſi caput ejus acuta arundine, vel ſtylo ligneo compunctum, raparumque, vel cucumerum ſemen in foramine occultatum fuerit, fore, ut caput porri adeò intumeſcat, ut prodigium videri poſſit.

DIS-

DISCURSUS NONUS.

EX ANTHOLOGIA.

De natura & qualitatibus diversorum Florum.

PRÆFATIUNCULA.

ANthologia est scientia tractans de floribus: quorum alii sunt purpurei aut rubicundi coloris; ut narciscus, githágo, anemóne, pæonia, viola, amaranthus &c. alii cærulei; ut jasminus (qui est flavus) hyacinthus, aquilegia, clematis &c. alii flavi, seu luteoli, vel aurei; ut heliotropium, caltha (officinis calendula) chrysanthemum, melilótus, chamepytis, chrysocoma &c. alii candidi & gilvi; ut, lilium, Lilium convallium, saponaria, convolvolus Hispanicus, cyclaminus &c. alii multicolores; ut geranium, verbasculum, caryophyllum &c.

OBSERVATIO I.

Quòd raro dentur flores nigri & virides.

RAtio hujus experientiæ est, quia primum in plantarum seu vegetabilium genere gradum obtinent folia, secundum flores. Cum verò primo gradui producto viror competat; is sane floribus competere non potest, nisi valde raró, & non naturâ, sed arte introductus. Vix etiam fieri potest, ut flores sint nigri; quia color niger perfectam concoctionem, ac matu-

rationem, exsiccationemque & ultimæ perfectionis gradum denotat, qui in flores cadere non potest.

OBSERVATIO II.

Quòd succis metallicis color floribus induci non possit.

Ratio est, quia succis metallicis ut plurimùm edacitas quædam & vis corrosiva inest: quæ, cùm tenellæ florum constitutioni inimica sit, potiùs ad eos destruendos, quàm tingendos deservire potest. Unde errat Baptista Porta, qui cinnaberis succo radices florum irrigatas, in colorem rubicundum mutari posse opinatur. Errant, qui ochrâ, sandaracâ, auripigmento insuccatos flores in fulvum seu flavescentem colorem degenerare posse sibi persuadent. Falluntur denique, qui florum bulbis aceto priùs miserè tortis ac maceratis, mineralis cujusdam succi beneficio, intensum colorem, nativo dissimilem induci posse existimant. Enimverò Natura homogenea appetit, ab heterogeneis abhorret. Quisquis igitur nova florum monstra producere desiderat, id homogeneis, hoc est, herbaceis, & non quibuslibet herbaceis, sed flori tingendo naturæ quadam similitudine sympathicis succis perficiet.

OBSERVATIO III.

Quod arte emphyteutica seu insititia, novi colores, à nativis differentes, floribus induci possint.

Experientia hoc docet *primò* in amygdalo, quæ arbor pyro insita, colores florum pyri, dum floret, assumit. *Secundò* in rubra pastinaca, sive rapo hæmatite, cui si candidi floris bulbus insertus fuerit, non candido ampliùs, sed sanguineo fulgebit colore. *Tertiò* in

in Roſa candida, quæ inſita rubicundæ, producit roſam utriuſque coloris participem. *Quartò* in gelſimino, quod inſitione in geniſtam factâ, deduci poteſt in flores aurea pulchritudine conſpicuos. Eadem arte emphyteutica plura alia diverſarum plantarum ſemina ita committi poſſunt, ut communem quandam, uti Naturæ, ita coloris reciproci uſum obtineant.

Quod dixi de inſitione gelſimini in geniſtam, id *Joannes Baptiſta Porta in ſua Magia naturali* enucleatius his verbis exponit. Inſitione doceamus, quomodo Roſa & gelſiminus, ſive jaſminus flaveſcant: quia geniſtæ flos inter cæteros maximè flavus enitet: nos cum roſa & jaſmino æmulari quærimus, & ſociatio, cùm non ſit jugabilis per ſurculum, vel infoliationem, ideò roſam juxta geniſtam ſerimus, eam cum genitali terra transferimus; adeo & libentius in ſinu parentis, quàm novercæ adoleſcunt: ac terebramus plantam, cumque plagam purgavimus, ipſam undique abraſam inſerimus. Luto circumlinimus, & ligamus: mox ubi creſcentis trunci vi fuerit coërcita, à radice ſeparabimus, & ſupra inſitionem truncum reſcindimus, ſic roſa non illepida venuſtate flaveſcit, ſic jaſminus adeo eleganti lucentique colore ſplendet, ut oculorum aciem perſtringat.

OBSERVATIO IV.

Quod facili negotio flores albi in rubros mutari poſſint.

SUmito terræ pinguiſſimæ quantum volueris: ſiccetur ad ſolem probè, donec in pulverem tenuiſſimum redigi queat, deinde cùm in vaſe aliquo repoſita fuerit, germen aliquod florum alborum implantetur. Verùm cavendum, ne terra aliâ aquâ, quàm ſequentibus irrigetur. Itaque ſi ex albis floribus rubros efficere velis, ſumito

ſumito ligni braſili, minutim inciſi, quantum ſufficit, & coquatur in aqua uſque ad conſummationem tertiæ, vel quartæ partis,& fiat aqua rubra, quâ terra bis in die, manè ſcilicet & veſperi, paulatim humectetur. Hoc autem tamdiu faciendum, donec plantula creſcere incipiat, nempe per quindecim, aut viginti dies. Cavendum autem, ne ſub dio noctu relinquatur, propter rorem, quem facile imbibit. *Hactenus Bapt. Porta.*

OBSERVATIO V.

Quod facili, non tam arte, quàm induſtriâ effici poſſit, ut unica violarum planta omnes omnium plantarum colores referat.

OMnia ſingularum plantarum ſemina confuſa in tenuem cannulam, aut detritum linteolum include, & terræ optimæ, ſubactæ, ac ſtercoratæ, ut fieri ſolet, committe, quodque intendiſti, conſequêris. Experimentum (inquit Mizaldus) mihi ſæpenumero probatum, ſumma cum voluptate, miraberis.

OBSERVATIO VI.

De præcocitate roſæ, quod ſcilicet fieri poſſit, ut roſa ante conſuetum naturæ ſuæ tempus, verbi gratia tempore verno aut hiberno proveniat.

SI præcoces roſas habere velis, duobus palmis in gyrum circa radicem effodito, & aquâ calidâ manè ac veſperi irrigato.

Alium modum præſcribit Joan. Baptiſta Porta, qui *in Magia naturali* ſic ſcribit: Circa menſem Octobrem, calcem inter fictilia vaſa ſerito in terram cribro ſuccretam, & ſtercore admixto liquidiorem factam, bis in die calida fovebis aquâ: & ſi aër vento exagitatus, vel immoderata pluvia erit, in contectam inferes domum. Ubi

bi verò gelicidia, & hiberni imbres cessavêre, & aëris evocatur mollities, soli expone, si diei permittit apricitas. Hoc dum tempus expostularit, & primum ver affulserit, & calyce germinare incipiente, calidiori aqua infundatur: jugi enim & lenta scaturigine gaudet. Sic prima erumpet rosa, quæ erat inter vernos flores novissima. *Huc usque Porta.*

Quod si rosa æstate media bis per diem rigetur, putat Democritus eam mense Januario fructum allaturam.

OBSERVATIO VII.

Quod rosæ recentes & vegetæ anno integro servari possint.

Recipe vini & salis quantum satis est, idque in ollam fundito, deinde rosis, quas servare cupis, eam impleto (oportet autem colligere rosas adhuc conclusas) atque ollam operculo obturato, inque cellam reponito. Quibus cùm uti voles, eas vase detecto eximito, atque ad solem vel fornacem exponito, ut dehiscant. Habebis autem rosas tam pulchras & odoratas (inquit Gaspar Schwenckfeldius) quasi recenter essent decerptæ. Alii conservant rosas recentes, immergendo eas in amurcam, ita ut liquor eis supernatet.

OBSERVATIO VIII.

De Rosa per artem ex cineribus suis rediviva.

Admirandum est, quod de rosa per artem ex cineribus suis rediviva narrat *Rosenbergius Rhodologiæ cap. ult.* Quidam magni nominis Medicus Cracoviæ in Polonia, tanta industria cinerem ex omnibus hujus plantæ (rosæ inquam) partibus, apparabat, ut omnes earum scitè conservaret spiritus. Cinis, admotâ vasculo candela, aliquantulum incalescens, apertæ rosæ e-

mit-

mittebat ſpeciem; quam ſenſim creſcere, vegetari, ac penitus formam caulis, foliorum, floridæque roſæ umbram, ac tandem explicatiſſimam roſam producere, cernebant adſtantes. At candela remota redibat in cinerem roſa.

OBSERVATIO IX.

De conſervatione recentium Liliorum per totum annum.

QUidam lilia per totum annum recentia conſervant hoc modo. Auferunt ea (inquit Anatolius, & ex eo Weckerus *lib. 9. de ſecret.*) unà cum ramulis nondum aperta, ſed adhuc concluſa, imponuntque in vaſa fictilia nova, non picata, deinde vaſa cooperta reponunt, atque ſic recentia totum annum durant. Si quando autem medio tempore quis eis uti velit, ſoli exponat, quo concalefacta aperiantur.

OBSERVATIO X.

De Floribus cujuſdam herbæ, mirifica, & inuſitata virtute præditis.

IN India Orientali creſcit herba, cujus flores à furibus permiſcentur cibis eorum, quos deprædari volunt. Mente enim quodammodo alienantur, quotquot inde comederint, atque inſuper in riſum ſolvuntur, omnemque furi libertatem, furandi quidquid libuerit, permittunt: ignari, ubi ſibi reſtituti fuerint, quid à furibus actum ſit. Durat hæc mentis alienatio 24. horarum ſpatio. Ajunt nonnullas meretrices, adulterari volentes cum maritis (præſentibus, & in eodem lecto jacentibus eorum uxoribus, ſed, ubi de floribus illis aliquid deguſtaverint, nihil eorum, quæ aguntur, intelligentibus) tam peritè hoc medicamentum temperare poſſe, ut ad certas horas, quotquot voluerint, operationem ſuam exerceat. Nomen floris & herbæ conſultò reticeo.

OBSER-

OBSERVATIO XI.

De Natura Tulipæ.

TUlipæ nomen ſuum à ſimilitudine pilei Sclavonici, quem Turcæ vocant tuli-pant, derivarunt. Hi floſculi varietatis amantes, quotannis colores ſuos vel mutant, vel corrigunt. Certè ingens in iis eſt colorum concurſus & concertatio: quando aliæ ſimplices, aliæ mixtæ & variegatæ; hoc eſt, punctis, maculis, tæniolis, ſtriis interſperſæ ſunt: aliæ ruſſæ, ruſæ, miniatæ, ſanguineæ, ſpiceæ, dilutæ, ſaturæ, odoræ & inodoræ ſunt: aliæ rubro-albæ, flavo-rubræ, viridi-rubræ, flavo-albæ &c.

Quæ tuliparum varietas nonnunquam certat cum earum pretio & æſtimatione. Ante annos non multos quidam tulipam novo colore eoque exotico in horto ſuo enatam, tanto amoris extraordinarii affectu proſecutus eſt, ut eam alteri emere cupienti, & mille florenos offerenti, vendere recuſaverit. Sed ecce floſculus iſte tanto æſtimatus pretio, nocte inſequente periit, bulbo ipſo dente ſubterranei muris arroſo, & Domino ſuam infelicitatem deplorante. *Lipſius lib.* 2. *de Conſtantia.*

OBSERVATIO XII.

De Flore, in quo Paſſionis Dominicæ inſtrumenta expreſſa ſunt.

FLorum Regina eſt Granadilla, Flos Indicus, ſub PAULO V. Romam allatus. Is roſa major eſt, & odore melior, qui CHRISTI patientis inſtrumenta & ſigna in ſeipſo mirabiliter expreſſa repræſentat. P. Euſebius Nierembergius *natural. hiſt. lib.* 14. *cap.* 10. ſic eum deſcribit: Granadilla ſupra foliorum ambitum quinque corallia, tanquam vulnera, oſtentat: ſurgit in medio columna cum baſi & capitello: ex ea quinque virgulæ

gulæ velut in coronam coëunt. Eminent clavorum instar, tria ferrei coloris germina. Gracilis, inſtar hederæ, vicinæ arbori creſcendo inſerpit, foliis mucronem lanceæ præferentibus incumbens. Fructus ovi anſerini, coloris aurei, rufulis aliquot maculis inſperſus eſt. Semina nigra & rotunda; ſuccus melleus ventriculo roborando prodeſt. Simul in eadem planta flores fructuſque toto anno videas.

OBSERVATIO XIII.

De variorum florum qualitatibus.

ANemóne, flos Adonidis, nunquam ſe aperit niſi vento ſpirante, unde & nomen illi. *Plinius lib.* 21. *cap.* 23.

Formoſus flos eſt, brevis eſt tamen uſus in illo,
Namque malè hærentem, & nimia levitate caducum
Excutiunt iidem, qui perflant omnia venti.

Heliotropio formicæ necantur, obturatis hoc flore earum foraminibus. Si ejusdem ſucco circumſcribatur ſcorpionis cavernula, nunquam ille egreditur: ſi autem flos ipſe, aut herba cavernulæ imponatur, emoritur. *Matthiol. ad lib.* 4. *Dioſcorid. cap.* 186.

Flores corni exitium afferunt apibus; hæ enim illis deguſtatis, cita alvo moriuntur. *Jonſtonus in Thavmatographia claſſ.* 5. *de plantis, cap.* 14.

Flores buxi adeo ſanguinem purgare feruntur, ut ſi, poſt ſumptam unam drachmam pulveris, ex his floribus confecti, vena, interpoſito unius horæ ſpatio, incidatur, ſanguis floridus emanet, qui antea fœculentus fuerat. *Petreius in Noſol. Harm. diſc.* 14.

Flores trifolii futuræ tempeſtatis ſunt prænuncii: hac enim adveniente, illi contra eam eriguntur. Obſervatum eſt, copioſos trifolii flores, crebras anni pluvias, & aquarum inundationes, paucos verò, ſiccitatem portendere.

Flores

Flores mori non niſi exacto frigore prodeunt: quando autem prodeunt, tanta feſtinatione acceleratur eorum germinatio, ut non ſine ſtrepitu tota arbor una nocte floribus operiatur. *Plinius lib.* 16. *c.* 25.

Si quis impleverit vas fictile floribus Perſici, & obturato ore permiſerit dies aliquot ſub terra macerari, vel in fimo putreſcere, poterit inde exprimere oleum, quo ſi inungantur tempora, pulſus, & ſpina dorſi, ante acceſſiones febrium putridarum, certo experimento illæ curabuntur, ſi Mizaldo fides adhibeatur.

Aqua ſtillatitia ex floribus tiliæ, pueris epilepticis mirandum in modum confert, teſte Mizaldo, quocunque modo miniſtretur. Sunt, qui ei ſocient viſcum quercinum, ſucceſſu admodum felici & optato.

Liliorum cepacei bulbi in aqua decocti, faciei ruborem tollunt, ſi matutinis & veſpertinis horis illinantur.

DISCURSUS DECIMUS.

EX THAMNOLOGIA.

De natura & proprietatibus quorundam fruticum.

PRÆFATIUNCULA.

THamnologia eſt ſcientia de fruticibus. Porrò frutices dicuntur illæ ſtirpes, quæ inter lignoſas ſunt altitudinis & craſſitiei mediocris; cujusmodi ſunt corylus, prunus, paliurus, ſambucus, hedera, cinnamomum, balſamum, vitis, rhamnus, ferula, tamariſcus &c.

OBSERVATIO I.

De Balsamo.

FOlium balsami, quod rutæ simile est, perpetuò vi-ret. Succus ejus recenter ex arbuscula extractu (extrahitur autem, si cortex ejus vitro, lapide, vel osse cultello incidatur) albus est: exacto quinquennio auri formam induit, decennio retinet, mediocriter crassus Ab hoc tempore odorem ita deperdit, ut non nisi fricatione deprehendatur.

Olim copiosus erat proventus balsami in Judæa, idque in duobus regiis hortis, quorum alter viginti, alter pauciora jugera complectebatur. Hodie sola fermè Ægyptus balsamum producit. Nam Reges Ægypti (si vera est historicorum opinio) Judaicæ Magnificentiæ æmuli, pretiosam hanc arbusculam ex Judæa translatam in Ægyptum, hortis suis implantaverunt. *Plinius lib.*12. *cap.* 25.

OBSERVATIO II.

De Cinnamomo.

HIc frutex nascitur extra Europam in Zeilam, & in una ex Insulis Moluccis, cui nomen *Mutir*. Nullum gerit fructum: solus cortex in pretio est, qui æstu finditur, & bis in anno deglubitur. Is primùm dulcis, menstruo deinde spatio perficitur.

Tantæ cinnamomum, ad sanitatem conservandam, vitamque prolongandam, est efficaciæ, ut Botanicus quidam exclamet: *Cur moritur homo, qui utitur cinnamomo?*

Tanta cinnamomi fuit tempore Galeni penuria, ut non nisi apud Imperatorem reperiretur. *Galenus lib.* 1. *de antidot.* Sed & nunc tale vix reperiri quale describit Galenus, testatur *Scaliger Exercitat.* 144.

Virtutem suam cinnamomum per triginta annos non

non ſervat. Itaque ſenectutem ſentit; quod imperitè quidam negarunt. Audiamus Galenum. Quo tempore, inquit, Antonino Imperatori theriacam paravi, vaſa lignea, in quibus cinnamomum inerat, multa conſpexi, alia Trajani, quædam Adriani, nonnulla Antonini ætate repoſita, omniaque hæc ſeſe & ſaporis & odoris imbecillitate, vehementiaque tantùm plane ſuperabant, quantum & tempore differebant.

OBSERVATIO III.

De Vite, & iis, quæ à vite oriuntur, videlicet Uvis, vino, aqua vitæ, aceto.

NOnnullæ vites ter quotannis fructum ferunt, teſte Dalechampio *ad cap. 27. lib. 16. Plinii.* ubi ait, ſe tales vites multis in locis conſpexiſſe, præſertim Lugduni in horto Guilielmi Caulii.

Partes, ex quibus conſtituitur vitis, ſunt diverſæ: palmes, malleolus, flagellum, capreolus, duramen, pampinus. Palmes, ſeu ſarmentum, eſt longior luxuriantis vitis virga, dividiturque in variis ſpecies. Alius enim appellatur *focaneus*, qui in bifurco medius proſilit: alius *racemarius*, ſeu fructuarius, qui fructum, ſeu racemum parit: alius *orbus*, qui fructu caret: alius *pampinarius*, ſeu colis, aut coliculus, qui tantùm fundit frondem: alius *refex*, ſeu præſidiarius, aut ſubſidiarius colis, qui putatur ad fructificandum. Malleolus, ſeu malleolaris virga, eſt palmes novellus plantationi idoneus. Flagellum dicitur ſumma palmitis pars, & cyma. Capreolus ſeu clavicula appellatur crinis, annulus, coliculus viteus, qui eſt in modum cincinni contortus. Duramen, ſive duramentum eſt vitis brachium. Pampinus eſt folium, ſeu folioſus ramus.

Partes Uvæ ſunt ſcapus, acini, folliculus, vinaceus. Scapus eſt racemus, ſeu botrus, unde acini, ſeu

globuli edules dependent. Folliculus eſt botri & acinorum corium. Vinaceus ſeu vinaceum eſt granum acini.

Vinum, hoc eſt, ſuccus Uvæ, bibendo meliùs quam ſcribendo innoteſcit. Quamvis non deſint homines qui aliis etiam modis, videlicet, non ore, ſed pedibus non guſtando, ſed calcando, in notitiam vini devenire ſoleant.

Quem inuſitatum vini probandi modum recenſet *Quercetanus in Diætetica* his verbis: Omnia Vaſconiæ vina, quæ mari in varias provincias avehenda, Burdegalam comportantur: illuc convecta in cellas publicas immenſæ longitudinis ac latitudinis, ut forum vinarium verè dici poſſint, in hunc finem conſtructas, & ab urbe pauliſper ſubductas, reponuntur; atque ita compreſſis ordinibus ſeriatim componuntur, ut inter ordines deſit ſpatium ad perforandum dolium, è quo vinum hauriatur. Quo fit, ut Mercatores vina empturientes, & in hac re verſatiſſimi, non ex guſtu vini notent, quæ probent, vini dolia; ſed ſuper ſingulorum ordines vaſorum gradientes, & in ſingulis vaſis greſſum prementes, facile dignoſcant, quæ ſpirituoſiora ſint & leviora, eaque ſigillis ſuis adnotent. Leviùs enim ac agiliùs ſuper meliora incedunt vina, quàm ſuper craſſiora, ac terreſtriora, quæ graviorem & tardiorem greſſum reddunt. *Ita Quercetanus.*

Vinum optimum nunquam ſeneſcere, ſcripſit *Galenus de Theriaca:* ducentis aliqua durare annis teſtatur *Plinius.*

Vinum corruptum faceſſit in acetum, naturali ejus calore diſſoluto.

Aceto vires ineſſe, putredini & putrefactioni contrarias (ſaltem in certa materia) teſtantur artis Chirurgicæ periti, & comprobant multæ experientiæ.

Dixi

Dixi, *in certa materia.* Nam si acetum metallis superfundatur, æruginem, rubiginem, & similia alia putredini affinia producit: sicut & plumbum in cerussam convertit. Itaque acetum in metallis non adversatur putredini, sed potiùs eam promovet.

Quòd acetum microscopio inspectum exhibeat oculo vermes serpentiformes, sinuoso gressu, eoque satis celeri reptantes, testantur *Borellus observat. microscop.* 1. *Joannes de Mey in cap.* 4. *Gœdart. de insect. seu Metamorph. natur. p.* 52. *& alii.* Atque hi vermes interdum solo visu acri ad radios solares cernuntur, absque alio instrumento optico, ut observavit *Baccius de natur. vinor. histor. lib.* 1. *cap.* 23. Quòd si acetum aquæ limpidæ misceatur, fluitare longiusculos in vitro vermiculos, & manifestè cerni, testatur *Thomas Bartholinus Centur.* 4. *observat. hist.* 13. *ex relatione fratris sui Erasmi.*

Nardius *in Noctib. Genial. noct.* 1. *p.* 75. asserit, non in omnibus, sed in aliquibus duntaxat vini generibus, reperiri vermes, nimirum in iis, quæ ex vappa, & debilibus, minimeque generosis vinis confecta sunt. Borellus tamen *observ.* 1. in acetis etiam acerrimis, & ex vinis generosissimis confectis, vermiculos ope microscopii deprehendit: Quod confirmans Panarolus *observat.* 4. In omni, inquit, aceto reperiuntur vermes, & quò acetum est acrius, eò copiosiores fluitant vermes, figurâ oblongâ, tenues, cum parvo capite, qui enecantur, si theriaca aceto addatur.

De Aqua vitæ (quæ est filia vini, tam naturalis, quàm artificialis, diciturque aliàs *Elixir*, *Aqua auri*, *Cœlum Philosophorum*, *Quinta essentia*, *Anima vini*, *Aqua divina & Clavis Philosophorum*) miranda scribunt Alchimistæ & Medici, imperitis impossibilia. Matthiolus in *lib.* 6. *Dioscorid.* vocat eam antidotum ad omnia.

Antonius della Scarparia, dum octuagesimum ætatis

tis annum ageret, dictitare solebat: *O aqua vitæ! per te jam mihi vita annis viginti duobus prorogata fuit.* Ita de eo scribit Savanorola *de arte conficiendi aquam vitæ simplicem & compositam.* Delectabatur etiam hac aqua Franciscus I. Dux Mantuæ, propterea quod ob frigiditatem, ventriculi ventositate vexaretur. Testatus is est, se inter tot, & tam multiplicis ordinis medicamenta, nullum magis salutiferum, quàm aquam vitæ, expertum esse. Inter complures alias hujus aquæ proprietates & operationes, hanc etiam recenset Heurnius *lib.* 1. *Prax. Medic.* quòd ea, quæ illi immerguntur, viginti quatuor horarum spatio suis exuantur viribus.

OBSERVATIO IV.

De Arundine.

TRaditum à pluribus rei agrariæ autoribus est, inter arundinem & filicem naturale & intestinum esse odium; ita ut, si arundo vomeri alligetur, facilè filix enecetur & eradicetur. Asparagis verò magna cum arundine amicitia intercedit; unde si in arundinetis serantur, mirificè proveniunt. *Matthiol. in Dioscorid. lib.* 1. *cap.* 97.

In India ad tantam excrescunt molem arundines, ut singula internodia navigiorum vicem præstent per fluvios & lacus, unius arundinis alveo ternos homines capiente. *Matthiol. loc. citat.*

OBSERVATIO V.

De Ferula.

FErula æstuosis nascitur locis. E prima ejus germinatione, corculum quoddam eximunt pastores, ovi luteum induratum referens. Id sub cineribus assum, priùs tamen charta madefacta obductum, mox pipere & sale conspersum, non modò gustui gratissimus cibus

bus eſt, ſed magnopere etiam ad naturæ languentis excitationem, ſpirituumque vitalium confortationem deſervit. *Matthiol. ad lib. 3. Dioſcorid. cap. 76.*

Natura ferulæ murænis infeſtiſſima eſt, tactæ ſiquidem eâ emoriuntur. *Plinius lib. 20. cap. 33.* Imo & cæteris jumentis præſentaneum eſt venenum. Solis aſinis gratiſſimum præbet pabulum. *Jonſton. in Thavmatographia claſſ. 5. de Plant.*

DISCURSUS UNDECIMUS.

EX PHRYGANOLOGIA.

De Natura & Proprietatibus quorundam ſuffruticum.

PRÆFATIUNCULA.

PHryganologia eſt ſcientia de ſuffruticibus. Cæterum per ſuffrutices intelliguntur illæ ſtirpes, quæ ſunt minimæ inter lignoſas altitudinis & craſſitiei; cujusmodi ſunt ruta, ſalvia, roſmarinus, helenium, myrtus; & complures hiſce ſimiles, de quibus Botanici.

OBSERVATIO I.

De Ruta.

RUta præſtans antidotum eſt contra venena. Hinc muſtela cum ſerpente congreſſura, præſidio rutæ ſeſe communit. Sed & epilepſiæ inſigne remedium eſt, fortuitò à ruſtico inventum. *Camerarius Centur. 3. memorab. 36.* Contundenda eſt ruta, & epileptici naribus (niſi fallor) admovenda, aut inſerenda. Succus rutæ tollit obſcuritatem oculorum, ſiſtit ſanguinem è na-

ribus manantem, & ſedat dolorem aurium; ſi oculis, naribus, auribus indatur. Expedit hanc plantam hiberno tempore cineribus contegere, ne à frigore lædatur. Eadem bis in anno, ad promovendam ejus creſcentiam, uſque ad radicem reſecanda eſt.

Scribit *Joſephus de bello Judaico lib. 7. cap. 25.* rutam admirandæ magnitudinis Macherunti viſam eſſe. A nulla enim ficu celſitudine vincebatur.

OBSERVATIO II.

De Salvia.

SAlviam non raro inficiunt bufones, admorſis ejus ſuperioribus & extremis partibus. Cujus mali non eſt aliud remedium, quàm ſi ruta juxta ſalviam plantetur. Bufones enim atque ſerpentes non modò rutam, ſed & umbram ejus fugiunt, ac pertimeſcunt. Quam in rem *Migaldus Horti Medici campo 6. area 3.* Ruta, inquit, vi præſentanea venenis reſiſtit, nec ullum ſerpentis genus, quàm ſe longiſſimè ejus umbra porrigit, uſpiam admittit.

Salvia à prægnante comeſta conceptam prolem continet, redditque vitalem. *Matthiolus in lib. 3. Dioſcorid. cap. 34.* Sed & matricem ad conceptionem fœtûs diſponit, feminaſque reddit fœcundas. Tradunt certè Hiſtorici, in Copto Ægypti poſt ſævam peſtilentiam, quâ multi homines interierunt, mulieres bibiſſe decoctum ſalviæ, & multorum liberorum matres effectas eſſe.

Salvia in multis Aſiæ locis eſt pomifera. Coſentiæ apud Calabros quædam in horto gallam ſubcineritii coloris produxit: cujus teſtis oculatus eſt *Scaliger Exercit. 168.*

OBSER-

OBSERVATIO III.

De Roremarino.

ROſmarinus tam copioſus in Gallia ſponte provenit, ut inſtar vulgarium lignorum uratur, & foco inſtruendo deſerviat: tam inſuper craſſus iſt, ut ex eo integræ menſæ conficiantur.

Roremarino in Anglia ad ſepiendos hortos ſutuntur. De quo *Barclajus in Icon. anim. cap.* 4. ſic ſcribit: *Rorismarini planta apud multas gentes ipsâ curâ, quâ educatur, eſt pretioſa; hic* (in Anglia) *vulgaris, & nonnunquam in ſepes, velut ad hortorum cuſtodiam ſtipata.*

Deſervit roſmarinus ad purificandum ſanguinem, confortandum cor, clarificandos oculos, tollendas obſtructiones hepatis & lienis &c.

OBSERVATIO IV.

De Abſinthio.

ABſinthium alii inter herbas, alii inter ſuffrutices numerant: opinionem illorum ſecutus ſum ſupra diſcurſu 8. obſerv. 4. iſtorum, in præſenti.

Mira in multis eſt natura abſinthii, inquit ex Matthiolo *Jonſton. in Thaumatograph. claſſ. 5. cap. 11.* Amarum ipſum, aqua tamen ejus ſtillatitia dulcore imbuta invenitur. Hinc imis partibus & ipſum dulce commentatoribus Meſue videtur. At externarum partium tenuitati res debet adſcribi. Hæ ſiquidem in vaporem reſolubiles, igniſque calore magis attenuatæ, facilè reſolvuntur, & amaritudinem remittunt. Lixivium, ex quo ſal ejus paratur, manus ita afficit, ut ſenſum tactûs ferè amittant. *Hæc ille.*

OBSERVATIO V.

De nonnullis aliis suffruticibus, ut helenio, amaraco, lavendula, &c.

HElenium ad ortum solis, quasi præ reverentia capite nutans reclinatur, cùm se rursum erexerit, consistit, solemque semper respiciendo sequitur, donec occidat.

Amaracus sive Majorana, est cephalica planta, & ad confortationem cerebri atque memoriæ inprimis conducit. Prodest quoque Cacostomachis, & atrophiâ, morboque caduco laborantibus.

Lavendula & Spica nardi ictericorum est medicina, aliisque pluribus medetur utraque morbis & infirmitatibus: de quibus consulantur Botanologi.

Carduus benedictus (qui & ipse à multis in classe suffruticum reponitur) Angelicæ suppar, veneno & pestilentiæ resistit; expellit è corpore bilem, & putrescentes è ventriculo humores, adversùs colicam, sanguinis impuritatem, vertiginem capitis, obstructiones hepatis & lienis, tertianas deniqne febres utiliter usurpatur.

DISCURSUS DUODECIMUS.

EX DENDROLOGIA.

De variis Arboribus, earumque naturis & proprietatibus.

PRÆFATIUNCULA.

DEndrologia est scientia de Arboribus, hoc est, de iis stirpibus, quæ in altum excrescunt, & è stipite expandunt robustos ramos, obteguntque se

ſe frondibus. Earum variæ ſunt ſpecies, ut pomiferæ, pyriferæ, Bacciferæ; verbi gratia: Laurus, myrtus, Sorbus ſilveſtris, &c. Item nuciferæ: ut juglans: aromatiferæ, ut caryophyllus: reſinoſæ, ut pinus: fœcundæ, ut pyrus: ſteriles, ut alnus, betula, ornus, cedrus, ſalix, tilia, buxus, cupreſſus, & aliæ.

OBSERVATIO I.

De duabus Arboribus, quarum altera mel, altera farinam in ſe continet.

IN Hircania eſt arbor ſimilis quercui, cujus folia multo melle tinguntur, ſub ortum ſolis ab incolis colligendum: quod tempus, niſi obſervetur, mel evaneſcit. *Curtius 6. Hiſtor.*

In Terenate Inſula quædam arborea creſcit planta, ſummo faſtigio in orbiculatum caput, braſſicæ capitatæ inſtar, extuberans, in cujus meditullio candidam quandam profert farinam, quam incolæ aquâ inſperſa depſunt & pinſunt, loco panis comeſturi. Quòd ſi adjungatur modicum piperis aut cinnamomi cum ſaccharo, ſervit ipſis inter tragemata pro deliciis: *Cluſius in deſcript. peregr. ſtirp.*

OBSERVATIO II.

De duabus Arboribus, quarum altera eſt ferrea, altera lapideſcens.

IN Java majore ajunt eſſe raram arborem, cujus medulla ſit ferrea, ab imo ad ſummum uſque faſtigium porrecta: fructum quoq; ferro impenetrabilem gignere dicitur. *Scaliger Exercitat.* 181. *Sect.* 27.

Matthiolus *epiſtola* 3. teſtatur ſe in Bohemiæ montibus

tibus vidisse abietem, cujus truncus in rigidissimum saxum fuerit conversus.

OBSERVATIO III.

De duabus Arboribus, quarum altera est lanigera, altera Metalla, aliaque, præter succinum attrahit.

IN Insula Tylos lanigeræ sunt arbores: quarum fructus sunt similes cucurbitis, amplitudine mali cydonei: ex quibus maturitate ruptis eximuntur pilæ laneæ, & inde pretiosi lintei vestes conficiuntur. *Plinius lib.* 12. *cap.* 10.

Auctor Acerræ Philologiæ *lib.* 1. *num.* 139. mentionem facit cujusdam arboris, oleæ magnitudine, florum, fructusque expertis, crassis sub terra radicibus brachii instar crescentis: cujus dodrans aurum, æs, argentum, lapides & alia præter succinum ad se trahit.

OBSERVATIO IV.

De duabus Arboribus miræ fœcunditatis.

MAlus Assyria omnibus horis pomifera est: aliis cadentibus, aliis maturescentibus, aliis subnascentibus. Eam variæ gentes tentavêre ad suum transferre clima, sed non nisi apud Medos & in Perside nasci, eventus docuit. *Plinius lib.* 12. *c.* 3.

Idem Plinius *lib.* 17. *cap.* 16. scribit se arborem vidisse apud Tiburtes Tullias, omni genere pomorum onustam: alio ramo nuces, alio baccas, alio uvas, alio ficus, alio pyra, alio varias pomorum species gerente; sed brevem ei fuisse vitam: in eoque similem magnis ingeniis, quæ rarò sunt vitalia.

OB-

OBSERVATIO V.

De duabus Arboribus, alterâ miræ magnitudinis, alterâ pernitiosæ qualitatis.

IN Thacochovia, Novæ Hiſpaniæ Provincia, reperitur arbor cava, cujus cavitas interior novem, exterior autem rotunditas ſedecim orgyas complectitur. Ejus rami ac frondes tam latè ſe diffundunt, ut mille hominibus umbram præbeant. Plinius quoque *lib.* 12. *cap.* 1. meminit cujuſdam plantani in Lycia, cujus cavitas ad pedes Geometricos 81. extendebatur, rami & frondes integrum campum inumbrabant, totaque arbor non tam arboris unius, quàm integræ ſilvæ ſpeciem referebat.

Quod attinet ad alteram arborem, exitiali qualitate formidabilem, eſt ea (ut alias complures præteream) napellus; cujus virulentia ante annos non multos duorum interitu paſtorum innotuit. Rem narrat *P. Athan. Kircher in Art. magn. Luc. & umb. l.* 1. *p.* 2. Eſt, inquit, Romæ mons quidam, omnium eorum, qui campos Romanos cingunt, longè eminentiſſimus, Tyburtino agro incumbens, nomine Januarius, vulgò *Monte Gennaro.* In hujus ſummitate montis, duo non ita pridem paſtores caprarum ſub arbore quadam intra exiguum tempus extincti reperti ſunt. Quos dum Medici, ad examinandam mortis cauſam, inſpiciunt, omnique plaga & vulnere carentes reperiunt; Livor vultuum neſcio cujus veneni latentis manifeſtum tandem præbuit indicium. Sed dum nemo veneni qualitatem cognoſceret, admiratione defixi, cauſam ſollicitiùs inveſtigant. Conſultis tandem ruſticis, qui montis naturam probè norant, repererunt mortis cauſam fuiſſe Napellum racemoſum, virulentiſſimi Veneni arborem, in hac montis ſolitudine non infrequentem, ſub cujus um-

umbra æstuantes sese prostraverant, virulentaque evaporatione oppleti, dormierant simul, & æternum obdormierant.

OBSERVATIO VI.

De duabus arboribus, quarum altera à sole, altera ab humana manu attacta marcescit & senescit.

IN India est arbor, à Costa appellata *Mimosa*, quæ manu admota senescit ac marcescit, remotâ revirescit. De aliâ simili mentionem facit *Garzias ab Horto.*

Auctore Costa *in descript. Antipodum*, arbor quædam nocte pulcherrimis, suavissimisque onusta floribus, simul atque à solis illustratur radiis, tota marcescit. Quod tenuitati spirituum, qui à calore solis evocantur, & penitus resolvuntur, adscribendum censeo.

OBSERVATIO VII.

De Arbore, quæ venenum pariter, & veneni antidotum in se continet.

NOn procul à Malacca est arbor, cujus cùm multæ sint radices, in varias dispertiuntur partes & vires, easque prorsus contrarias. Quæ enim ad Orientem spectant, antidotum præbent adversus venenum, quæ ad occasum, ipsissimum sunt venenum. *Refert Clusius, & ex eo Caussinus in Symbol.*

Eâdem Naturæ benignitate, mala malorum remediis corrigente, provisum est, ut ubi crescit Napellus, venenorum omnium maximè peremptorium, ibidem etiam proveniat quædam alia planta, Napello aspectu similis, sed viribus planè dissimilis, imò contraria, utpote remediũ adversùs Napelli venenum suppeditans. *Matthiol. lib. 4. Dioscorid. cap. 73. Lobelius de stirpibus pag.* 301.

OB-

OBSERVATIO VIII.

De Arboribus, ſenſatione quadam præditis, & motum progreſſivum exercentibus.

RObertus Harcurtius Anglus, qui Anno 1608. Guianam novi orbis regionem auriferam luſtravit, in relatione de rebus ibidem viſis geſtisque commemorat, ſe in prædicta regione vidiſſe, & 40. aliis Anglis monſtraſſe arborem, cujus folia digito tacta ſeſe retrahunt & complicant, caputque inclinant veluti mortua. Quòd ſi vel unicum eorum abſcindatur, protinus omnia alia totius arboris folia exareſcunt: quæ eadem tamen ſpatio quartæ partis unius horæ revireſcere, &, ut ita dicam, reviviſcere incipiunt. Teſtis horum omnium eſt *Scaliger lib. exercitationum ſect. 28.*

Huic arbori non eſt abſimilis illa in Inſula Cimbubon, cujus frondes (ut refert idem *Scaliger Exercitat.* 112.) in terram lapſæ, reptione quadam ſeipſas & movent & promovent. Utrimque habent quaſi pedes puſillos binos. Compreſſæ nullum edunt ſanguinem. Tactæ abeunt aut refugiunt. Ex iis una dies octo ſervata in ſcutella, vixit movitque ſeſe quoties tangeretur.

OBSERVATIO IX.

De mirabili quadam Arbore, quæ ſola res plurimas humanæ vitæ neceſſarias ſuppeditat.

HÆc arbor appellatur Mangueis, creſcitque in regione Temiſtitan; ex cujus perterebrato caudice ſuccus profluit aqueus: de quo ſi quis largiùs biberit, obſtupeſcentibus ſenſibus ebrietate laborat. Cortex ad fila percommodus eſt, lignum ad acus, frondes propellendis morbis, & integendis caſis aptiſſimæ. *Majolus in colloquio de plantis.*

Sed accuratiùs hanc arborem deſcribens *Joan. Lud. Gottfridt in hiſtoria Antipodum:* Mangueis, inquit, eſt arbor admirabilis, quia aquam, vinum, oleum, acetum, mel, ſyrupum, fila, acus, & mille alias res ſimiles ex ſeipſa producit. Provenit hæc arbor etiam in Nova Hiſpania, & Provincia Peruana, cujus incolæ eam magni æſtimant, habentque penè ſinguli juxta ædes ſuas in quotidianos uſus plantatam. Folia ejus in acumen deſinunt, quo extracto extrahitur ſimul prælongum filum, quod acumini, tanquam acui inſerunt, ad veſtes conſuendas. Caudicem ſive truncum arboris perterebrant, & mox ex facto foramine effluit aqua, ſive ſuccus aqueus, dulcis, ad ſitim reſtinguendam idoneus: qui ſi igne coquatur, fit ſimilis vino: ſi ad dies aliquot reponatur, convertitur in acetum: ſi lentiori igne decoquatur & purificetur, fit mel: ſi non ex integro, ſed mediocriter coquatur, efficitur ſyrupus quidam muſteus, ſeu uvæ ſaporem referens. Atque hujus ſucci menſuræ aliquot ſingulis diebus colligi poſſunt.

OBSERVATIO X.

De Arbore unica ſeipſam ita propagante, ut tandem in integram ſilvam excreſcat.

IN Inſula Goa, vicinisque locis naſcitur arbor, cujus rami tenuia deorſum filamenta mittunt, quæ cùm terram attigerint, radices agunt, inque novos caudices ſuccreſcunt, multamque circa ſe ſobolem eodem modo propagant. Ita unica arbor tandem denſiſſimam efficit ſilvam, ut ſuis propaginibus integrum occupet milliare Italicum, umbraque ſuâ exercitum tegere poſſit. *Cluſius in Garzia Hiſtor. Aromat.*

OB-

OBSERVATIO XI.

De Arbore, cujus fructus est Draconi similis.

IN India Occidentali est genus arboris prope Carthagenam, cujus fructus perfectissimè refert formam draconis. Videtur enim esse cervice longâ, ore aperto, naribus elevatis, cauda oblonga, pedibus insistens; ita ut qui viderit, factos ex arboreis foliis dracones existimet. Ita ex Monarello *Jonstonus in Thaumatographia classe 5. de plantis cap. 17.*

OBSERVATIO XII.

De Cedro.

CEdrus est arbor altissima, tamque crassa in caudice, ut tres viri eam non possint complecti. Magna illi vis inest præservandi corpora à putrefactione & corruptione. De libris Numæ scripsit Plinius, quòd illi annis plurimis sub terra defossi, manserint incorrupti, propterea quòd succo Cedrino eos inunxerit: ob cujus succi excellentem amaritudinem, summamque siccandi vim, à tineis, omnisque interioris corruptionis causa Libri illi præservati fuerunt.

OBSERVATIO XIII.

De Junipero.

JUniperus est substantiæ duræ & compactæ; hinc ejus lignum ad centum annos incorruptum permanet. Quam ob causam templum Dianæ Ephesinæ Juniperinis trabibus extrui imperavit Hannibal, teste Plinio *lib. 15. cap. 40.*

Carbo juniperi accensus, & suo cinere obrutus, anno integro ignem fovet, si chymicis credimus.

Medulla juniperi in Numidia est candida, in Æthiopia nigra, in Lybia purpurea. *Scaliger exercitat. 181. sect. 9.*

OBSERVATIO XIV.

De Arbore Guao.

GUao est arbor Americana, folia gerens rubra, villosa, & nunquam decidua. Succus ejus adeò est causticus, ut animalia & homines, si sub illa dormiant, pilorum faciant jacturam. Fabrorum, qui illam contrectant, manus & ora ita inflantur, ut multis diebus non detumescant. *De Laet lib.* 1. *Americæ cap.*1.

OBSERVATIO XV.

De Arboribus Cachi & Cacavate.

SUnt hæ arbores Americanæ: quarum prior unicum tantum profert pomum, idque tam magnum, ut integrum possit onerare hominem. *Majolus colloquio de plant.*

Cacavate arbor est in Provincia Americæ Nicaragna, quæ adeò horret solem, ut sub umbra semper sit servanda, & altioris arboris tegenda umbraculo; nam solaribus illustrata radiis tabescit. *Libavius de orig. rerum.*

OBSERVATIO XVI.

De Buxo.

GRavissimus dentium dolor sedatur, si dentiscalpium oleo buxi intinctum, & in radicem dentis affecti immissum fuerit: idque tam subitò, ut miraculi, & incantationis instar, dolor prorsus evanescat. Ita sentit *Quercetanus Tetrad. cap.* 16.

OBSERVATIO XVII.

De fraxino, ejusque miris virtutibus.

INprimis vasa ex fraxino in usum cibi potusque confecta, mira spleneticis & calculosis præstant auxilia *Dom. Zeon. lib.* 1. *pract.*

Vulnu

Vulnus acceptum non putrescit, sanaturque celeriter, si statim ligno ex fraxino confecto radatur seu mulceatur, aquâ frigida eluatur, obligetur, ac mundum servetur. Idque propriis experimentis viri fide digni confirmant.

Qui ex vasis fraxineis comedit aut bibit, fertur à Veneno securus esse, eò quòd putetur venenum ex hujusmodi vasis propinatum esse innoxium.

Infans recens natus, & ter continenter in mactra, seu alveolo è fraxini ligno lotus, immunis esse dicitur toto vitæ tempore à morbo caduco.

Sanguis è naribus fluens sistitur, si ligno fraxini radatur, & aquâ frigidâ lavetur facies, manuque illius lateris, in quo nares stillant, idem lignum teneatur, donec incalescat.

Fraxinei ligni frustula ambabus manibus detenta ut incalescant, adeò sistunt sanguinem, ut ne gutta quidem è scarificatione effluat, donec abjiciantur. Cujus rei experimentum fecit quidam ex ordine S. Francisci, & verum esse deprehendit.

Succus ex ligno fraxini destillatus, ac potatus, antidotum est præsentissimum contra venenum.

Fraxinus adeò venenatis animalibus, præsertim serpentibus, contraria est, ut ne quidem umbram ejus, quantumvis manè aut vesperi longissimè projectam, subeant. Et si circum in terra è fraxini foliis ab una, ex igne ab alia parte facias, serpentemque in medio aut viperam colloces; subire ignem, ac transilire potiùs, quàm fraxinum contingere tentabit. Imò fraxineâ virgâ tactus serpens, stupesit & moritur. *Plinius lib. 16. Natur. histor. cap.* 13. hinc eodem teste Plinio, mira naturæ benignitas relucet, quòd fraxinus floreat, antequam serpentes ex antris suis egrediantur, nec folia demittat, antequam serpentes ad antra sua, æstate transactâ, sese receperint.

 Cæte-

Cæterùm non pauci naturæ ſcrutatores aſſerunt, præcipuas virtutes, quæ ligno fraxini (quod etiam lignum vulnerarium dici ſolet) tribuuntur, tunc ſolùm ei convenire, quando cæditur hora prima, quâ Sol ingreditur in Leonem. Alii tamen volunt, fraxini lignum, folia, virgas, corticem, ſuccum, &c. virtutes ſuas omnes obtinere, quocunque cædatur tempore; ut tamen ligni vulnerarii virtutem habeat, (de qua ſupra) neceſſarium eſſe, ut dicto tempore ac hora cædatur.

Nonnulli ſentiunt, cædendum illud lignum Lunâ exiſtente in Virgine, horâ duodecimâ poſt mediam noctem, idque fieri poſſe ſingulis menſibus. Addunt ſufficere, ſi ſub initium dictæ horæ infligatur unus ictu arbori (alii tres ictus, fortè non ſine aliqua ſuperſtitione, requirunt) dummodo eadem die abſcindatur; præſtare tamen ajunt, ſi cæſio hæc fiat die & Luna creſcente, atque arbore foliis ornata. *Vid. Auctorem Joco-ſeriorum Naturæ & artis Centur.* 3.

OBSERVATIO XVIII.

De Ficu, Carthaginis excidio & exitio nobilitatâ

FIcui exitium ſuum debet Carthago. Nam pernicia Carthaginis odio flagrans Cato, nepotumque ſe curitati conſulere volens, cùm clamaret omni ſenat Carthaginem eſſe delendam, attulit quodam die in cu riam præcocem ex ea provincia ficum, oſtendensqu Patribus: interrogo vos, inquit, quando hanc ficu puteris decerptam ex arbore. Cùm inter omnes recen tem eſſe conſtaret; atqui ſcitote, inquit, eam ante tr dies decerptam eſſe Carthagine: tam propè à muris no ſtris habemus hoſtem. Statim tunc decretum eſt te tium bellum Punicum, quo Carthago deleta.

OB

OBSERVATIO XIX.

De Arbore Philosophica seu Chymica, ad oculum notabiliter crescente.

ACcipe argenti puri, seu cupellati drachmam dimidiam, & solve in una drachma aquæ fortis. Accipe item argenti vivi drachmas duas, & solve in una drachma aquæ fortis. Has duas materias commisce, & immitte intra vas vitreum, atque affunde communis aquæ libram unam, ac bene obtura. Videbis arborem quotidie ad oculum, & notabiliter crescere, tam in trunco, quàm in ramis. *Schvventer in Deliciis Mathe. part. 16. quæst.* 4.

OBSERVATIO XX.

De nonnullis exoticis Arboribus.

IN Provincia Peruana sunt arbores, quæ medio anno una sui parte, & altero dimidio anno, altera sui parte fructum ferunt.

In Hispaniola est arbor, quæ ab incolis appellatur *Xaqua*, ex cujus fructu pellucida manat aqua, quæ omnia, quibus aspersa fuerit, nigrefacit, adeò, ut nulla lotione mundari possint: at die vigesima nigredo sponte decidit. *Ovetan. summ. cap.* 77.

In Agro Neapolitano fuit arbor trifurcata, dicta *Horti delicium*. Ex uno ramo uvas ferebat vinaceis vacuas, easque medicatas, utpote somnum, aut alvi dejectionem efficientes. In altero ramo erant persica, partim sine osse seu nucleo, partim nucleo amygdalino repleta, variasque hominum aut bestiarum facies præferentia. E tertio ramo dependebant mala aurea, cum cerasis nucleo carentibus, iisque partim acidis, partim dulcibus. Cortex ipse floribus consitus erat. *Narrat Joan. Baptista Porta in Mag. nat.*

In America est arbor dicta *Cocos*, cujus rami singulis mensibus semel fructum ferunt, sed alternante fœcunditate; ita ut unus ramus post alterum successivè fructum producat. *Ludovicus Godefridus in Histor. Antipodum part.* 1.

DISCURSUS DECIMUS TERTIUS.

EX ZOOLOGIA.

De docilitate, solertia & astutia variorum animalium.

PRÆFATIUNCULA.

Zoologia est Scientia generalis, tractans de animalibus in communi: de quibus variæ solent moveri quæstiones, non utilitate minùs, quàm curiositate placentes. Ego hic nonnullas tantùm observationes, seu specimina docilitatis, astutiæ, & solertiæ, à diversis animalibus edita, commemoro. Porrò quinque sunt species Zoologiæ. Entomologia, Ichthyologia, Ornithologia; Tetrapodologia, Anthropologia, *quæ sequentium discursuum erunt argumenta.*

OBSERVATIO I.

De Castoribus, raro solertiæ specimine lignatum euntibus, & conquisita ligna domum convehentibus.

Castores gregatim lignatum eunt, arboresque dentibus succidunt; quæ, cùm ruinam minari incipiunt, ad omnem illi ictum sollicitè circumspectantes & suspectantes, quam in partem casuræ immineant, ne incauti opprimantur. Ligna comparata & comportata,

tata, ventri alicujus, & quidem non civis sui, sed peregrini & advenæ superimponunt velut plaustro: quæ ille in tergum resupinatus aptè composita compressis cruribus, ne delabantur, complexus, & ad istum modum onustus, cauda à cæteris ad spelæum pertrahitur. *Gesnerus ex Olao Magno.*

Est & illud solertiæ non vulgaris argumentum, quòd Castores mirabili architectura, diversis contignationibus bicamerata, aut tricamerata sibi struere soleant cubilia.

OBSERVATIO II.

De Vulpe, pulices astutè excutiente.

VUlpes pulicum morsus sentiens, & ab ingratis hospitibus liberari cupiens, stipulam siccam ore corripit, ac paulatim corpus aquæ immergit. Pulices insolito frigore ac humiditate perculsi, ad tutoria & sicca se recipiunt. At vulpes sensim profundiùs se immergit, donec omnes in capite conveniant, quo similiter intincto ad stipulam illam prosiliunt, & ita vulpes, ea in aquam projecta, liberatur. *Albertus M. de animal.*

OBSERVATIO III.

De Elephante cunas movente, & infantis sibi à matre commissi curam agente.

FEmina quædã in India, cùm animam ageret, puerum suũ infantem Elephanti fœminæ, cui Nicæa nomen custodiendum tradidit. Eum bellua sic diligere cepit, ut divelli noluerit, & si præsentem non videret, tristaretur. Lacte nutritum, & fasciatum inter medios pedes recepit, muscas dormienti abigens, & si ploraret, cunas proboscide sua agitans. *Athenæus lib. 13. non procul à fine.*

OBSERVATIO IV.

De Cane, & Cercopitheco: quorum ille ab hero ad macellum pro carne; hic ad cauponem pro vino emendo missus fuit.

GUbernator novæ Carthagenæ in India, domi suæ aluit Cercopitheeum, tantæ docilitatis & solertiæ, ut quotidie ab hero suo ad tabernam vinariam cum pecunia, ad emendum apportandumque vinum, missus, negotium fideliter & utiliter gesserit. Tenebat ille unâ manu cantharũ, alterâ pecuniã, & quidem tam fortiter, ut eam sibi, antequam cantharus vino repletus esset, eripi non pateretur. Quòd si in plateis ab insequentibus pueris molestaretur, posito humi cantharo, colligebat lapides, iisque in turbam puerorum conjectis, viam suam prosequebatur. Et quamvis Cercopitheci sint valde appetentes vini, ille tamen absque licentia & permissione domini sui ne guttam quidem bibebat. Si quando obvias haberet mulieres, fuco seu stibio depictas, adoriebatur eas, & detracto peplo, atque calanticâ, malè tractabat. *Joann. Ludovicus Godefridus in Historia Antipodum part. 1.*

Non absimilis huic Cercopitheco fuit canis quidam Bruxellæ, ex grandioribus illis Britannici generis, quibus Cerdones Belgæ uti solent, ad currum coriis onustum in forum, & è foro trahendum. Ille, præter hanc operam, doctus fuit ad macellum ire, pecuniam ferre, carnem referre. Id hac ratione fiebat: Corbem vimineum collo molossi appendebat herus, pecuniâ in tot libras carnis impositâ. Ille rectâ, & nusquam subsistens ferebat pecuniã, in macello apud notum lanionẽ se sistebat, carne accepta redibat. Sed evenit aliquando, ut in via canes alii odore carnis allecti, accederent erepturi. Tum ille, corbem deponere, in orbem pro-

propugnare, fugare: si autem hostium copia & robore se victum cerneret, unà irruere, & partem de præda capere. En ut gladiator iste in arena ceperit consilium, & suis necessitatibus consuluerit. Carnes defendit quàm diu potuit: hostium multitudine victus necessitati cessit, & prandium jam commune unà absumpsit. *Justus Lipsius Centur.* 1. *Epist. ad Belgas.*

OBSERVATIO V.

De docilitate ac solertia Psittacorum in Brasilia & alibi.

SUnt quidam Psittaci in Brasilia, ab incolis dicti *Ajourans*, tantà docilitate ac sagacitate præditi, ut linguam patriam non modò addiscant, & pronuncient, sed etiam (si vera narrat *Joann. Ludovicus Godefridus in Histor. Antipodum part.* 1.) intelligant: atque insuper cantum & saltum discant; imo, quæcunque imperata fuerint, exequantur.

In Italia Cardinalis Ascanius psittacum habuit, centum nummis aureis comparatum, qui teste Rhodigino *lib.* 3. *cap.* 32. articulatissimè, continuatis perpetuò verbis, instar hominis periti, Christianæ doctrinæ symbolum integrum pronunciare solebat.

Henrici VIII. Regis Angliæ psittacus in mare delapsus, auxilium imploravit, viginti libris Anglicanis succurrenti promissis: extractus autem non nisi quatuor denarios dari jussit. *Jonstonus in Thaumatographia clas.* 6. *cap.* 26.

OBSERVATIO VI.

De docilitate & solertia equorum.

NArrat *Scaliger lib. exercitat.* se vidisse equum, jussu, nutuve Domini sui in clunibus sedentem, anteriores pedes ad pateram elevantem, vinum biben-

tem, pelvim ſeu malluvium cruribus ſuſtinentem, quaſi lavaretur à tonſore, compreſſione ciliorum annuentem, & alia multa inuſitatæ docilitatis ſpecimina edentem.

Bogislao X. ejus nominis, Pomeraniæ Duci, qui anno 1496. Terram ſanctam viſitavit, equus fuit, Bucephalo Alexandri M. non abſimilis. Sicut enim Bucephalus Alexandri, teſte Curtio *lib. 6. cap. 5.* in dorſo inſidere ſuo non patiebatur alium præter Regem, & hunc, cùm aſcendere vellet, ſponte ſua genua ſubmittens, excipiebat, credebaturque ſentire, quem veheret; ita pariter equus Bogislai, flexis poplitibus Principem ſeſſorem admittebat, ea indole, ut ornatus phaleris, & ſella periſtromatibus veſtita, neminem præter herum ſuum; inornatus, & incomptus, quemlibet reciperet. Quin etiam in equili primum ſibi locum vendicavit, & nullum anteire paſſus eſt. *Ex Itinerario Heilandi pag. 90.*

OBSERVATIO VII.

De aſtutia & induſtria cujusdam Lupi.

NArravit mihi quidam (inquit Albertus M. citatus à Jonſtono *in Thaumatogr. cap. 24. de quadrupedibus*) lupum, ſe vidente, morſu comprehendiſſe lignum 30. vel 40. librarum in ſilva, & cum eo ſe aſſuefeciſſe ad tranſiliendum grandem in eo loco arboris truncum: tandem cùm ſatis in ſaltu exercitatus ſibi videretur, ſe abſcondiſſe, & adveniente propter ſatam illic avenam, porca ſilveſtri, cum pluribus ætate differentibus porcis, prorupiſſe, apprehenſoque porco, qui ligno æqualis videbatur, ſaltu retro truncum facto ſe recepiſſe, eumque devoraſſe.

OBSERVATIO VIII.

De aſtutia & ſolertia ſimiarum.

ACcidit aliquando, ut famuli in aula Julii II. ſummi

mi Pontificis Castaneas sub calidis cineribus coquerent, easque ferreis instrumentis extractas comederent. Quod cùm simia curiosiùs observasset, avocatis repentè imperio heri famulis, ipsa desiderio esitandi castaneas sub cineribus relictas, impulsa, cùm ferramentum extractorium non reperisset, felem in sicco jacentem arripuit, ejusque pedem extrahendis castaneis pro ferramento adhibuit; metuens scilicet, ne suum ipsa pedem ustularet. Unde ortum est illud Italorum adagium: *Cavar la castagna con la zampa del gatto*; quod usurpari solet contra eos, qui alieno periculo propriæ securitati consulunt.

Oculatis testibus, & certis nuntiis (inquit Eusebius Nierembergius *lib.2. Histor. Indic. cap.13.*) compertum est, in Peruana regione simias tantam cum incolis familiaritatem contraxisse, ut cum iis pro argento colludant. Ubi eos vicerint, unà tabernam petunt bibendi causa, & pretium numerant ex lucro parto.

OBSERVATIO IX.

De Rana Ægyptiaca, astuto stratagemate insidias hydri declinante.

RAna Ægyptiaca, ut hydri dentes & ingluviem effugiat, præmordet Calamum Niloticum, eamque festucam ore præfert transversam; quo fit, ut ranam hydrus deglutire nequeat, cùm rictum tantopere diducere non possit, quantum obliquæ arundinis mensura extenditur. *Ita Ælianus 1. Variar.*

OBSERVATIO X.

De industria & sagacitate cornicis, & Corvi.

MErthes Rex Ægyptiorum tam industriam fertur habuisse cornicem, ut illa litteras, quocunque Rex vellet, deferret. *Porphyr. de abstin. ab animal.*

Cor-

Corvus quidam, teste Scaligero *Exercit.* 237. Coquum Conradum, cùm fame premeretur, voce tam articulata invocabat, ut, qui præsentes aderant, hominem loqui existimarent.

OBSERVATIO XI.

De docilitate, solertia & industria sciuri, gruis, columbæ & gallandræ.

SCiurus sagaciter prævidens tempestatem, obturatis, qua spiraturus est ventus, cavernis, ex alia parte fores pandit.

Idem aquam transiturus pastûs gratia, corticem levissimum ei imponit, atque huic, velut naviculæ insidens, caudaque erecta velificans, flante vento subvehitur. *Auctor libri de natura rerum.*

Grues inter volandum anguli oxygoni constituunt formam, ut aërem adversum faciliùs penetrent. Quæ agmen cogit, cæteras, ut ait Isidorus, castigat: raucescenti succedit alia.

Ubi in terram descenderint grues cibi gratia, dux in altum caput erigit in custodiam omnium: cæteræ securè pascuntur. Antequam quiescant, ducem rursus constituunt, qui erecto collo excubias agat, reliquis dormientibus. Dux agmen circuit, &, si quid accidat, exclamat. Ne somno opprimantur, unico insistunt pede, altero in sublime erecto lapillum continentes, ut si quando labore fatigatas somnus oppresserit, edito à decidente lapillo strepitu, expergiscantur.

Docilitatem & industriam columbæ commendat, quòd nonnullæ ex iis tempore obsidionis Leydensis epistolarum bajulæ, tabellarii officio functæ sint. Idem in obsidione Buscoducana factum. *Jonstonus in Thaumatogr. de avibus cap.* 13. *citans Justum Lipsium.*

Alauda quædam, ex eo avium genere, quas gallandras

dras vocant, Romæ in cœnobio Patrum Dominicanorum, tam dextrè à fratribus dicti Ordinis instructa fuit, ut Litanias Sanctorum humana veluti voce decantaret. Testatur *P. Athanasius Kircher lib.* 1. *Musurgia* dictam avem Anno 1648. 16. Martii se præsente & audiente, post suavissimas cantilenas, & varios garritus, complura Sanctorum nomina, lingua Italica clarè & distinctè pronunciasse: jam subjungendo hæc verba, *Ora pro nobis:* mox illa, *Jesus Christus crucifixus*, nunc alia & alia, ad septuaginta diversa nomina ita mirificè eloquendo, ut nullus ferè sibi persuadere potuisset (nisi vidisset, & audivisset) avem esse, cujus linguam tam humanæ similem perciperet.

DISCURSUS DECIMUS QUARTUS,

EX ENTOMOLOGIA.

De Natura & proprietatibus insectorum seu animalium exanguium.

PRÆFATIUNCULA.

Entomologia est scientia differens de insectis seu animalibus exanguibus, quæ propter suam imperfectionem quadam animalis generis rudimenta appellari solent. Sunt autem tres insectorum classes: Gradientia, *ut aranei, formicæ &c.* Aquatilia, *ut hirudo, tipula &c.* Volantia, *ut musca, apes, vespa &c.*

OBSERVATIO I.

De magna insectorum varietate.

Plinius insectorum varietatem declaraturus: Tot in illis, inquit, figuræ, planis, concavis, longis, lunatis, in

in orbem circumactis, dimidio orbe cæsis, in dorsum elatis, lævibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatim intorto, margine in Mucronem emisso, foris effuso, intus replicato, jam distinctione virgulata, crinita, crispa, caniculatim, pectinatim, imbricatim undata, cancellatim reticulata, in obliquum, in rectum expansa, densata, ad plausum apertis, ad buccinam recurvis &c. *Plinius Histor. Natur. lib.9. cap.*33.

OBSERVATIO II.

Magna in Muscis Varietas.

IN Lybia, præsertim Cyrenis, quod est insigne oppidum Lybiæ, plura Muscarum reperiuntur genera, formis, coloreque distincta. Nam aliæ sunt Latifrontes, aliæ mustelarum, aliæ viperarum similitudinem gerunt. In Hispaniola sunt virides & pictæ (præsertim in Urbe B.Dominici) vesparum magnitudine, terram pedibus fodientes, & subterraneos sibi exstruentes nidos. In partibus septentrionalibus muscarum morsus est innoxius, in Sicilia verò tam acris esse fertur, ut subinde ea, quæ muscæ momorderint, enecentur.

OBSERVATIO III.

Muscæ alicubi nullæ, alicubi raræ, alicubi innoxiæ.

HOdie in palatio Veneto nulla conspicitur musca, propterea quòd (si vera commemorat *Bodinus in Dæm.*) idolum quoddam sub limine palatii sit conditum.

In Carina monte Cretæ, novem passuum millia in ambitu continente, nullæ reperiuntur muscæ. *Plinius Hist. Natur. lib.*21. *cap.*14.

In Templo Toletano unica dicitur esse musca, inquit *Alstedius in Encyclopædia Tom.*1. *lib.*5. Rhodiginus verò *lib.*17. *lect. antiq. cap.*11. scribit, Toleti in macello publico

lico unam duntaxat per annum integrum apparere muſcam, inſigni notabilem albedine.

Emma Ducis Saxoniæ inferioris filii Uxor, pratum Eccleſiæ Bremenſi promiſit; cujus hæc eſt prærogativa, ut nullis ibi pecora muſcis vexentur. *Cranzius lib. 4. Saxoniæ c. 29.*

OBSERVATIO IV.

Anilia & ridicula Hebræorum de muſca & aranea commenta.

HEbræi, referente Toſtato, comminiſcuntur Davidem Regem quæſiviſſe à Deo, cur homines ſtultos, araneas & muſcas procreaſſet, cùm iſta non modò ſuperflua, ſed etiam noxia eſſe videantur. Deum verò reſpondiſſe, monſtraturum ſe Davidi, tria iſta ad aliquid utilia eſſe, imo ipſi Davidi aliquando utilia fuiſſe. De ſtultitia patere, quia niſi David ſe ſtultum finxiſſet coram Rege Achis, captus fuiſſet, & fortè periiſſet. Muſcam utilem fuiſſe, cùm David deſcendit de colle Hacbilla in caſtra Saulis, dormientibus cunctis, & accepit lanceam; tunc enim Davidem implicaſſe pedem ſuum inter pedes Abner apud Saulem cubantis; cumque timeret ſe jam jam captum iri, ſi pedem vi extraheret, Deum immiſiſſe muſcam, quæ mordens crura Abner, vincula reſolverit, neque tamen excitaverit Abnerum, atque ita liberatum fuiſſe Davidem. Araneam denique profuiſſe, quod os ſpeluncæ, in qua latebat David, cùm eum quæreret Saul, telarum ſuarum texturâ occluſiſſet.

OBSERVATIO V.

Inuſitata quorundam araneorum magnitudo atque textura.

A Cumanis araneis tam firma texitur tela, ut ſerici inſtar difficulter rumpatur. *Jonſtonus in Thaumatograph.*

tograph. claſſ. 8. cap. 3. Tela, quæ ab araneis in orbe novo texitur, teſte Oviedo *lib. 15. cap. 3.* aureum exhibet colorem, ipſi verò aranei viridem, ſerico æquandum.

Aranei in Hiſpaniola pilas luſorias magnitudine æquant, nuces ſoliditate. In Braſilia prægrande quoddam araneorum genus cernitur, qui cancris ſunt ſimiles; à muſcis tamen captivi in latibula trahuntur, verſo cum Europæis more. In India óccidentali aranei non ſunt minores paſſeribus, ut ſcribit *Cardanus lib. 9. de ſubtilit.*

OBSERVATIO VI.

In exiguo Culicis corpuſculo mirandum Naturæ opificium.

NUſquam ſpectatius naturæ opificium & artificium cernitur, quàm in minimis, quia natura nuſquam magis tota eſt, quàm in minimis. Rem *Plinius Hiſtor. Natur. lib. 11. cap. 2.* declarat exemplo culicis, In his tam parvis atque tam nullis, inquit, quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio! Ubi tot ſenſus collocavit in culice? ubi viſum in eo prætendit? ubi odoratum inſeruit? ubi truculentam illam & proportione maximam vocem ingeneravit? qua ſubtilitate pennas adnexuit? prælongavit pedum crura! diſpoſuit jejunam caveam, uti alvum! avitam ſanguinis, ac potiſſimum humani, ſitim accendit! Telum verò perfodiendo tergori quo ſpiculavit ingenio! Atque ut in capaci cùm cerni non poſſit exilitas, ita reciproca geminavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, ſorbendoque fiſtuloſum eſſet. *Hæc Plinius.*

OBSERVATIO VII.

Pabulum culicis humanus ſanguis, usq; impurus, fructusq; corrupti.

QUibus ſanguis purus, miniméque putridus eſt, ho-
no

non insectatur culex, cùm putridis & acidis delectetur, dulcia verò refugiat. Unde Medicus quidam scribit, partem sanguinis dulcissimam ad nutriendum absumi, interiusque latere, à pulicibus & culicibus securam; his verò in pabulum cedere eam sanguinis portionem, quæ sub cute continetur, estque crudissima. Fructus quoque non attingit culex, priusquam corruptione acredinem contraxerint. *Leonard Jachin.*

OBSERVATIO VIII.

Universi Urbis cujusdam incolæ à culicibus fugati, & migrare compulsi.

AD Myontem Joniæ Urbem sinus erat haud sanè magnus. quem, cùm Meander è Regione influens amnis limosus, obturatis advectitio luto faucibus, annis volventibus paludem effecisset, tanta ex ea culicum enata est multitudo, ut eorum tædio coacti Myontii, urbe relicta Miletum commigrarint. *Jonston. sup. Observ. 5. citat. cap. 9.*

OBSERVATIO IX.

Pulex aureâ vinctus catenulâ.

TAmetsi pulex animalculum sit exile, scribit tamen *Scaliger Exerc. 59. & 326.* eum ab artifice Africano revinctum fuisse catenulâ aureâ, tantæ subtilitatis ac levitatis, ut eâ non obstante, pulex consuetos suos saltus peragere potuerit. Vidi ego ipse Passavii artificem, qui pulices catenulis alligare noverat, eosque pretio non magno divendebat.

OBSERVATIO X.

Inusitata Scorpionum magnitudo.

IN solitudinibus Brachmanum bicubitales inveniri scorpiones, testatur Cedrenus. In Guatimala, quæ

est regio Americæ, scorpiones in tantam excrescunt magnitudinem, ut cuniculos mole corporis adæquent. *Joannes Ludov. Godefridus in Hist. Antipod. part. 3.*

OBSERVATIO XI.

Scorpionum virulentia, & ab ictu nocumenta.

ICtus scorpionis maximè virulentus est, præsertim in regionibus siccioribus, & sub Sirio sive Canicula. Inflammatur primùm locus vulneris, & indurescit, rubetque intensius. Modò æstuat, modò frigescit, consequitur sudor & sensus horroris, eriguntur capilli, pallor membra decolorat &c. *Cardanus lib. 1. de venen. cap. 23.* Sues, quamvis cæteros virulentos non sentiant ictus, pereunt tamen ab ictu scorpionis, præsertim si niger fuerit; & quisque celerrimè interit, si aquam adierit. *Aristot. lib. 8. cap. 29.*

OBSERVATIO XII.

De Scorpionibus Persicis.

VIx ullibi plures sunt scorpiones, quàm in Persia, præsertim in urbe *Kaschan.* Unde Persæ grande malum alicui imprecaturi, optant, ut pungatur à scorpione Kaschanensi; sunt enim admodum virulenti & pestiferi, colore nigerrimi, cursu celeres, longitudine & crassitudine æquales digito, cancris persimiles, caudâ erectâ, & adunco aculeo armatâ incedentes. Non multi tamen ex indigenis ab hisce scorpionibus icti intereunt. Quorum medicina est lamella cuprea supra locum vulneris posita. In quem finem ipsis deservit moneta cuprea *Pul* dicta, quam ubique circumferunt; posteà mel aceto permixtum applicant: quo ungento vulnus ex integro sanatur. *Lud. Godefridus sup. citat.*

OBSER-

OBSERVATIO XIII.

Raphanus antidotum adversus ictus Scorpionum.

ILlud multis memorabile videtur, eum, qui raphanum prægustaverit, si à scorpione pungatur, periculum mortis evadere. Nam scorpionem inter & raphanum peculiaris intercedit antipathia. Unde succus raphani scorpionibus inspersus, eos ad mortem adigit. *Mizaldus, & ex eo Weckerus lib.5. de secretis.*

OBSERVATIO XIV.

De Generatione scorpionis in cerebro humano ex frequenti odoratu herbæ basilicæ.

EX frequenti odoratu ocimi sive herbæ basilicæ, natum esse cuidam Italo in cerebro scorpionem, scribit *Jacobus Hollerius lib. 1. cap. 1. de morbis internis.* Quam experientiam sequens, vel confirmat, vel illustrat historiola. Cùm Galeacius Sfortia Dux Mediolanensis, civitati Genuensium, nuper ditioni suæ adjectæ, gravia imponeret onera, tumultuari ceperunt cives, gravemque machinari seditionem. Missus ad Ducem Legatus Franciscus Marchesius, cùm admitti frustra postulasset, vas ocimo sive basilica herba repletum ad eum misit. Quo dono excitatus Dux, admissum ad aures Marchesium, quid sibi hæc herba vellet, interrogavit. Tum ille; populo, inquit, nostrati ea est indoles, quæ huic herbæ: leviter tacta gratum spirat odorem; attrita, non modò graviter olet, sed etiam scorpiones producit. Sensit acumen Dux, & onera allevavit. *Augustinus Justinianus lib. 6. histor. Genuens.*

OBSERVATIO XV.

Mira Formicarum ſolertia & induſtria.

ADmiranda formicarum ſolertia & induſtria, cùm in multis aliis, tum potiſſimum in conſtructione urbeculæ, quam incolunt, eluceſcit. Obſervavit id teſtis oculatus Aldrovandus, qui rem ſic deſcribit. Apparuit, inquit, Urbs quadrangularis, longa pedes ferè quatuor, lata ultra pedem, in qua per vias, velut ad negotia, ultro citróque curſitare inſtar civium formicæ videbantur. Angulorum & laterum directa erat delineatio, urbis longitudinem media ſecabat via, profunditate, latitudineque digitali, quam rurſùm per transverſum æqualibus inter ſe ſpatiis, tres aliæ viæ eadem digitali profunditate & latitudine directiſſimè inter ſe cubant. In extremis viarum angulis, velut angiportibus ova in acervos erant collecta. Alterâ urbis parte antra frumento oppleta, ut in ipſas viſas redundarent. Viæ omnes erant mundiſſimæ. In urbis denique longitudinis medio unica porta Zephyro objecta.

Eſt & illud ſpectaculum (in quod ſe incidiſſe narrat Cleanthes) non modicæ argumentum ſolertiæ. Venerunt formicæ de ſuo cavo ad aliud formicarum examen, formicam portantes mortuam: Ex hoc aſcenderunt aliæ formicæ tanquam ad colloquium, rurſùmque deſcenderunt. Id bis, terve factum. Tandem hæ ſurſum extulerunt vermem, tamquam Redemptionis pretium pro mortua. Hoc illæ accepto, & formicæ cadavere reddito, diſceſſerunt.

OBSERVATIO XVI.

De Eruca noctiluca in America.

SCribit Herrera, in nova Hiſpania, in montibus Quatima-

timalensibus, quoddam erucæ genus reperiri, quod nemo impunè ob veneni virulentiam contrectet; unde luce ventri ejus innatâ, veluti lampade quadam, viatores monet, modis omnibus devitandum esse, quod tam exitiali luce coruscat.

OBSERVATIO XVII.

De Verme quodam, ex quo miræ virtutis oleum destillat.

IN Gange flumine Indico est vermis ingens, septem cubitorum in longitudine, crassitudine verò tantâ, ut decem annorum puer vix eum complecti possit. Ei in superiori parte oris dens unus est, & inferiori alter, ambo quadranguli, ferè cubiti longitudinem habentes, tam validi, ut quodcunque animal iis comprehenderit, facilè conterat. Ejus pellis est duorum digitorum crassitudine. Modus eum capiendi est iste: Hamum robustum ad ferream catenam alligant, adjuncto etiam fune ex albo latoque lino. Lanis autem & funem & hamum involvunt, ne à Verme præmordeatur. Tum agnum aut hœdum ad illecebram in hamum implicant; deinde in fluvium demittunt. Triginta viri, singuli cum jaculo, loro inserto, & ense accincti, sudibusque robustis instructi, si percutere sit necesse, adsunt; hamo dein correptum Vermem trahunt, & extractum interficiunt; triginta dies appensum ad solem relinquunt, atque ex eo in fictilia vasa destillatum crassum oleum, servant ad usum, planè, ut ita dicam, inusitatum. Ea enim est vis illius olei, ut absque ullo igne, ejus infusâ hemina quemcunque lignorum acervum comburat. Eodem igne (qui non extinguitur, nisi luto copioso & crasso) ajunt Regem Persarum urbes hostium cepisse. *Jonston. sup. cit. cap. 24. artic. 4.*

OBSERVATIO XVIII.

Locustarum copia, & inde nocumenta.

IN Lemno Insula tanta olim fuit locustarum copia, ut cuilibet incolarum certa enecandarum mensura præfinita fuerit, quam ad Magistratum referret. Apud Nigretas tantus singulis trienniis earum conspectus est numerus, ut cœlum ad duodecim milliaria obumbrarent.

Anno 852. cùm Galliam vastarent, viginti millia passuum uno die, compositis quasi ordinibus conficiebant, & terræ incumbentes castra locabant. Duces earum cum paucis itinere unius diei præcedebant agmen, quasi loca pro castris designaturæ, & eadem horâ universæ copiæ postridie aderant. Ante ortum solis loco non movebantur, sole autem orto per suas proficiscebantur cohortes.

Anno sexto Imperii Argyropoli Imperatoris Orientalis (qui Zoæ Uxoris & Michaëlis Paphlagonis ejus adulteri dolo in balneo aquis submersus est) tantum damnum locustæ Orientalibus intulêre provinciis, ut coacti fuerint incolæ liberos suos divendere, & in Thraciam migrare. Abjecerat eas postea in Hellespontum ventus, sed altero revixêre anno, depopulatisque per triennium provinciis, apud Pergamum periêre. *Cedrenus.*

OBSERVATIO XIX.

De quodam insecto, quod unico tantùm die vivit.

HYpanis fluvius apud Cymmerium Bosphorum, sub solstitio folliculos acinis majores defert, ex quibus animalcula insecta erumpunt, quæ in pomeridianum diei tempus vivunt, sole in occasum declinante marcescunt, & occidente moriuntur. Unde ephemera sive diaria vocari solent. *Aldrovandus.*

OB-

OBSERVATIO XX.

De generatione apum ex corruptione bovis.

FLorentinus, referente Constantino Cæsare (ut testatur *Jonstonus sup. cit.*) docet modum ex enecato corruptoque bove procreandi apes. Construatur, inquit, domus decem cubitorum in altitudine, & decem in latitudine, reliquis lateribus comparibus. Ingressus in illam sit unicus, fenestræ quatuor, ab unoquoque latere una. In hanc domum inducas bovem triginta mensium, carnosum & valde pinguem, faciasque adstare ipsi juvenes multos, qui ipsum fortiter verberent, & fustibus cæsum occidant, simul cum carnibus ipsa etiam ossa comminuentes; diligentem autem curam habeant, ne quid bovis cruentetur; non enim ex sanguine apis generatur. Statim verò omnes bovis meatus, videlicet os, nares, aures, quæque ad evacuationem à natura destinatæ sunt partes, linteolis puris ac tenuibus, iisque pice tinctis, obturentur. Deinde bovi occiso, ac supinè jacenti multum thymi substernatur. Quibus peractis domo egrediantur, statimque januam & fenestras luto denso oblinant, ut neque aëri, neque vento ullus pateat ingressus. Exactis tribus septimanis undique domum aperire oportet, & lumen aëremque admittere, prætérquam ex ea parte, unde vehemens ventus spirat. Invenietur autem tota domuncula referta apibus, racematim inter se coagmentatis: de bove autem præter cornua, pilos & ossa, nihil superérit. Ajunt ex cerebro gigni Reges, ex carnibus alias apes. Et licet Rex nascatur etiam ex medulla spinali, qui tamen ex cerebro procreatus est, reliquos non modò pulchritudine, sed magnitudine etiam & robore antecellit.

OBSERVATIO XXI.

Serpentes in vino adusto incorrupti.

VOlens serpentes (idem est de lacertis, aliisque similibus reptilibus) servare incorruptos, injiciat eos vivos in vas vitreum amplum ac forte, vino adusto, vel aceto fortissimo repletum, obturetque vas, ne elabantur. Mortui apparebunt vivi, & manebunt perpetuò incorrupti.

DISCURSUS DECIMUS QUINTUS.

EX ICTHYOLOGIA.

De Piscibus & Aquatilibus.

PRÆFATIUNCULA.

ICthyologia est Scientia de piscibus, seu aquatilibus: quorum partes aliæ sunt principales, aliæ secundariæ. Inter principales numerantur pinnæ, branchiæ, vesica. Pinnæ sunt loco pedum; earum enim remigio pisces natitant, & motum progressivum exercent. Loco colli sunt branchiæ, quibus pisces limpham ori immissam emittunt, & sic veluti respirant. Vesica turgida est ad faciliùs fluitandum; quæ, si rumpatur, perit ad natandum habilitas.

SECTIO PRIMA.

De Piscibus & Piscatione in genere.

CAPUT I.

An pisces, qui sunt in stagno, piscina, vivario, lacu &c. inter res mobiles, vel immobiles numerari debeant: & an fundo vendito cedant, necne?

COmmuniter ad hanc quæstionem responderi solet cum

cum hac diſtinctione: quòd piſces, ſi in ſtagno ſerventur, ut multiplicentur & creſcant, pars fundi cenſeantur, & quid immobile, ſintque illius ſtagni veri fructus pendentes. Si autem habeantur incluſi in certa parte ſtagni, vel ſeorſim in piſcina (non refert quo loco, dummodo ibi ſint tantùm ſimplicis cuſtodiæ causâ) tunc non pars fundi, & conſequenter quid mobile cenſeantur; ut docet *Guido Papa deciſ. Delphin. 91. Zaſ. part. 4. de feud. num. 2.* ubi datam diſtinctionem approbat, dum docet, quòd quando lacus, ſtagnum, aut piſcina in feudum datur, etiam piſces tanquam cognati, ſeu ſimul nati veniant; aitque, non eſſe de hoc dubitandum: hi enim, qui non cuſtodiæ causâ, ſed ut ibidem multiplicentur, repoſiti ſunt, dicuntur pars fundi. Hoc autem dici non poteſt de piſcibus, qui ſolùm cuſtodiæ causâ in piſcina ponuntur, quia hi non ſunt res ſoli. *Piſtorius Conſil. 22. num. 63. & ſeq.*

Hinc ulteriùs quæritur, an piſces, qui non cuſtodiæ causâ, ſed ut ibi augeantur, & creſcant, in piſcina continentur, pro fructibus pendentibus habeantur, ſi contingeret vaſallum decedere, ita ut feudum aperiatur Domino vel agnatis: & an tunc hi piſces ad Dominum ſeu agnatos ejus, vel potiùs ad hæredes vaſalli pertineant? Difficultatem hanc auget, quòd ex his piſcinis non ſoleant ſingulis annis, ſed poſt tres aut etiam plures annos, fructus percipi.

Carolus Molinæus *ad Conſuetud. Pariſ. tit. 1. §. 1. gloſſ. 8. n. 17. 20. & 24.* exiſtimat, de his piſcinis judicandum eſſe, prout de reliquis fructibus pendentibus, adeòque illos unà cum fundo ad Dominum & agnatos pertinere, niſi mortis tempore inſtaret ſolitum tempus piſcationis: quo caſu ait illos ad hæredes vaſalli pertinere.

Ab hac ſententia diſſentit Piſtorius *conſil. 22. num. 69.* ſtatuens, ſi mortis tempus magis propinquum fuerit

piſcationi, quàm illi tempori, quo piſces primùm ſtagno ſunt immiſſi, tum ad hæredes poſſeſſoris pertinere piſces; ſecus verò, quando mortis tempus magis eſſet propinquum tempori, quo in ſtagnum ſunt poſiti; tunc enim Domino vel agnatis adjudicari ſolere.

Cenſeo circa hanc materiam, quid conſuetudo ferat, quid item inter contrahentes actum ſit, potiſſimùm inſpici debere; ſunt enim in hoc puncto variarum provinciarum variæ conſuetudines, teſte Tiraquello, à Speidelio *in ſpecul. Obſerv. Jurid. Polit. Hiſt.* citato: quæ Juri communi derogant.

CAPUT II.

De inſigni quæſtu & emolumento ex piſcibus & piſcinis.

DE emolumentis ad ærarium augendum, quæſtumque faciendum ex piſcibus atque piſcinis, fusè & eleganter diſſerit *Caſparus Klockius in tract. de ærario lib. 2. cap. 5.*

De Hiſpania ſcribit *Boterus in Relat. univerſal. lib. 1.* piſcationē in eo regno eſſe tam quæſtuoſam & opulentam, ut Duci de Medina Sidonia quotannis ex ea octo, Duci de Arca verò viginti millia ducatorum proveniant.

Joannes Dubravius *lib. 1. de piſcinis cap. 2. & 3.* allegat exemplum Jani ab Erenſtein, olim inter Bohemiæ ac Moraviæ proceres ditiſſimi, qui ex ſolis reditibus piſcinarum, quas in Bohemia, Sileſia, Moravia poſſidebat, 1558. ampliùs duodecies ſeſtertiûm accipiebat, hoc eſt, pecuniæ ſummam majorem eâ, quâ Senatores ac Patricii Romani, vel ab ipſo Auguſto Cæſare, qui cenſum auxerat, cenſi fuerunt.

Huc pertinent ea, quæ à me *in Arte diſcurrendi fonte 36.* de utilitate piſcationis allata ſunt. Ubi recenſui

Primò

Primò ex Petro Bertio, quòd Dux Lotharingiæ in Ducatu suo tertio quoque anno sedecim millia francorum ex piscatione carpionum percipiat. *Secundò* ex Klockio, quòd Cato Uticensis, heres testamento Lucilii factus, ex ejus piscina pisces quadraginta novem millibus vendiderit. *Tertiò* ex eodem Klockio, quòd ex sola captura halecum Hollandi quotannis unum millionem, & quadraginta, ac septuaginta millia florenorum conficiant: neque minor quæstus fiat ex captura asellorum & salmonum. *Quartò* ex Schockio, quòd in sola Hollandia ac Selandia plus quàm viginti millia hominum in captura halecum, cæterarumque rerum ad piscationem pertinentium ministerio occupati, eo solo labore se suasque familias sustentent.

CAPUT III.

An piscatio in mari ac fluminibus cuilibet permissa sit?

LIcet vigore Juris communis quilibet in mari & quolibet flumine pro libitu piscari possit; ita ut, si ab aliquo prohibeatur, ei contra prohibentem actio injuriarum competat *lib. 13. §. 7. ff. de injur.* Attamen hodiernis moribus inspectis, liquidò patet, illud Jus gentium ubique ferè sublatum esse, ut ne in flumine quidem publico piscari liceat. Vide Schneidewinum *lib. 2. Institut. tit. de acquir. rer. dom. §. flumina. num. 9. & seq.* Etenim piscatio hodie venationi non est absimilis, & cum ea in multis pari passu ambulat, *l. 9. §. 5. ff. de usufruct.* Unde non minùs, quàm venatio de consuetudine inter regalia refertur.

Ex eo verò, quòd jus piscandi personis privatis valdè restrictum sit, colligunt jurisperiti, eum, qui in alienis rivis, aquis & fluminibus piscatur, juxta constitutiones Imperii, inspectâ tum conditione personæ, tum quali-

qualitate facti & piſcationis, arbitrariè, vel in ære, vel in corpore puniri, Peinl. Halsg. Ord. *Art. 169.* Eum verò, qui ex alienis ſtagnis, piſcinis, lacubus, ſeu vivariis, aliisque concluſis aquis, piſces capit, tanquam furem, vel relegatione, vel etiam pœna graviori, ſecundùm qualitatem & gravitatem delicti caſtigari. Peinl. Halsg. Ordn. *d. loc. Berlich. p. 5. concluſ. 51.*

Ratio diverſitatis in eo conſiſtit, quod in priori caſu piſces ſint in naturali libertate conſtituti, & à nobis non poſſideantur, *L. poſſideri 3. §. 14. verſ. ſed eos piſces ff. de acquirend. poſſeſſ.* In poſteriori autem caſu piſces in ſtagnum vel piſcinam conjecti à nobis poſſideantur. Unde ii, qui invitis Dominis iis in locis clam piſcantur, captosque piſces inde aſportant, meritò ut fures puniuntur: ſiquidem in omni eo, quod poſſidemus, quodque in patrimonio noſtro computatur, furtum fieri poteſt. *Capolla tit. de piſcat. num. 3.*

Quod dixi de furibus piſcium, intelligendum eſt etiam de furibus cancrorum, ut tradit Remus *ad dict. art.* Peinlicher Hals-Gerichts Ordnung.

CAPUT IV.

Monita quædam ad Piſcationem pertinentia.

Monitum Primum.

PIſcatorem oportet eſſe hominem laboris patientem, vigilantem & ſagacem, denique idoneis inſtrumentis inſtructum. *Patientia* requiritur in univerſa Venationis arte, cujus pars eſt Halievtica, ſeu Piſcatoria. *Vigilantia* piſcatoris facit, ut piſcium naturam, & peregrinationem, ut ita dicam, obſervet. *Sagacitas* facit, ut piſcium fraudibus poſſit occurrere. *Inſtrumenta* piſcatoria ſunt retia, naſſa, ſcirpiculum, tridentes, fuſcinæ, navicula.

Moni-

Monitum Secundum.

Piſcatio utiliter inſtituitur ſub ortum & occaſum ſo-
is, quia tum viſus piſcium maximè fallitur. Cenſent
quidam ſub noctem piſces dormire, ideòque tum facil-
imè capi.

Monitum Tertium.

In piſcatione obſervanda eſt ratio venti. Tranquil-
itas aëris nullo vento agitati plurimùm prodeſt. Cæ-
erùm flante Auſtro, retia adversùs Boream: hoc ſpi-
ante, adversùs Auſtrum trahenda ſunt. Eodem modo,
Euro & Zephyro ſpirantibus, faciendum.

Monitum Quartum.

Hybernis menſibus, cùm flumina glacie conſtiterint,
oportet illam in orbem frangere: eò cùm piſces cupi-
ditate lucis adnataverint, nullo negotio capientur.

Monitum Quintum.

Si verriculo piſcatio fiat, proderit iterare gurgitem:
plures enim ſecundo tractu venient in poteſtatem.

Monitum Sextum.

Anguillæ turbatâ priùs aquâ capiuntur; nam puriſ-
ſimâ aquâ delectantur, turbidâ ſuffocantur. Habent
nimirum branchias tenues, quæ facilè turbida obturan-
tur, ut aqua turbata ex fundo emergant.

Monitum Septimum.

Cancri non ſolùm manu ex foveis educuntur, ſed
etiam lumine & concuſſione aquæ, in modum toni-
trui, ſub cujus tempus ex abditis cuniculis & cubicu-
lis exeunt.

Moni-

Monitum Octavum.

Capiuntur etiam pisces odore & sapore. Odore quidem, si res odoriferæ in aquam conjiciantur, vel odores ipsis grati excitentur; his enim illecti confluunt, & facillimè in nassas coguntur. Sapore verò, si esca idonea vel assetur, inque nassam indatur, vel hamo aptetur, vel vino sublimato aliisque rebus temperetur: quo fit, ut pisces velut inebrientur, & manu capiantur.

Monitum Nonum.

Prodest etiam observare tempus, quo pisces coëunt, & hinc inde mutatis sedibus commeant. Sic trutæ sub autumnum coëunt, & feliciter capiuntur.

Monitum Decimum.

Sargus piscis mirum in modum capras amat. Earum in littore pascentium si umbram conspiciat, gestit lætitia, & quàm maximè potest, adnatat, & salire frustra cupit. Earum odorem in fluctibus etiam percipit. Piscator itaque caprinam indutus pellem, cum cornibus, struat sargo insidias, sole à tergo relicto: atque farinam jure caprino madefactam in eam maris partem dejiciat, in qua sargi sunt: quo illico odore capti occurrunt, farinam degustant, & maximè pellis caprinæ aspectu detinentur, atque ita commodissimam piscatori capturæ occasionem præbent. Ex Æliano *lib. 1. de Animalibus cap. 23.*

Monitum Undecimum.

Varii variis modis ac praxibus ad pisces manibus capiendos utuntur. Siculi fasciculum taxi injiciunt in aquam piscium feracem, & paulò post omnes pisces, qui aquam illam degustarunt, ascendunt ad aquæ superficiem, velut stupidi, aut ebrii, ut manibus capi possint.

Sed

Sed cavendum eſt,ne major quàm par eſt, taxi copia injiciatur, ne piſces non ſolùm obſtupeſcant, ſed etiam intoxicentur,& comedentibus mortem adferant: prout accidit illis, de quibus *P. Caſparus Schottus in Phyſica curioſa lib.3. cap. 28.* Sicli habitabam, inquit ille, urbe quatuor paſſuum millibus à mari,quod Siciliam & Melitam inſulam interfluit,diſtante. In hoc mare fluviolus exiguus, qui Collegii noſtri prædia interluit,& ad ejuſdem Collegii Patres ſpectat, ſeſe exonerat, ideòque piſces è vicino mari, aquarum dulcedine illecti, agminatim quovis tempore eò confluunt. Die quodam Viri tres primarii urbis, quos novi, unà cum famulo piſcandi gratia, nobis ignorantibus, eò ſe conferunt,injectaque in aquam majori copia taxi, aquam & piſces per imprudentiam intoxicant, & captos, variisque modis in ſuburbano prædio præparatos abſumunt. Sed mox domum reverſi,& ardentiſſimâ febre correpti,ad unum omnes intra triduum, excepto famulo, qui mirabiliter evaſit, è vita excedunt. *Hactenus Schott.* Eſt autem taxus arbor abieti ſimilis, baccas ferens, quibus lethale venenum ineſt. *Vide Plinium lib. 16. Hiſtor. Natur. cap. 10.* Sunt qui putent, venena ob id quondam taxica dicta, quæ nunc toxica vocamus.

SECTIO SECUNDA.

Obſervationes de nonnullis piſcibus in particulari.

OBSERVATIO I.

Mira docilitas, & injuriarum reminiſcentia Piſcis Manati.

MAnati piſcis mole prægrandis in Hiſpaniolæ fluminibus capitur. Caput ei bovis inſtar, imò bovino

vino

vino majus, oculi pro corporis magnitudine exigui, bini craſſi pedes, tanquam alæ, branchiarum loco, quibus natat, circa caput ſiti. Corio, non ſquamis integitur. Cicuratur, & docilis efficitur, canum more, ut patet ex hiſtoriola Franciſci Lopetii, quam ſubjungo. Parvulum captum, inquit, Regulus Caramatexi in Inſula Hiſpaniola, viginti ſex annorum ſpatio, in lacu Guaynabo dicto aluiſſe fertur, adeòque manſuetum evaſiſſe, licet jam grandem, ut veterum delphino non cederet. Nam de manu hominis porrigentis cibum ſumpſit, & inclamato nomine *Mato*, quòd lingua gentis magnificum ſonat, lacum egreſſus, ad incolarum ædes cibi ſumendi gratiâ perreptare, deinde ad lacum remeare conſuevit, comitibus pueris atque viris, quorum cantu delectari videbatur; imò eos tergo nonnunquam inſidere patiebatur, denos ſimul ex una lacûs parte in oppoſitam ſine ulla difficultate transportans. Cæterùm cùm Hiſpanus quidam periculum facere volens, an adeò dura & denſa cute, prout ferebatur, præditus eſſet, haſtam in eum vibraſſet, adeò irâ exarſit, ut conſpecto aliquo Chriſtianorũ more veſtito, inclamatus etiam ex aqua emergere nollet. Poſtea Haibonico fluvio valdè intumeſcente, & in lacum Guaynabo ſe effundente, in mare regreſſus, magnum ſui omnibus deſiderium reliquit.

OBSERVATIO II.

Inuſitata Salmonis vivacitas, ſturionis fortitudo, Delphini perſpicacia, atque celeritas.

Vivaciſſimum eſſe piſcem ſalmonem, cordis ejus extracti vivacitas demonſtrat. Teſtatur certè Robertus Conſtantinus, ſe Baſileæ exenterati Salmonis cor, aquoſa aſperſum ſanie, ultra diem vivere conſpexiſſe.

Cau-

Caudæ ſturionis tantum ineſt roboris, ut ligna diſ-
ſecet, hominem robuſtum proſternat, ex lapidibus de-
nique, ſi eos percuſſerit, ignem eliciat. Conſiſtit autem
hoc robur in vehementi attritu oſſiculorum, quibus
ſturio toto corpore mucronatus horreſcit.

Delphinis tanta eſt oculorum perſpicacia, ut piſcem
etiam in caverna abditum conſpiciant: tanta celeritas,
ut navim velo, ventiſque ſecundis impulſam velocita-
te ſuperent. Illud teſtatur *Oppianus*, hoc *Bellonius* ob-
ſervavit.

OBSERVATIO III.

Inuſitata Vranoſcopi vivacitas atque voracitas.

URanoſcopus piſcis carnivorus, adeò vivax eſt (in-
quit Bellonius) ut ſi eum internis omnibus ſpo-
lies, nihilominus adhuc moveatur. Inſatiabili inſu-
per eſt abdomine: idque vel inde declaratur, quòd ſi
cibum ei objeceris, eò uſque veſcatur, donec cibus
exaggeratus ad ipſum os redundet. Unde non im-
meritò omnium piſcium voraciſſimus appellatur. *Jon-
ſton. in Thaumatogr. claſſ. 9. de piſcibus.*

OBSERVATIO IV.

De ſingulari appetentia locuſtæ in polypo obſervata.

DUæ ſunt res, quibus polypi mirificè delectantur,
oleæ & Locuſtæ. Unde ſi ramus oleæ in mare,
in quo ſunt polypi, demiſſus fuerit, haud pauci circa
ramum illum impliciti capientur. Ad locuſtas quod at-
tinet, luculentum ejus rei teſtimonium invenitur apud
Petrum Berchorium. Audivi narrari, inquit ille,
quòd piſcatores in mari Provinciæ in Gallia, in Lit-
tore ſuper carbones locuſtas poſuerant; & cùm cir-

ca ignem dormirent, ecce unus polypus odore locustæ tractus de mari exit, & ad ignem veniens, volensque pede locustam apprehendere, sed calorem ignis timens, ad mare rediit, & tunicam (quam hic piscis supra caput habet loco caputii) aqua implens, toties eundo & redeundo, super ignem projecit, ut ipsum extingueret; & sic locustam accipiens, secum ad mare detulisset, nisi unus de piscatoribus, qui hoc videbat, ipsum polypum apprehensum, loco locustæ super carbones comedendum posuisset. *Hæc Berchorius.*

OBSERVATIO V.

De Natura Lucii.

Lucii, sive lupi aquatici in extrema fame terreno vescuntur pabulo: in quo lupos sylvestres imitantur. Cum rana naturale hic piscis dissidium habet, à qua ipsi non raro oculi effodiuntur: quod à viro fide digno, eodemque oculato teste accepi. Maxillæ lucii in pollinem redactæ, aurei exhibitæ pondere, calculos frangunt.

Venter huic pisci apud Anglos ad duos & amplius rescinditur digitos (inquit Jonston. sup. citat.) & si emptorem non inveniat, vulnere consuto vivario redditur, in quo tincæ degunt. Nam Lucius vulnera sua affrictu tincæ, cujus continuus comes est, sanare solet. Causa lento, quo tinca obtegitur, humori, qui ad vulnus consolidandum idoneus est, adscribitur.

OBSERVATIO VI.

De natura mulli, ejusque ingenti, ac penitus exotico apud veteres pretio.

Mullus ter tantùm in vita parit, reliquo sterilis tempore. Nam in ejus utero vermiculi nascun-

tur,

ur, qui conceptum semen devorant. Jecur in hoc pi-
ce sinistro ventriculi lateri, lien verò dextro adjacet:
ontrario reliquis animantibus more. *Scaliger Exercit.*
26. *sect.* 15.

Prodigo Veterum Luxu adeò insignis fuit hic piscis,
ıt ingenti pecuniâ venundatus fuerit. Jovius testatur
eum, si pedis excederet longitudinem, sæpiùs argenti
uri pondere, in Urbe Romana à privatis etiam civi-
ous emptum fuisse. Imò Plinius scribit, Asinium Cele-
em virum Consularem, unum mercatum fuisse octo
nillibus nummûm, id est, quadringentis ferè impe-
ialibus. Porrò luxum & prodigalitatem illius seculi
x eo metiri ampliùs, & æstimare licet, quod neget
Plinius mullum suis repertum temporibus, qui duas
excederet libras. *Macrobius lib.* 3. *Saturnal. cap.* 16.

OBSERVATIO VII.

De natura Anguillarum.

ANguillæ solæ, contra morem aliorum piscium,
non superfluitant mortuæ, teste Plinio. Cujus
ei causam Aristoteles in exiguum earum ventrem, mo-
dicamque reducit pinguedinem.

Atque ita se rem habere, lampetrarum, congrorum,
ac murænarum pinguedine abundantium superfluita-
tio comprobat.

Tanta earum est lubricitas pariter & alacritas, ut à
Phalacrocorace integræ devoratæ, per intestina novem
repetitis vicibus elabantur, & tum demum retineantur,
cùm debilitatæ fuerint. *Gesnerus.*

Anguillæ, præsertim majores, in sinu detentæ, ho-
minem quandoque usque ad suffocationem arctissimo
complexu vinciunt, ut Cardanus observavit.

In Arethusa Chalcidensi tam erant olim cicures &
mansuetæ, ut inauribus argenteis, aureisque ornatæ,

cibum de manibus largientium acceperint. *Athenæus, Ælianus, Plutarchus.*

OBSERVATIO VIII.

De Natura Husonis.

TAm timidi sunt Husones, ut à minimis etiam pisciculis terreantur. Cantum tubarum sequuntur, adeò ut allecti amico sono, ex adversa accedunt ripa. Tanti in aqua roboris sunt, ut, si cauda piscatorem percusserint, de navi eum deturbent; quamprimum caput aquis extulerunt, invalidi redduntur. Vino generoso potantur, & inebriati plures dies vivunt. Bibunt autem vini sextarios quatuor. *Jonston. in Thaumatographia class. 9. de piscibus cap. 9.*

OBSERVATIO IX.

De pisce quodam exotico.

AUctor Historiæ Antillarum P. du Tertre Ordin. Prædicat. commemorat, in quadam novi orbis insula reperiri piscem, qui licet maximè videatur esse frigidus, nihilominùs tamen, simul ac quis eum tetigerit, tantum effici in brachio tangentis, ab excessivo calore dolorem, ut illud ad humerum usque ferventi oleo immersum esse videatur: eumque dolorem ad meridiem usque augeri, imminui verò pro ratione solis descendentis, desinere tandem omnino, cùm penitus sol occidit. Scribit verò prædictus Auctor, seipsum hæc omnia expertum esse.

OBSERVATIO X.

De Natura & qualitatibus Barbonis, murænæ, mustelæ fluviatilis, fiatolæ, leporis marini, halecis.

OVa barbonis venenata esse, Majali præsertim tempore, observavit Platina, expertus est Antonius Gazius,

Gazius. Nam poſtquam duos duntaxat de illis bolos comediſſet, ingentem ventris inflationem, corporisque totius ſenſit intemperiem : nec citiùs evanuêre ſymptomata, quàm ova (ut ille loquitur) ſupra & infra purgarentur.

Cicurem in vivario domeſtico aluit mûrænam Luc. Craſſus, qui cum Cn. Domitio Cenſor Romæ fuit, eamque monili inauribus & gemmis diſtincto exornavit, teſte Macrobio & Æliano. Cognoſcebat illa Craſſi vocantis vocem, & adnatabat vocata, cumque aliquid porrigeretur, gaudio exiliens captabat. Flevit mortuam Craſſus, & ſepulturæ affecit honore. Cùm verò Domitius acerbiùs aliquanto in eum dixiſſet: *Stulte Craſſe, murænam flevisti mortuam:* reſpondiſſe fertur : *Ego murænæ mortem lacrymis proſecutus ſum, etiam beſtiæ commiſeratione tactus; tu verò ſiccis oculis tres extuliſti uxores, omni ſaxo durior.*

Ex hepate muſtelæ fluviatilis (quod exquiſitiſſimi ſaporis eſt) ad ſolem, vel calefactam fornacem ſuſpenſo, intra vas vitreum colligitur oleum, quod in oculorum ſuffuſionibus & maculis tantæ putatur eſſe efficaciæ, ut *Foreſtus in Obſervationibus* ſcribat, ejus virtute tenebroſum viſum miraculi inſtar lucidum reddi.

Fiatola, præter omnium piſcium morem, pinnis caret. Hepar illius unico lobo conſtat, felle nullo. *Jonſton. ſup. citat.*

Lepus marinus piſcis eſt venenatus. Et quamvis aquatilium animalium pauca admodum venenoſa reperiantur, quòd in aqua degant, quæ veneno ut plurimum contraria eſt; & quædam in parte tantùm venenum contineant: ut araneus piſcis in ſpinis, paſtinaca marina in radio; lepus tamen marinus in toto corpore illud diffuſum gerit. Titus Imperator à Fratre Domitiano hoc veneno interfectus eſt. Eos verò, qui hoc gene-

re veneni extinguuntur, tot diebus mori, quot lepus marinus vixerat, tradit *Licinius Macer apud Plinium lib.31. cap.2.*

Halex, ſive Harengus (inquit *Paulus Neucranzius in Exercitatione Medica de Harengo cap.3.*) gregalis piſcis eſt, ſequiturque numero maximo ducem ſuum, præ cæteris corpore decorum: quem ſi bonâ fortunâ interceperint piſcatores, plerumque tantam concludunt retibus harengorum multitudinem, ut retia ingentia non ſufficiant iis capiendis.

Bergis Norwegicis greges halecum tanta aliquando copiâ in portum ac vicina littora, ſcopulosque ſeſe recipiunt, ut remus cumulo earum immiſſus conſiſtat immobilis: quòd tunc præcipuè circa Norwegiam evenire memorant, quando haleces, aut gravi ſe tempeſtati ſubducunt, aut balæna eas perſequitur, quæ ingentem horum piſcium acervum hiatu abſorbere ſolet. *Neucranz. loc. cit.*

Ajunt Thuringos præ aliis Nationibus eſu halecum delectari. Unde vulgò dici ſolet:

Halec aſſatum Thuringis eſt bene gratum.
De ſolo capite faciunt ſibi fercula quinque.

DISCURSUS DECIMUS SEXTUS.

EX ORNITHOLOGIA

De Volatilibus.

PRÆFATIUNCULA.

Ornithologia eſt ſcientia naturam Avium ſeu Volatilium indagans. Porrò inte[r] aves, aliæ ſunt grandiores, quæ ambulan[t] *ſolum*

solummodo: aliæ minores, quæ saltitant tantummodo: aliæ mediocres, quæ & saltatu & incessu utuntur. Omnes vero plumatæ, pennatæ, ac rostratæ sunt, excepto vespertilione, qui pilosus & dentatus est, alasque habet membranaceas.

SECTIO PRIMA.

De Avibus seu Volatilibus in genere.

CAPUT I.

Ad quos pertineat aucupium, seu jus capiendi aves?

ASserendum est, jus capiendi aves, præsertim perdices, attagenes, gallinagines seu scolopaces, coturnices, phasianos, urogallos, &c. hodie territorio cohærere; ita ut qui Territorii vel Castri Dominus est, idem etiam jus aucupii habeat. Ita sentiunt Carolus Tapia *in l. fin. cap. 2. part. 1. num. 11. ff. de Const. Princip.* Medices *de Venet. piscat. & aucup. quæst. 27.* Petr. Antonius de petra *Tract. de potest. Princip. cap. 7. num. 5.* Hinc quotidianâ docemur experientiâ, quòd subditi non impunè hujusmodi aves aucupentur, sed plerisque in locis consensum superiorum exquirant, certamque partem captarum avium in recognitionem eis tradere cogantur. Interim negari non potest, aucupium spectato Jure Gentium primævo, unicuique liberum esse, sicuti liber est aër, in quo aves commorantur. *l. 1. §. 3. ff. de acquirendis. rer. domin. §. feræ, Instit. de rer. divis.*

CAPUT II.

An auguriæ ſive obſervationes ex garritu, paſtu, volatu avium, culpâ vacent, & permitti poſſint?

Reſpondeo breviter, obſervationes avium, ut benè obſervat *Godelmannus de Magia, lib.* 1. *cap.* 9. eſſe duplices: Phyſicas ſeu naturales, & ſuperſtitioſas. Hæ, utpote non habentes naturalem cum effectu divinato connexionem, damnantur ab Eccleſia. Cujuſmodi ſunt, ex certo corvi volatu decernere motum caſtrorum, ex crocitatione corvi, aut gratitatione anſeris, prædicere victoriam, ex neglecta à pullis gallinaceis eſca divinare cladem &c. Illæ, cùm ſint ſigna naturalia, ſicuti vanitate & ſuperſtitione, ita & culpâ carent: Verbi g. ex certo gruum per ſublime volatu, ſerenitatem; ex intempeſtivo anſerum clangore, tempeſtatem; ex producta in ſerum pabulatione graculorum, celerem adventum hyemis augurari.

CAPUT III.

Monita quædam ad aucupium pertinentia.

Monitum Primum.

Suadendum eſt Nobilibus, ut aucupio potiùs, quàm venatione ferarum quadrupedum ſeſe oblectent. In hac enim oportet per invia properare, per arbuſta, pineta, per ſaxoſa & aſpera locorum, per ſylvas modò huc modò illuc, modò ſurſum, modò deorſum per montes currere; id quod magnas creat moleſtias & laſſitudines. Incidere autem, vel in ſpumantem aprum, vel in horribilem urſum, vel in furibundum cervum, quàm periculoſum! Tolerabilior adhæc ſumptus, minorque apparatus capiendis avibus. Cùm contrà in venatione majorum ferarum canum cen-

centuriæ, magnarum impenſarum & formarum complurium retia, venatorum famulorumque turba ingens, aliaque permulta ſint neceſſaria. Solo propemodum reti, viſco, accipitre, ſuum auceps munus, ſine comitibus, ſine canibus facilè exequi poterit.

Monitum Secundum.

Debet Accipitrarius accipitrem dextræ chirotecâ munitæ inſidentem circumferre crebriùs, eumque è manu paſcere, quò Magiſtrum, ejuſque vocem tantò perfectiùs agnoſcat, celeriuſque vocatus advolet.

Monitum Tertium.

Habeant aucupes perſpectam perdicis aſtutiam. Solet illa, cum ad nidum auceps acceſſerit, ante ejus pedes, tanquam alis vulſis ſeſe volutare, ſpemque ſui capiendi facere, atque hoc aſtu eum remorari, dum pulli avolent.

Monitum Quartum.

Perdices non difficulter naſsâ capiuntur, ſi auceps unam alteramve perdicem illicem ad invitandas reliquas edoctam adhibuerit.

Monitum Quintum.

Ad perdicis & coturnicis aucupium inſtituendus eſt canis, qui ante aucupem currat, & huc illuc diſcurrat, inventaque præda conſiſtat immotus, ſæpius reſpectans, & caudam agitans. Tum retia pandenda, & cani avibusque injicienda erunt.

Monitum Sextum.

Coturnix fiſtulâ vocem muliebrem imitante capi poteſt, ſi in via media plaga extendatur; in hanc enim, occurrendo, & cantum fiſtulæ ſequendo, ſeſe induet coturnix.

Monitum Septimum.

Allium ita coctum, ut germinare nequeat, ſi avibus objiciatur, ab iisque devoretur, ſtuporem ipſis ac vertiginem tantam inducit, ut manu comprehendantur. Ad id conducunt etiam eſcis immiſta ſemina lappæ, hyoſciami, &c. Nonnulli id ipſum conſequuntur, vino aut fæce vinaria inficiendo aquas, è quibus aves bibere conſueverunt; hac enim ratione inebriantur.

Monitum Octavum.

Funiculis viſco illitis, eorumque capitibus ad ripam religatis, & reliquis funiculorum partibus in aquam immiſſis, volucres per gurgitem ſummum nantes retinentur & capiuntur.

Monitum Nonum.

Diſpoſitis per ramos arborum virgis viſco perlitis, adhibitaque noctua femina, aut bubone, non difficilè aves capiuntur. Sunt enim hæ duæ volucres cæteris natura inviſæ, ad quas perſequendas & vellicandas congregantur. Itaque ubi illæ ſunt, magnam cernes reliquarum copiam.

Monitum Decimum.

Utiliter adhiberi poteſt modus capiendi monedulas, ſturnos, aliásque gregatim volantes aves, à quodam noſtri ſeculi Poëta hiſce verſibus deſcriptus.

Cùm volat, inque globum teretem ſe plurima verſat
Nigra pedes, nigris velata monedula pennis:
Aëra ſeu ſturni denſa implevêre caterva:
Ilicet è manibus raptim volet unus & alter,
Aſperſum viſco filum qui poné trahentes
Aëream repetant turbam, & ſe pluribus addant.
Namque illos medio redeuntes agmine læti

Dum

Dum fortè excipiunt alii, circumque, supraque,
Et nunc subter eunt, filo retinentur, & alas
Impliciti, cœlum magnis stridoribus implent.
Nec mora, ceu summo demissus ab æthere turbo.
Infima præcipiti labuntur in arva ruina.

Monitum Undecimum.

Caveant sibi aucupes, ab iis aves capiendi praxibus, quæ cum superstitione, & pacto diabolico saltem implicito, conjunctæ sunt. Cujusmodi est illa, quam Martinus Schmucken suo Thesauriolo Secretorum inseruit: ubi *Part. 1. Secreto 11.* docet modum præparandi sclopetum, quo avium quarumvis, in quas collimatur, colla glande plumbeâ, ictu infallibili, trajiciantur, & nullâ aliâ parte lædantur.

Petere nimirum jubet à carnifice clavum, quo malefactoris rotæ impositi caput fuit rotæ affixum; & ex parte anteriore atque acuta, quæ caput transfixerat, fieri dioptram ac nodulum, sclopetique dorso ante & retro, ut fieri solet, imponi, ad visum dirigendum. Præparari autem debent dicta dioptra & nodulus die Martis, & sine igne. Hoc sclopeto, ait, quarumvis avium colla certo ictu trajicies. Si tamen eodem sclopeto quis utatur in finem alium, ut ad metam attingendam, aut lepores trajiciendos, vim priorem deperdet.

Sed quis non videat (dummodo vel primis Theologiæ principiis leviter tinctus sit) hanc praxin esse vanissimam, imo damnabilem superstitionem, cumque pacto diabolico (saltem implicito) implicitam? Quæ enim est obsecro, vel proportio, vel connexio, in naturæ legibus fundata, inter clavum illum, & collum avis in aëre volantis? Itaque praxis illa non est naturalis: sed neque est divina; quia nec à Deo instituta, nec ab Ecclesia approbata est. Restat igitur, ut sit diabolica &

morta-

mortaliter peccaminosa, utpote graviter repugnans primo præcepto Decalogi. Vocatur autem hoc peccatum à Theologis *Vana Observantia*, poteſtque præcipuè ex duobus ſignis cognoſci. 1. Ex inſufficientia cauſæ ad effectum adhibitæ; ſi nimirum nec naturalem habeat virtutem, nec de ſupernaturali legitimè conſtet. 2. Ex adjunctione falſæ, aut vanæ circumſtantiæ: cujuſmodi in caſu præſenti eſt, quod dioptra confici debeat die Martis, & ſine igne.

SECTIO SECUNDA.

Complectens curioſas Obſervationes de variis Avibus in particulari.

OBSERVATIO I.

De adunco & retorto Aquilæ roſtro.

NAtura Aquilæ dedit roſtrum incurvum: per quod (ut alias prætercam cauſas) animantibus cæteris utcunque conſulere, & inexplebili hujus avis voracitati modum aliquem imponere voluiſſe videtur. Quemadmodum & hac ratione proſpexit, quòd non ſinat Aquilam ova parere plura tribus, nec pullos alere plures duobus. Atque per hos ipſos dies, quibus incubat (incubat autem fere tricenos) naturæ providentia cibum illi negavit, inverſis interim ejus unguibus, ne ferarum omnium fœtus raperentur. Itaque per id tempus pennæ Aquilæ inedia albeſcunt.

OBSERVATIO II.

De aliis quibusdam notabilibus Aquilæ proprietatibus.

1. PEs Aquilæ dexter eſt major ſiniſtro. *Jonſtonus in Thaumatographia claſſe 6. cap. 1.*

2. Cere-

2. Cerebrum Aquilæ adeò calidum eſt, ut in pulverem redactum, maniam inducat propinatum. *Idem ibidem.*

3. Aquila, teſte Æliano, tam perſpicacis eſt viſûs, ut ſupra maria, extra humanum elata contuitum, piſciculos minimos in mari natantes conſpiciat.

4. Cadavera quindecim milliaribus diſſita odoratu percipit Aquila.

5. Vox Aquilæ boatui eſt ſimilis, ſed pulli ejus ob præpeditam ab humore linguam, ſunt muti.

6. Aquila non bibit, prædarum ſanguine contenta; in ultimo tamen ſenio, quando roſtrum præ ſiccitate incurvatum eſt, potu vitam ſuſtentat. *Ælianus.*

OBSERVATIO III.

De natura & proprietatibus Falconis.

1. TAntum ineſt falconi roboris, ut avem percuſſam à capite ad caudam uſque diſſecet.

2. Aviculæ ita falconem timent, ut nonnunquam audito tintinnabuli ſonitu, & ex eo falconis adventu cognito, malunt humi ab hominibus obrui lapidibus, quàm ſe, cum periculo incidendi in ungues falconis, in altum attollere.

3. Falco nunquam ſeſe aqua, ut cæteræ aves, ſed ſola arena abluit. *Vide Jonſtonum ſup. Obſervat. 2. citatum, cap. 16.*

OBSERVATIO IV.

De natura, & proprietatibus Accipitris.

1. COr Accipitris magnum, ſed Lien adeo exiguus eſt, ut viſum propemodum effugiat. Ita docet Ariſtoteles *de partibus animal. cap. 38.*

2. Singulis annis deplumeſcit, expandendo alas verſùs

ſius Auſtrum: qui ventus relaxat corpus ipſius, poroſque facit ampliores, ut faciliùs excidant pennæ.

3. Hæc avis tametſi rapax & vorax, cruorisque avida ſit, cor tamen captarum avium nunquàm devorat.

4. Mirum Accipitri ingenium. Avem, quam ſub noctem cepit, nocte integra ſub pedibus tenet, exoriente ſole dimittit, & obviam poſtea factam nunquam perſequitur. *Jonſton. in Thavmatographia claſſe 6. cap. 2.*

5. Accipiter cadavera fugit, & ſi humanum attigerit, jejunus manet.

6. Hominem mortuum lugere videtur, inque ejus oculos humum ingerere: imo ſi inhumatum offenderit, gleba injecta humare.

7. Os tibiæ accipitris ſi ad aurum admoveatur, illecebra quadam illud attrahit. *Ælianus lib. 4. cap. 43.*

8. Aviculæ ad ejus conſpectum ita perturbantur, ut manu poſſint de arbuſtis demi.

9. Exigua eſt accipitri fœcunditas: calore nimio nimium ſemen ejus condenſante. Libidinoſus tamen eſt, ita ut femina trigeſies una die requiſita, redeat vocata.

OBSERVATIO V.

Anſer amator Philoſophi.

EXiſtimat Plinius *Hiſt. natur. lib. 10. cap. 22.* ineſſe anſeri quandam veluti particulam ſapientiæ & intellectus, eò quòd quidam ex illis Lacydem Philoſophum ita adamarit, ut perpetuò ei comes adhæſerit, nuſquam ab eo, non in publico, non in balneis, non noctu, non interdiu digreſſus. Meminit hujus anſeris etiam Ælianus, & refert, eum demortuum non minùs ambitioſè à Philoſopho ſepultum, quàm ſi filius aut frater fuiſſet.

OBSER-

OBSERVATIO VI.

Ex Anſere medicina apoſtematum.

VEterem anſerem maſculum triduana inedia macera, deinde illi objice fruſta anguillæ recenter occiſæ, & excrementa ejus collige, habebisque præſens remedium ad quævis apoſtemata. *Acceptum à quodam peritiſſimo Chirurgo.*

OBSERVATIO VII.

Otus avis imitatrix.

OTus (Germanis ein Ohreul) quidquid hominem facere viderit, imitatur & æmulatur; ita ut ſaltet cum ſaltante, & oculos viſco inungat, ſi hoc auceps facere ſe ſimulaverit. Quare captu facilis eſt. *Athenæus lib. 9. Plinius lib. 10.*

OBSERVATIO VIII.

Perdices cicures.

PLena perdicum eſt inſula Chios. Eas paſtor primo diluculo evocat ſibilo, quæ mox catervatim accurrunt, ſecutæque paſtorem, ut apud nos oves, in agros prodeunt, ubi toto die apricantur & paſcuntur. Sub veſperam eodem ſigno revocatæ, facto agmine domum, & ad nota cubilia ſe recipiunt. Cicurantur autem hæ perdices in hunc modum: Statim ut ovis excluſæ ſunt, ruſtici eas in ſinum intra induſium transferunt, atque hoc modo die una & altera circumferentes fovent, & ori ſubinde admotas ſalivâ nutricant: quo beneficio devinctæ, nutritios ſuos non obliviſcuntur. Una tamen adhibenda eſt cautio, ne in agro pernoctent; id enim, ſi ſemel atque iterum factum fuerit, facilè ad naturam redeunt, vitæ libertatem humano contubernio præferentes. *Busbequius Epiſt. 3.*

OBSER-

OBSERVATIO IX.

De Avicula corpore minima, sed cantu suavissima.

IN America reperitur avicula, quæ, si molem corporis spectes, non est major vespa, sed claritate sonoræ vocis, cantusque suavitate omnes nostrates Philomelas superat. Barbari eam *Gonambuch* appellant. *Joann. Ludovic. Godefridus in Histor. Antipodum part. 1.*

OBSERVATIO X.

De Avicula, quæ ad ignem seipsam cum veru vertit.

CUm Romæ essem (utor verbis Auctoris Jocoseriorum Naturæ & Artis *centur. 1. propositione 20.*) Eminentissimus Cardinalis Palottus experimentum quoddam (quod novum putabat) P. Athanasio Kirchero examinandum, causamque insoliti effectus explorandam proposuit.

Aucupio ceperant dicti Cardinalis familiares aviculas aliquot minutissimas, quas Regulos vocant Latini, Germani verò Zaunschlupfferlein / quòd in sepium receptaculis nidificare soleant. Has virgis corylaceis infixas dum igni assandas apponunt, notatum fuit magna omnium admiratione, verua illa corylacea fulcris imposita paulatim seipsa unà cum aviculis infixis vertere. Sæpius repetita cùm fuisset observatio, & semper eodem cum effectu, una avicularum simul cum stipite corylaceo à Cardinali ad P. Athanasium Kircherum missa fuit, petitumque ut idem experimentum repeteret, suumque de causa tam insoliti prodigii (ut putabant) judicium interponeret. Ad rei itaque periculum faciendum, avicula deplumatur, virga corylacea recta & tenuis (ne pondus effectum impediret) instar veru per corpusculum transadigitur, veru duobus ferreis fulcris imponitur,

ponitur, lentus prunarum ignis admovetur, motuſque aviculæ ſpontaneus exſpectatur. Nihil primò per dimidii ferè quadrantis horæ ſpatium fuit notatum, adeo ut circumſtantes experimenti vanitatem cachinnis exciperent, & ipſe quoque Kircherus moræ impatiens abitum pararet, fallax & deluſorium experimentum dictitans. Dorſum jàm verterat, cùm veru primò lentiſſimè, mox vehementiùs agitari in gyrum animadverto. Revoco igitur abeuntem, oſtendoque veru unà cum avicula in orbem tanta velocitate circumagi, ac ſi manuum agitatione propelleretur. Neque à circumvolutione ceſſatum fuit, donec avicula plus quam aſſata, & virga corylacea in carbonem ferè fuit redacta. Ego ad quadraginta gyros numeravi.

Experimentum hoc non eſt novum, ut ſibi familiares Cardinalis Palotti perſuadebant. Mentionem enim illius faciunt Scaliger *Exercitat. in Cardanum, Exercit. 70.* Aldrovandus *lib. 17. Ornithologiæ cap. 1.* Porta *lib. 14. Magiæ natural. cap. 10.* Cardanus *lib. 7. de variet. cap. 36.* Albertus M. *lib. 23. de Animal.* ubi de Regulo ſive Trochilo loquens, *hæc avis*, inquit, *habet, quòd ſi deplumata in veru parvo figatur, ad ignem gyret ſeipſam. Et hoc jam probatum eſt à nobis per experimentum.*

Reſtat jam examinanda cauſa, cur hæc avicula ſponte cum veruculo colurno ad ignem vertatur? Quidam eam referunt in ipſum Regulum, alii in virgam colurnam ſeu corylaceam, alii in utrumque.

Multi (inquit Cardanus *loc. citat.*) levitati corporis aviculæ id tribuunt, cùm aliis paulò majoribus avibus id non contingat.

Porta *loco ſup. citat.* hiſce verbis experimentum, ejusque cauſam proponit. Si deſint ſervi, qui veru convertant, & velis ut avis ſeipſam aſſet, hoc utêris artificio: Regulum avem colurno veru infiges, & ſubjectis prunis

O ſe

se ipsam movere videbitur. Quod ex ligni proprietat
evenit, non ex ave; Nam si colurnæ virgæ ignem sub-
jicias, distorquetur, ut seipsam videatur movere: &
quamcumque carnem (sed modici ponderis) infiges
omnis movebitur circumvolvendo. *Hæc Porta.*

Ex quibus patet, causam prædicti effectus non ess
aviculam, sed virgam colurnam; Quia, si virga alteriu
arboris adhibeatur, non vertitur avicula, è contrari
sola virga colurna, si instar veru fulcris sustentetur, &
ignis subjiciatur, etiamsi omnis absit avicula, in gyrum
vertitur.

Addo, prædictum effectum non provenire ab occul-
ta quadam virtute & qualitate specifica, corylo inexi-
stente, sed à constitutione naturali talis stipitis seu vir-
gæ, aliis etiam lignis & plantis communi. Habet enin
corylus fibras (ex quibus in longum componitur) ita
constitutas, ut postquam probè incaluerit, sese vehe-
menter contorqueat. Quam quidem torsionem sequi-
tur motus in gyrum, si ita libretur virga colurna, ut li-
berè in gyrum verti possit. Similem habent constitu-
tionem sarmenta vitium, cuscuta, hedera, aliaque simi-
lia ligna, & festucæ avenaceæ, nisi quòd aliqua faciliù
& longiori tempore, alia minùs facilè, & breviori tem-
pore contorqueantur.

OBSERVATIO XI.

Notabilia quædam de Ciconia.

1. Ciconiæ sunt aves migratoriæ, sed dubium est, a
omnes quotannis adventante hyeme in alias emi
grent regiones. Multæ enim velut extinctæ, à piscato
ribus reti in siccum tractæ sunt, eæque simul juncta
mutuo, simul rostra in ano inserta habuere, & calefacta
revixêre in thermis. In Lotharingia certè id accidis
anno 1467. refert *Campofulgosus lib. 1. memorabil.*

2. Ve

2. Vesaliæ Ciconia quædam suo hospiti migratura valedicebat, & eundem salutabat redux. Non contenta tandem vocali gratitudinis signo, radicem viridis zingiberis attulit.

3. Ex Gesnero refertur, quòd Ciconia quædam stupratori uxoris absentis hospitis oculum effoderit. Alia suæ conjugis adulterium in absentia commissum cùm deprehendisset, multis aliis adductis, eam laniavit. *Jonstonus in Thaumatographia Hist. de avibus.*

OBSERVATIO XII.

De Natura Milvi.

1. MIlvi primis annis magnas venantur aves, vegetiores facti parvas, tertio anno muscas & culices.

2. Milvi tam altè volant, ut se interdum humanis subducant oculis: tam latè, ut nulla avium tam ampla aëris emetiatur spatia: tam denique celeriter se demittit ex alto, ut segmenta pulmonum bubulorum projecta arripiat, priusquam in terram deciderint.

3. Cùm Londini in Anglia non liceat occidere milvos, hinc magnâ illi utentes confidentia & libertate, per confertos etiam homines prædam in altum tollunt, carnes etiam è macello auferunt, panem è manibus puerorum, pileosque de capitibus, nidulandi præsertim tempore, abripiunt. Vide Ælianum *lib. 2. cap. 47.* Bellonium *lib. 2. de avibus cap. 26.* Clusium *lib. 2. cap. 36. in observat. Bellonii.*

OBSERVATIO XIII.

De Mergo Ave piscatrice.

MErgi exercent officium piscatorum in Provinciis Orientalibus, & piscium capiendorum causa capiuntur. In civitate quadam (inquit Odoricus à Foro Julii) ad magnum fluvium sita in Oriente, hospitem

piſcaturum comitatus, vidi in naviculis ejus mergos ſuper pertica alligatos: quibus ille guttur filo ligavit, ne piſces captos devorare poſſent. Ponunt autem in ſingulis navibus tres magnas ciſtas, unam in medio, & ab utroque extremo ſingulas. Tum mergos ſolutos dimiſit, qui mox piſces quamplurimos cepêre, & ipſimet in ciſtas illas impoſuêre, ita ut brevi tempore omnes repleverint. Tum hoſpes filis à gutture ſolutis, mergos jam ſibi ipſis piſcari, & piſcibus paſci permiſit. Hi paſti ad loca propria revertuntur, iterumque perticis alligantur. Idem Venetiis factum eſſe teſtatur Scaliger.

OBSERVATIO XIV.

De Haliæto, Torquilla, Turdo, Noctua, Vulture, & nonnullis aliis Avibus.

EX Haliætis ſeu Aquilis marinis, quidam dicuntur habere unum pedem aquilinum & aduncum, álterum planum anſeris inſtar, eoque ad natandum uti. Simile quiddam de falconibus refert Joann. Ludov. Godefridus *in Hiſtor. Antipodum*, reperiri videlicet in Guatimala regione Americana quoddam genus falconum quorum pes alter eſt falconinus, alter anſerinus.

Torquillæ eſt aculeus linguæ tam acutus, ut humanam cutem haud aliter quàm acicula penetret.

Turdus paſcitur baccis juniperinis, diciturque ſuam ſibi cacare perniciem, quia viſcus, quo turdus capitur pullulaſcit è ramo, quem ipſe conſpurcavit.

Noctua, ſi fides habeatur Plinio *lib. 10. cap. 17.* novem dierum abſtinentia non læditur.

Vultur grano mali punici perit. *Plinius lib. 30. cap. 4* Tradit Cardanus, quod corium calcanei dextri in vulture, ſuper pedem dextrum podagrici, & ſiniſtri ſuper ſiniſtrum ejuſdem pedem poſitum, dolores mitiget. Simile

mile quiddam de testudine referens Albertus M. Si acceperis, inquit, dextrum pedem testudinis, & suspenderis eum super dextrum pedem podagrici, prodest ei: similiter si sinistrum sinistro.

OBSERVATIO XV.

Virtutes & vitia in avibus symbolicè repræsentata.

AQuila pennis nudata, juventutem renovans, designat emendationem morum, & innovationem vitæ: Pavo se circumspiciens, superbiam; Syrma demittens fœdosque pedes aspiciens, cognitionem sui: Grus cum lapillo in pede, vigilantiam: Acanthis in spinis canens, studia in paupertate: Merops volans oculis in caudam reflexis, ordinem præposterum: Picus arborem rostro perforans, constantiam: Pyrausta ad fulgorem advolans, seque comburens, ambitionem: Monocodiata, seu avis Paradisiaca, contemplationem rerum cœlestium: Cuculus alienum nidum occupans, vagam libidinem, vel adulterum: Alcedo in mari tranquillo nidificans, tranquillitatem à turbis & litibus: Charadrius inter vorandum alvi proluviem excernens, gulonem: Struthio ferrum concoquens, patientiam.

DISCURSUS DECIMUS SEPTIMUS.
EX TETRAPODOLOGIA.

De Animalibus Quadrupedibus.

PRÆFATIUNCULA.

TEtrapodologia est scientia eorum quæ pertinent ad quadrupedia: quorum duplex est divisio. Prima in animalia mansueta & fera. Illa sub homi-

hominum cura vivunt: Hæc homines fugiunt, & sibi ipsis pastum quærunt. Secunda, in animalia amphibia, & non amphibia. Hæc unum duntaxat elementum, videlicet terram: Illa duo, nimirum terram & aquam incolunt; ut Castor, Lutra &c.

OBSERVATIO I.

Insitatæ docilitatis ac intelligentiæ vel specimina vel imitamenta, in Elephante observata.

CHristophorus Acosta, qui Indiam Orientalem diligenter perlustravit, multa supra fidem de inusitat[a] elephantis docilitate ac solertia commemorat. Nihi[l] certius esse ait, in regno Malabar, quàm quòd Elephantes sermone inter se communicent, imo addit eos humanam edere vocem. Erat, inquit, in Urbe Cochin elephas, qui ad portum resque marinas, diurnas præstare solebat operas. Eum fortè jam fessum urgebat nihilominus urbis ejus Præfectus, ut Liburnicam, quan[m] commovere ceperat, deduceret porrò in mare. Ille abnuere, instare alter multis blandisque verbis, & ad extremum in gratiam Lusitani Regis ut id vellet, orare. His dictis motus elephas, clarè hæc duo verba ingeminat; *Hoo Hoo*, quod lingua Malabarica est *Volo Volo*, ac sine mora navim traxit in mare.

Venerat quidam elephas in stabulum famelicus, & ab itinere fessus. Cumque contubernalem asinum ibidem ad præsepe hordeo vescentem reperisset, reliquias cænulæ ejus, excluso, & per vim remoto conviva, avide absumpsit. Mox cùm ipsi Magister lautum epulum hordeaceum apposuisset, memor injuriæ socio facta[e] proboscide cœnam suam divisit, partemque esurien[ti] asino relinquens, suam solam consumpsit. *Id Clusi[us] retulit Lipsio, teste Henr. Vrsino in Acerra Philologica.*

Elephan[t]

Elephanti ex Africa profecti, maria transituri, ferebantur non ante naves conscendere soliti, quàm rector jurejurando de reditu cavisset. *Plin. hist. nat. cap. 1. lib. 8.* Quare cùm in Theatrum Pompeji introducti, quidam ex illis in certamine cum armatis occubuissent, reliqui à pugna destitêre, & circumeuntes proboscide in cœlum elevata visi sunt lamentari. Unde occasio sermoni data, eos jurisjurandi religionem implorasse, & à Diis popoſcisse vindictam. *Dio Cassius lib. 39. p. 107.*

OBSERVATIO II.

Generositas hominis, terror leonis.

HEnricus Alsatiæ Comes, Leonem, astu & invidia Anglorum, in palatio Eduardi III. Regis, in se emissum, voce terruit. Nam cùm frementem illum ac rugientem in gradibus obvium haberet: *Quiesce*, inquit, *canis ferox!* metuque prostratum & adblandientem manu apprehendit, atque in caveam reduxit. Idem Comes Henricus *Ferreus* à robore appellatus fuit. *Cranzius in Saxonia.*

OBSERVATIO III.

De equo stultè amato ac honorato.

CAligula Imperator, equo, cui nomen *Incitatus*, præter equile marmoreum, & præsepe eburneum, ac tegumenta purpurea, cum monili gemmeo, domum etiam cum familia atque supellectile dedit, quò lautiùs nomine ejus invitati acciperentur. Consulatum quoque ei traditur destinasse, ut scribit *Suetonius*. Addit *Xiphilinus* ex Dione, quòd invitaverit ipsum ad cœnam, invitato apposuerit hordeum ex auro, vinoque potaverit, imo Collegam in Sacerdotio designaverit.

Verus Imperator equo *Volucri* (hoc ei nomen fuit) aureum confici curavit simulachrum, quod secum por-

tabat, & uvas paſſas ac nucleos in vicem hordei in præſepi appoſuit, mortuo denique ſepulchrum in Vaticano fecit. *Julius Capitolinus.*

OBSERVATIO IV.
Modus efficiendi, ut equi acquirant caput parvum, & jubam pulchram.

CAput equi, dum pullus eſt, ſi ſæpius lavetur frigidâ, extenuatur & marceſcit, parvumque redditur. At contra, ſi collum ſæpius aqua calida lavetur, craſſeſcit, crinesque creſcunt, & juba redditur pulchrior. *Cardanus.*

OBSERVATIO V.
Variæ equorum denominationes à variis accidentibus.

EQuus, ſi caſtratus fuerit, appellatur canterius ſeu ſpado, cui opponitur admiſſarius, qui ad ſpeciei propagationem deputatus eſt. Calce feriens, dicitur calcitro, vel calcitroſus. Si duri eſt oris, refractarius: ſi ructantis, ructator: ſi ſeſſorem excutit, ſternax: ſi pedibus offendit, ceſpitator; ſi ſuccutit, ſuccuſſor ſeu ſuccuſſator, ſi vitiatæ ſint ſuffragines, flexuræ poſteriorum crurium, ſuffraginoſus; ſi capite ad humum flectitur, cernuus; ſi ægrè ducit anhelitum, ſuſpirioſus; ſi facilè terretur, pavidus, formidoloſus, reſtitator; ſi malè habitus, ſtrigoſus; ſi arrodit præſepe, morſicator; ſi molliter glomerat greſſus, ſeu tolutim incedit, tolutarius ſeu tolutaris, gradarius, aſturco; ſi curſu tractim & ſubſultim incitato feratur, tripedarius (Barbari vocant gallopare) ſi ſine ephippio, deſultorius: ſi cum eo, ephippiatus: ſi nunquam ephippium ſive ſellam equeſtrē paſſus eſt, intractatus & novus: ſi cum ferreis ſoleis, calceatus: ſi conductus mercede, meritorius & conducti-

ductitius: si ad cursum publicè dispositus, veredus; si candicat, leucophæatus vel glaucus appellatur; si præfert albam in fronte maculam (vulgo stellam) balius dicitur; si coloris sit ex albo cum spadiceo aut nigro, bicolor nuncupatur. *Pexens. in appar. erudit.*

OBSERVATIO VI.

Varii modi iter equo celeriter conficiendi.

SArmatæ longinqua itinera equestria celeriter confecturi, pridie equis cibum subtrahunt, & ita per centena passuum millia continuo cursu iis insident. Turcæ quoque iter agentes, interdum equos non pascunt, sed solùm potant, quoties aquam reperiunt. Saxo Grammaticus refert, Valdemarum ea nocte, quam belli insecuta est dies, quâ Sueonem III. Danorum Regem vicit, præcepisse frænatos stare equos, sine pastu, ne satietate graves, minùs ad cursum essent idonei. Inedia ergo velocitatem addebat hisce equis, nostris adimit. Inde major ferè apud nos equorum, quàm equitantium cura.

Tartari, Paulo Veneto teste, cùm prædandi causâ excurrunt in regiones illas septentrionales, quibus sol mensibus aliquot non apparet in hyeme, equas adhibent ad iter, quas pulli sequuntur. Cùm ad regionis inimicæ ingressum perveniunt, pullos sub custodia commilitonum relinqunt, ipsi cum equabus pergunt, & prædiis onusti laxant habenas: hæ pullorum desiderio per tenebras rectà ad illos, & celerrimè revertuntur; equæ enim pullos suos impensè amant. Hoc sciens olim Darius Persarum Rex, equas à partu recenter ad pugnas periculosas ducebat, domi relictis pullis, ut cùm fugere necessarium foret, equæ pullorum amore quàm celerrimè domum properarent. *Autor Joco-serior. Artis & Natur. cent. 3.*

Cardanus *lib.* 13. *Varietat. cap.* 63. modum præſcribit, quo quis celeriter equo fugere, aut fugientem inſequi poſſit. *Primò*, inquit, eligat equum levem, laboribusque aſſuetum, & ſuper omnia mitem: multis enim equi inſolentia exitio fuit. *Secundò*, ſingulis equi ſoleis, loco octo clavorum, affigi curet quatuordecim, ne per montes, quibus atteri ſolent clavi, euntibus, aut per tenacius lutum, excidant ſoleæ. *Tertiò*, qui equitat, ſecum deferat carnes pavonum, aut corvorum, modicè ſalitas, ſiccatasque ac tritas, proprii uſûs causâ. *Quartò*, panem ferat ſecum, eumq; aridum, non ſibi ſolùm, ſed etiam equo utilem. *Quintò*, ſumat ſecum cingulum coriaceum, ex corio bubalino aut taurino, ea ratione confectum, quam *Schottus part.* 3. *Magiæ lib.* 5. *Syntagm.* 2. *pragmat.* 13. deſcribit: quod deſerviet, ſi flumen, quod non ſit vadoſum, tranſire oportuerit. *Sextò* denique habeat iter optimè perſpectum.

OBSERVATIO VII.

Camelus animal admodum vindicativum.

CAmelus ab homine læſus, acceptam injuriam nunquam obliviſcitur, eamque oblatâ occaſione graviſſimè ulciſcitur, etiamſi longiſſimum effluxerit tempus.

Camelarius quidam in Perſia, cui camelorum cura demandata erat, cùm aliquando in brachio à camelo morſus eſſet, multas ei in collo (quâ parte cameli maximum habent acerrimumque doloris ſenſum) plagas inflixit. Camelus verò vindictæ cupiditate flagrans, cùm plurimis exactis diebus, in itinere aliquo ſub dio in campis unà cum aliis camelis pernoctaret, & Camelarius etiam inter eos, jacens ſomnum caperet, parte corporis ſui, ad frigus arcendum, pectori alicujus cameli

meli suppositâ; surrexit de nocte camelus ille, qui verberibus affectus fuerat, percussorem Camelarium inter camelos alios quæsivit, inventumque protraxit, & pedibus tam diu conculcavit, donec omnia ossa comminuta essent. *Adamus Olearius in Auctario Itinerarii Moscovitico-Persici lib.* 5. Hinc Persæ de hominibus vindictæ cupidis dicere solent: *Hic homo habet iram cameli.*

OBSERVATIO VIII.

Asinus Leonis victor.

INter prodigia, quæ mortem Alexandri M. portendebant, asinus Leonem maximum, pulcherrimumque omnium, qui tum in Regiis vivariis alebantur, aggressus, impacta capiti calce occidit. *Plutarchus.*

OBSERVATIO IX.

Mira in Asina hydrophobia, seu horror aquæ.

ADeò hydrophobæ sunt asinæ, ut minùs ignem, quàm aquam horrere videantur, teste Plinio *hist. Natur. lib.* 8. *cap.* 43. ubi de asinabus sic scribit: *Partûs charitas summa, sed aquarum tædium majus. Per ignes ad fœtus tendunt: eædem, si rivus minimus intersit, horrent ita, ut pedes omninò caveant tingere*

Huc pertinet, quòd asinus, dum bibit, os parcè immergat aquæ. Ingentem enim aurium umbram in aqua conspicatus, veretur, ne profundiore oris in aquam immersione madefiant.

OBSERVATIO X.

Stupendus Asini somnus.

IN Thuscia sive Hetruria nonnunquam accidit, ut asini cicutam, dum in campis pabulum quærunt, securi

turi effectûs ignari, comedant. Quâ comestâ tam profundo corripiuntur somno, ut quasi cadavera jaceant, & excoriati à putantibus esse mortuos, non priùs expergesiant, quàm pelle ferè detracta, cum omnium risu & ludibrio, at non sine detrimento rusticorum, ad quos asini spectant. *Matthiolus in Dioscorid.*

OBSERVATIO XI.

Vngula Alcis medicina morbi comitialis.

ALce est fera quadrupes, cujus labrum superius adeò propendet, ut nisi in posteriora recedens vestigia pasci nequeat. Laudatur hujus animalis celeritas; tantùm enim diei unius spatio emetitur itineris, quantum equus triduo. Illud morbo infestari sacro, scribunt Naturæ indagatores: Medicinam verò sibi ipsi facit, dextri posterioris pedis ungulam auriculæ sinistræ immittendo. Quod animalis factum imitantur, qui hominibus morbo prædicto correptis mederi cupiunt. Audiamus de hoc Lævinum Lemnium, & ex eo Weckerum *lib. 5. de secret.* Ungula Alcis, inquit, magna vi pollet adversùs comitialem morbum. Nam ejus particula annulo inclusa, & digito, qui proximus est minimo, ita commissa, ut in palmam convertatur, collapsos in ipso paroxysmo plurimùm recreat, & confestim excitat. Idem efficit portiuncula ejusdem nuda, & manui in pugnum complicatæ inserta; repentè enim morbum expellit, & prostratos erigit. Nos, inquit Weckerus, particulâ ejusdem in aurem sinistram immissâ, & aliquamdiu veluti scalpendo motâ, id ipsum feliciter experti sumus in verè epileptico, idque miraculi loco habitum est. Joann. Agricola Ammonius idem effici tradit, suspensa vel gestata particula ejusdem ungulæ, modò cutim attingat. Quod etiam amuletum ad præcautionem morbi plurimum valere certus sum.

Audio

Audio etiam ramenta vel ſcobem adversùs eandem noxam in Polonia propinari. Cæterùm eligenda eſt ungula dextri pedis poſterioris, cavendumque ab impoſtoribus, qui ungulas bubulas pro alcinis vendunt. *Mizaldus.*

OBSERVATIO XII.

Fel Cervi in cauda.

CErvos fel habere negant Plinius & Ariſtoteles; ſed deprehenſum eſt, eos in cauda habere ſuccum ſubviridem adeò virulentum, ut guſtatus ſyncopem afferat, aut mortem, niſi antidoto præveniias. *Voſſius lib. 3. de Idol. cap.* 54.

OBSERVATIO XIII.

De Vaccis, quæ mulgeri non poſſunt, niſi vitulo præſente.

VAccarum in Perſia hæc eſt proprietas, teſte Adamo Oleario *in Auctario Itinerarii Moſcovitico-Perſici lib.* 5. ut mulgere volentes nequaquam admittant, niſi præſentes fuerint earum vituli. Et ſi quando vitulus aliquis mortuus fuerit (mactare autem, vel comedere non licet, certè inſolitum eſt) vacca neque mulctrale admittit, neq; lac reddet, niſi vituli excoriati pellis ſtramine ſuffarcinata, & pars ejus ſuperior ſale conſperſa, juxtaque vaccam poſita fuerit; tunc enim illa ſalem lambit, & mulgentem admittit.

OBSERVATIO XIV.

Arietes probè caudati.

ARies Ægyptius caudam habet pinguiſſimam, & ponderoſiſſimam, ſi ſaginatus fuerit. *Joannes Leo lib. 9. deſcript. Africæ* refert ſe vidiſſe arietem habentem caudam LXXX. pondo, & nonnullis excreſcere ad CL. pondo.

OBSERVATIO XV.

De colore fœtus in ove prægnante.

SI prægnante ove cognoſcere cupis, qualem colorem ejus fœtus habeat, aperito (inquit Didymus à Weckero *lib. 6. de ſecret. cap. 6.* citatus) prægnantis os, & ſiquidem inveneris linguam ipſius nigram, nigrum agnum pariet: ſi verò albam, album: ſi denique variam, varius erit & partus.

OBSERVATIO XVI.

Oves exoticæ.

IN regione Peruana ſunt oves noſtratibus majores, vitulis minores, habentes colla longa, inſtar camelorum. His incolæ utuntur velut equis & aſinis ad quaslibet geſtandas ſarcinas. Exiguis conſtant impenſis; neque enim ephippio ſive ſella, aut ſoleis, aut fræno egent (ſaltem nullus harum rerum eſt uſus) ſuntque gramine campeſtri contentæ, nullum aliud alimentum expetentes. Illud verò magnopere providendum eſt, ne ad iram concitentur. Id enim ſi factum fuerit, illicò ovis procumbit humi, nullisque verberibus adigi poteſt, ut ſurgat, & iter cœptum proſequatur. Oportet itaque tunc ovis cuſtodem juxta ovem cubare (aliquando tribus integris horis) & variis blanditiis eam ad ſurgendum invitare. Quòd ſi ovis efferata (ut nonnunquam accidit) celeri curſu ad montana ſeſe contulerit, nullis inde modis mediisve revocari poterit. Quo caſu fugitivam glande plumbea trajicere ſolent, ut merces, vel alia onera ei impoſita, recipiant. Ubi ſcabiem contraxerint, vivæ defodiuntur, ne alias inficiant. *Joann. Ludov. Godefridus in Hiſtoria Antipodum part. 1.*

OB-

OBSERVATIO XVII.

Canis alicubi Rex.

PToëmphanæ, ſicut & Ptoëmbari, utrique Africæ populi, nullum olim Regem præter canem habebant, quem ita ſtudioſè ac mirifice obſervabant, ut ex ejus motu nutuque imperia augurarentur: & ſi canis caudâ adularetur, propitium: ſi latraret, iratum crederent. *Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 2.* Idem tradit Plinius *lib. 6. cap.* 30.

OBSERVATIO XVIII.

Canis vetulæ parcens, cui inhumanus homo non pepercerat.

DIdacus Salazar canem moloſſum in captivam anum Americanam, quam cum inanibus litteris falsâ ſub ſpecie amandarat, emiſit: crudeli ſpectaculo infelicis vetulæ in fruſta diſcerptæ paſturus oculos. Illa irruentem in ſe notæ feritatis canem intuita, flexis in terram procubuit genibus, ſupplexque adoravit, his utens verbis: *Domine Canis, Domine Canis, litteras en fero ad Gubernatorem, parce, rogo, ne ſævias Domine Canis.* Ille quaſi preces ſenſiſſet, ſubſtitit, ac mitior factus, altero ſublato crure, ut ſolent canes ad parietem, deſpectam anum perminxit. Res miraculo fuit Hiſpanis, puduitque interficere, cui canis pepercisſet. *Oviedus lib. 16. Hiſtor. Indic. cap.* 11.

OBSERVATIO XIX.

Canis Domini ſui monitor.

FUit Nobili cuidam Würtenbergico canis, qui dominum ſuum pro more, quoties in aulam Principis itaret, comitari ſolebat. Is ab aliis Aulicis canibus malè aliquando mulctatus, deinceps nunquam ingredi

auſus,

aufus, quoties ad veftibulum deduxiffet herum, caudâ adblandiens, & quafi valedicens, domum regreffus eft. Quod cùm fæpiùs ab eo factitari, advertiffet dominus: Næ, inquit, canis meus plus fapit quàm herus ipfius, qui toties malè in aula habitus, adire illam non ceffat. *Manlius in locis.*

OBSERVATIO XX.

Modus efficiendi ne canis te deferat.

EXiftimant quidam ranam coctam à Domino cani datam, atque ab eo comeftam, efficere ut nunquam ab eo difcedat. Verùm ego (inquit *Weckerus de fecret. lib. cap.* 9.) ranas complures coctas canibus dedi, qui mihi tamen non paruerunt. At fi canis, qui à te difceffit ad alium, ab hoc verberetur, ad te redibit. Si cibum à te folo acceperit, non te deferet. Ajunt alii canem, porrecto illi pane fub axilla nuda contento, ita ut fudore maduerit, fieri amantiorem obfequentioremque domini fui. *Cardanus.*

OBSERVATIO XXI.

Modus efficiendi, ut canes celeriter accommodent fe Venationi.

POftquam decreveris, cui generi venationis canem applicare velis, eorum animalium, quæ venationi deftinata funt, fanguinem cum offa, ftatim poft ablactationem cani præbeto: nimirum fi ad cervos & lepores, cervinum, vel leporinum; fi ad apros & vulpes, aprugnum, vel vulpinum fanguinem dabis. Si ad perdices, cor, inteftina, & caput porriges. Hac ratione fiet, ut canis ftatim horum animalium veftigia infequatur, & relictis aliis animalibus fortè occurrentibus, nunquam à recta venatione avertatur. *Ex lib. Manufcript.*

OB-

OBSERVATIO XXII.

Canes ne rabie corripiantur.

SUbeſt linguæ catellorum nervus, vermiculi effigiem præ ſe ferens, rotunda & tereti forma: qui ſi eximatur, reddet eum exemptio à rabie immunem, facietque ut minimo latratu ſit infeſtus, nec quemquam lethali morſu impetat. *Columella & Plin.*

OBSERVATIO XXIII.

Canis à carne canina abſtinens.

TAm exquiſita odorandi facultas cani ineſt, ut nunquam carnem caninam, ne varietate quidem condimentorum fallaciſſimè temperatam, deguſtet, *Jonſton.in Thaumatogr. claſſe.* 7. *cap.* 11.

OBSERVATIO XXIV.

Canes furum inveſtigatores.

IN Scotia genus eſt canum, qui fures perſequuntur: qui ſi flumen trajecerint, tranant & canes: cùmque in adverſam evaſerint ripam, tam diu in gyrum currunt, donec odoratu furum veſtigia aſſecuti fuerint. *Geſnerus.*

OBSERVATIO XXV.

Mira canum docilitas ac ſolertia.

CAnis cujuſdam agyrtæ projectis in medium annulis, unicuique ſuum reddebat. *Jonſton. ſup. citatus.*

Franciſci Marchionis Mantuæ canis advocabat ſervos. *Idem.*

Canis quidam Lovanienſis apud Lipſium *Centur.* 1. *ad Belgas epiſt.* 44. epiſtolas millo inſertas ferebat Lovanio Bruxellas, & hinc Lovanium referebat reſponſorias.

OBSERVATIO XXVI.

Simia infelix imitatrix.

VIderat quædam ſimia è vicinis Heri ſui ædibus ſutorem ſcalpro corium ex arte concidentem Qui cum relicto in officina ſcalpro & corio ad ſumendum prandium diſceſſiſſet, in eam ſimia per apertam irrepens feneſtram, quidquid corii in menſa reperit fruſtillatim conſcidit. Quo facto ſutor indignatus, illatum ſibi à Simia damnum ſic ultus eſt. Dum ſimiam attentam, & curioſè, quid rerum ageret ſutor, ſpeculantem intuetur, ſcalprum ille ſutorium ſemel atque iterum gutturi admovet, & ſubitò ſe ex officina proripit. Nec mora, ſimia in eandem regreſſa, poſteriorem quoque ſutoris actionem, ſed infeliciter, imitatur. Dum enim ferrum acutiſſimum incautè tractat, gulam ſibi præſecat. *Voſſius lib.3. de Idololatria cap.59.*

OBSERVATIO XXVII.

Templum magnificentiſſimum Simio dedicatum.

INdorum Brachmanum inſtituto, Templum Simio ſacrum, ea magnificentia in Oriente eſt ædificatum ut ſola porticus, victimis aſſervandis deputata, ſeptingentas habuerit è marmore columnas, illis Agrippæ columnis, quæ Romano in Pantheo viſuntur, æquiparandas. *Maſſejus lib.* 1. *Indic. hiſt.*

OBSERVATIO XXVIII.

Immenſa Leporum copia.

APud Baleares tanta aliquando leporum copia fuit ut Incolæ adversùs eos militare auxilium ab Auguſto Cæſare poſtulaverint. *Plinius.*

OBSERVATIO XXIX.

Exotici Apri.

IN montibus Indiæ reperiuntur Apri, dicti Sayni, umbilicum non infernè, sed supernè gerentes in dorso. Sunt bestiæ feroces & infestæ hominibus, quos illico, ubi viderint, adoriuntur, &, si arborem conscenderint, dentibus eam iteratis ictibus cædunt, ut prosternant cum arbore hominem, si possint. Setas habent instar novaculæ acutas, quibus hostem suum convulnerant. *Joan. Ludov. Godefridus in Historia Antipod. part.* 1.

OBSERVATIO XXX.

De Natura & proprietatibus murium.

1. MUres apud Allobroges albi sunt, putantque incolæ eos ali nive. *Scaliger.*

2. Domum minitari ruinam, primi præsentiunt mures, eamque prævio egressu devitant.

3. Fugantur mures, si vel unus eorum vivus comburatur, vel excoriato capite dimittatur.

4. Miram innuit docilitatem, quòd musculus quidam candelam tenendo, lumen comedentibus ad præceptum magistri ministraverit. *Id se vidisse testatur Albertus Magnus.*

5. In Helvetia quidam musculus, quotidie dato signo ad pulmentum, cum cane, catto & avicula ex una scutella sumendum accessit; & dato rursum signo ad cavum suum se recepit. *Vide meum iter cœleste part.* 1.

6. In Brasilia sunt mures magnitudine sciuri, qui non minùs expeduntur in cibum, quàm lepores & cuniculi, neque sunt bonitate & præstantia succi illis inferiores. *Ex Relatione Lerii testis oculati Anno 1555.*

DISCURSUS DECIMUS OCTAVUS.

EX ANTHROPOLOGIA.

De Natura & proprietatibus Hominis.

PRÆFATIUNCULA.

ANthropologia eſt ſcientia differens de Homine. Ejus objecta principalia ſunt 1. Partes Hominis eſſentiales, Corpus & Anima. 2. Partes corporis integrales: Caput, Pectus &c. 3. Potentiæ animæ ſenſitivæ: ut Viſus, Auditus &c. Et ſpiritales: ut Intellectus, Voluntas, Memoria. 4. Proprietates Hominis: ut Riſibilitas &c.

QUÆSTIO I.

An cerebrum humanum ad generationem Seminis concurrat?

NOnnulli Medici reſpondent affirmativè; ſed obſtat *primò* cerebri conſtitutio frigida, ad generationem ſeminis, quod calidis ſpiritibus refertum eſt, inepta: *Secundò* nimia cerebri à loco excretionis ſeminis diſtantia: *Tertiò* viarum, ſemen à cerebro ad teſtes derivantium, ineptitudo; ut demonſtrant Anatomici.

Qui contrarium ſentiunt, variis ſuam opinionem ſtabiliunt argumentis.

Primum eſt, quod nimia Venere ſeu effuſione ſeminis minuatur & exhauriatur ſubſtantia cerebri. Sic enim ex Alberto M. de hiſtrione quodam refertur, qui cùm ex nimio Veneris uſu mortuus fuiſſet, ſectâ calvariâ ſine omni ferè cerebro inventus eſt.

Reſponderi poteſt, verùm eſſe, quòd immodico Veneris uſu non modicè debilitetur cerebrum, id tamen

non

non provenire ex eo, quòd cerebrum ſemini materiam ſuppeditet, ſed quod aſſidua ſeminis effuſione plurimi ſpiritus diſſipentur; quorum evacuationem cerebrum, pars corporis frigida, minimè ferre poteſt. Hinc epilepſia, paralyſis, apoplexia &c. ex inordinato & exorbitante Veneris uſu provenire ſolent. Id autem incredibile videtur, quòd hujuſmodi intemperantia ipſam cerebri ſubſtantiam exhauriat. Compertiſſimum enim eſt, salaciſſimorum hominum, etiam eorum, qui morbos graves ex tali abuſu contraxerunt, anatomico more aperta cadavera cerebrum copioſum exhibuiſſe.

Secundum eſt, quòd cerebro debilitato Veneris appetentia & ſeminis fœcundi generatio minuatur. Sic enim teſte Hippocrate ſterilitatem Scythæ ſibi accerſebant. Ac refert etiam Albertus M. quendam poſt inflictum capiti vulnus ad venerem ineptum eſſe redditum.

Reſpondetur, cerebrum debile debilis item cordis plerumque indicium præbere, quia ſecundùm naturam partes ſunt ad invicem proportionatæ. At ſi debilitas illa non nativa, ſed adventitia fuerit, cor & aliæ partes in conſenſum trahuntur, ac ſanguis etiam inquinamentum aliquod accipit, ex congeſtis præter naturam excrementis & obſtructionibus.

Tertium eſt deſumptum ex ſtructura vaſorum. Quia non ſolùm per ſpinalem medullam ad renes, & inde ad teſtes commoda eſt è cerebro via, verùm etiam teſte Veſalio & Bauhino nervus quidam à ſexta nervorum conjugatione ad externam partem aurium primò, ac deinde ad teſtes ipſos deducitur. Et lumbares illæ venæ atque arteriæ, quæ ſe per foramina vertebrarum lumbarium ad ſpinalem medullam propagant, & ſecundùm ejus ductum ſurſum contendunt, non alii videntur uſui deſtinati, niſi ut ſeminis materiam à cerebro deorſum propagent.

Respondet Albertus Kyperus in sua Anthropologia, lib. 1. structuram vasorum illorum nihil ostendere. Etenim nervorum propagatio spiritui animali pro sensu & motu ad partes devehendo commoda est, & nunquam in nervis materia seminalis inventa est, imò per eos devehi non potest ob ductuum angustias. Verùm arteriæ nutritioni, & spiritûs vitalis deductioni ad spinalem medullam inserviunt, venæ autem redundantem sanguinem reducunt. Et hoc ipsum ocularis inspectio in vivorum anatomia confirmat, quæ non solùm sanguinem in vasis illis contineri monstrat; sed etiam ostendit verum ejusdem in iisdem motum esse per arterias lumbares ad spinalem medullam ex trunco arteriæ aortæ juxta lumbos, & per venas lumbares ejusdem regressum à spinali medulla ad truncum venæ cavæ lumbis assidentem. Hactenus Kyperus.

QUÆSTIO II.

Cur oscitando, vel digitum in aures inserendo, crepitum quendam percipiamus?

ANte responsionem recolendum est id quod annotavi in meo speculo naturæ humanæ, videlicet intra cavitatem auris humanæ esse pelliculam aliquam sive membranam, quæ tympanum auditus vocari solet, eò quòd similitudinem tympani referat. Sustentari verò hoc tympanum tribus ossiculis, quorum unum habet similitudinem incudis, duobus velut pedibus innixæ, alterum figuram obtinet malleoli, tertium refert formam stapedis. Porrò intra medietatem prædictæ cavitatis, sive retro tympanum, versùs cerebrum, residere substantiam quandam subtilissimam eodem tympano circumdatam, quæ ob insignem subtilitatem aër vocatur. Non est autem verus aër, sed aëri similis; & quia à primo hominis ortu illic à

natura

atura constitutus est, semper eodem in loco immo-
us permanet, vocaturque aër innatus.

His ita præmissis, ad quæstionem propositam bre-
iter respondeo, illius experientiæ hanc esse rationem,
uòd aër implantatus, cavitate per oscitationem vel
nsertionem digiti, angustiori redditâ, ad latera auris
llidatur, & malleolum vibrando sonitum excitet.

QUÆSTIO III.

An Homo bestias, vel bestiæ Hominem virtute odorandi superent?

RESpondeo Hominem esse præditum olfactu, be-
stiis longè inferiori. Ratio est, quia cerebrum
ominis est humidius & majus; constat autem, virtu-
em odorativam siccitatem potiùs quàm humiditatem
equirere: Unde quibus nares & odorandi instrumen-
a catarrho, seu pituitosa defluxione occupata sunt,
vel omninò nullum, vel certè debiliter & imperfe-
ctè odorem percipiunt.

Ratio porrò talis in homine constitutionis ea est;
quia si homo haberet olfactum acutissimum, non so-
ùm aliorum, sed ne sui ipsius quidem odorem ferre
osset, ut Bodinus docet *in Theatro Nat. lib. 4.*

QUÆSTIO IV.

An solus Homo odore recreetur & affligatur?

CEnsent Physiologi, unum inter omnia animalia
hominem odore, vel benè ad delectamentum, vel
malè ad molestiam affici. Licet enim & bestiæ odori-
bus benè vel malè afficiantur, hoc tamen non fit ad re-
creationem spirituum animalium, sed ad meram ali-
menti commoditatem, vel speciei propagationem:

Quatenus ſcilicet odores ſunt indices rei ipſis convenientis vel pernicioſæ. Sic apes delectantur thymo, non per ſe, ſed ut eſt delectabile alimentum: & inſecta pleraque fumo inſectorum ſui generis abiguntur: & animalia quædam odoratu explorant matricis repletionem, vel inanitatem. Solus autem homo delectatur odore per ſe, quatenus odor eſt, ſive quatenus reficit cerebrum.

QUÆSTIO. V.

Cur tempore hyberno minùs benè odoremur?

TEmpore hyberno olfactus eſt omnium debiliſſimus & obtuſiſſimus: quia tunc aër, qui eſt medium odorandi, ratione majoris ſuæ denſitatis & frigiditatis non facilè transmittit halitus odoriferos.

QUÆSTIO VI.

Quæ ſint reſpirationis cauſæ, inſtrumenta, partes, & finis?

REſpirationis cauſa princeps eſt anima ſentiens, pulmonumque dilatatio & contractio, atque ingreſſus egreſſusque aëris. Inſtrumentum remotum eſt os, guttur, naſus, & aſpera arteria. Inſtrumentum proximum eſt pulmo, thorax cum diaphragmate & muſculis intercoſtalibus, nervus & arteria venoſa ex pulmonibus ad cor pertingens. Partes reſpirationis ſunt inſpiratio & exſpiratio: finis, eſt cordis, quod refrigeratione indiget, refocillatio.

Ex dictis colligitur 1. Reſpirationem propriè & univocè iis competere animalibus, quæ habent cor propriè dictum, & inſtrumenta ad perfectam reſpirationem idonea: uti præter hominem ſunt beſtiæ terreſtres, aves, & nonnulli piſces marini, ut delphinus, balæna &c.

E con-

E contrario iis animalibus analogicè tribuitur respiratio, quæ neque cor propriè dictum, neque instrumenta ad perfectam respirationem accommodata acceperunt; uti sunt insecta & pisces fluviatiles.

Colligitur 2. animalia magna, quæ parum & tardè respirant, brevioris esse vitæ. Signum est enim in hujusmodi animalibus exiguam esse vim caloris & spiritus, qui tamquam Rector humidi radicalis conducit ad longam vitam.

Colligitur 3. animalia terrestria, quæ magnos & laxos habent pulmones, diu posse sub aqua vivere; quia videlicet aër plurimus in hujusmodi pulmonibus asservari potest. Quæ etiam causa est, quòd faciliùs & diutiùs natare possint homines amplis & laxis pulmonibus.

Colligitur 4. Insecta, cùm sint exanguia, ideoque naturæ frigidæ, respiratione non indigere. Quòd si quædam calidiuscula sunt, ut apes, cicadæ &c. eis provida mater Natura tenuem membranam ad septum transversum adjecit: ad quam membranam aër allisus refrigerationem ipsis adfert, & bombum illum seu murmur edit. Hinc ratio redditur, cur cicadæ, apes, vespæ &c. tunc maximè murmurent, cùm vel irâ, vel calore æstuant; tunc enim membranam illam celeriùs & fortiùs movent, atque ad aërem circumfusum frigidiusculum allidunt, bombumque majorem efficiunt.

QUÆSTIO VII.

Quot pulsus, seu micationes arteriæ unius horæ spatio in homine peragantur?

Libertus Fromondus *lib.2. Meteor. pag. 63.* computavit unius horæ spatio quatuor mille, quadringentas & quinquaginta micationes arteriæ, salubriter & moderatè micantis.

QUÆSTIO VIII.

Unde & quomodo oriatur fames?

FAmes oritur, quando calidum & ſiccum vitale eſt debilitatum. Tum enim membra ſentiunt ſui diminutionem, ideoque ſugunt venas parvas, ſive capillares, quæ ſuccum tertiæ concoctionis deferunt. Venulæ iſtæ ſugunt & vellicant venam maximam ſeu cavam in hepate, quod vellicatum iterum vellicat & ſugit venam portæ. Et hæc rurſum ſugit venas meſaraicas, quæ vellicant inteſtina ventriculo vicina, & hæc ventriculum, cujus orificium ſive pars ſuperior tum contrahitur & corrugatur: ita ut corrugatio iſta ſit proxima cauſa famis.

QUÆSTIO IX.

Quid ſit riſus, & quæ illius cauſæ?

RIſus eſt vibratio diaphragmatis, & muſculorum thoracis atque oris, plena caloris & ſpiritus è corde & pulmonibus effuſi, ad ſignificandum gaudium, quod ex re grata in corde exiſtit.

Cauſa riſus alia eſt externa, alia interna. Externa eſt titillatio, quâ quis alium tangit ex improviſo in iis partibus, quæ tactæ calefaciunt diaphragma. Interna eſt cogitatio vel memoria rei jucundæ, quæ cor voluptate perfundit: tali inquam Voluptate, quæ ſit quædam calefactio, quæque ita cor afficiat, ut id dilatando ſe, ſpiritus & calorem copioſiorem effundat, quo calefactum & titillatum quaſi diaphragma vibretur, ſimulque muſculi thoracis & faciei commoveantur, ut diducto ore ſpiritus emittatur.

QUÆSTIO X.

Cur Homo ante 40. à nativitate diem non facilè rideat?

RAtio eſt, tum quia in tam tenera ætatula ſunt imbecil-

ecilliora intellectus & rationis organa, quàm ut posnt rem jucundam & ridiculam agnoſcere: tum quia ſus inſtrumenta proxima, nimirum diaphragma & nuſculi, ſunt debiliora, quàm ut poſſint ſe ad ridendum ilatare.

QUÆSTIO XI.

Cur in riſu interdum cachinnus, interdum lacrymæ concurrant?

RAtio prioris eſt, quia ſpiritus è corde ebullientes, ſubitò & magna copia erumpunt, atque ita veluti onflictantur, ac proinde majus ſpatium quærunt. Ratio poſterioris eſt, quia cerebrum (inquit Alſtedius in Encyclopædia) per dilatationem iſtam, quæ cernitur n riſu, ſæpe impingit ad latera cranii, quæ compreſſio acrymas gignit.

QUÆSTIO XII.

Cur Lacrymæ, quas ridentes profundimus, ſint frigidæ, quæ verò in luctu profluunt, ſint calidæ?

RAtio prioris eſt (inquit Alſtedius citatus) quia partes externæ per lætitiam incaleſcentes, apprehendunt lacrymas minùs calidas tanquam frigidas; perinde ut ex balneo calido egreſſi, aquam tepidam judicant frigidam. E contrario lacrymæ in luctu profuſæ ſunt calidæ: quia ibi eſt compreſſio partium externarum, qua compreſſione lacrymæ incaleſcunt.

QUÆSTIO XIII.

Cur qui majori copia caloris præditi ſunt, magis ad riſum ſint proclives, quàm pituitoſi & melancholici?

RAtio eſt, quia ſi ſpiritibus & ſanguine abundant, facilè patiuntur titillationem diaphragmatis, quæ titil-

titillatio est causa risus. Atque hinc est, quòd ab uno eodemque objecto ridiculo non æqualiter in omnibus risus excitetur.

QUÆSTIO XIV.

Cur qui lienem habent magnum, ad risum sint procliviores?

HUjus ea solet afferri ratio, quòd lien magnus faciliùs excipiat è venis humorem lentum & crassum, atque ita per sublationem impedimenti, indirectè gignat sanguinem purum, & spiritus subtiles.

QUÆSTIO XV.

Quo pacto fiat, ut lacrymæ ex causis contrariis, videlicet ex lætitia & mœstitia generentur?

IN mœstitia cientur lacrymæ, quando corde contracto, calor & spiritus eò revocantur. Unde frigescente cerebro humiditates ibidem rectore destitutæ, vaporibusque sursum exhalantibus auctæ diffluunt, & per poros lacrymales tandem ex oculis emanant. In lætitia verò funduntur lacrymæ, quando dilatato corde, calor & spirit⁹ subitò & magna copia ad cerebrum ascendunt, & humiditates ibi contentas fundunt, ut per oculos exeant.

QUÆSTIO XVI.

Quænam sit series causarum in potentia Hominis locomotiva?

SEries causarum in operatione potentiæ locomotivæ sic est comparata. Primò objectum movet sensum externum: deinde sensus externus objectum percipit: tertiò sensus communis objectum discernit ac dijudicat, sive potiùs distinguit: quartò phantasia dijudicat, bonumne sit an malum, utile an inutile: quintò cor commo-

commovetur: ſextò cor commotum commovet ſanguinem & ſpiritus: ſeptimò ſpiritus ita moti movent nervos: octavò nervi movent muſculos: nonò muſculi trahendo vel retrahendo movent chordas: decimò chordæ junctæ oſſibus, movent oſſa & membra: undecimò ex motu membrorum prodit motus totius hominis vel alterius animalis.

QUÆSTIO XVII.
Quale temperamentum requirat bona memoria?

Illa temperies præſtat optimam memoriam, quæ neque nimiâ frigiditate torpet, ut in ſenibus & pituitoſis: nec nimia caliditate inquieta & inſtabilis æſtuat, qualis eſt in bilioſis: nec humiditate nimia diffluit, qualis eſt in infantibus & pueris: nec denique immoderata ſiccitate eſt indurata ac ignava, qualis eſt in ſenibus, melancholicis, & illis, qui ferè omnem memoriæ ſuccum ſtudiis ac vigiliis exhauſerunt. Solent hoc illuſtrare ſimilitudine ceræ, quæ ſi durior ſit, difficulter imaginem admittit, ſed diu ſervat: ſi verò ſit mollior, facilè quidem imaginem ſigilli admittit, ſed non ita fideliter ſervat. Ubi non eſt ſilentio prætereundum, nocturna ſtudia, itemque lectionem ac meditationem poſt cibum ſumptum, valde nocere memoriæ, phantaſiæ, totique cerebro. Spiritus enim fatigatione nocturna reſolvuntur & turbantur, itemque ſub noctem condenſantur. Poſt cibum verò ſumptum, ſi aliquid meditari velimus, evocatur calor è ventriculo, & cum calore halitus crudi & craſſi, qui cerebrum infuſcant & corrumpunt.

QUÆSTIO XVIII.
Ex quibus ſignis cognoſci poſſit Hominem habere complexionem ſanguineam?

Signa complexionis ſanguineæ ſunt undecim. 1, Habitus

bitus corporis tactu calidus & humidus, carnosus, mollis & pilosus. 2. Color totius corporis floridus & vividus. 3. Rubedo faciei constans & naturalis. 4. Plenitudo & inflatio venarum naturalis. 5. Pulsus mollis, undosus & plenus. 6. Urina rubra & spissa. 7. Dulcedo salivæ. 8. Somnia crebra de rebus rubris, de conviviis, concentibus musicis, & omninò rebus lætis. 9. Hilaritas continua. 10. Jocus & risus frequens. 11. Diæta multiplicans sanguinem.

QUÆSTIO XIX.

Quænam sint signa complexionis phlegmaticæ?

Signa complexionis phlegmaticæ sunt decem. 1. Habitus corporis tactu frigidus & humidus, mollis, pinguis, crassus & glaber, seu non pilosus. 2. Albedo constans & naturalis in facie. 3. Naturalis abundantia salivæ, muci & sputi. 4. Urina alba & crassa. 5. Pulsus mollis, tardus & rarus. 6. Sitis rara & parva. 7. Somnia crebra de rebus albis, de diluviis, & omnino de rebus ad aquam pertinentibus. 8. Somnus multus & frequens. 9. Torpor corporis ad laborandum. 10. Diæta pituitam multiplicans.

QUÆSTIO XX.

Quænam signa denotent temperamentum melancholicum?

Decem signa temperamenti melancholici recensentur à Physiologis. 1. Habitus corporis tactu frigidus & siccus, durus, macer, gracilis & glaber. 2. Color faciei lividus & fuscus. 3. Saliva pauca & acetosa. 4. Urina subtilis, glauca vel pallida. 5. Pulsus parvus, rarus & durus. 6. Somnia crebra de rebus nigris & terribilibus, videlicet de spectris diabolicis, de inferno, suffocatione colli, capitis amputatione. 7. Tristitia

mult

multa & continua. 8. Timor multus & frequens. 9. Diuturna & stabilis cogitationum actionumque in re aliqua immoratio. 10. Diæta melancholiam multiplicans.

QUÆSTIO XXI.

Quibus signis denotetur temperamentum Hominis cholericum?

SIgna temperamenti cholerici hæc sunt. 1. Habitus corporis tactu calidus, siccus, macilentus, durus & pilosus. 2. Color faciei flavus. 3. Siccitas naturalis oris & linguæ. 4. Sitis naturalis, magna & frequens. 5. Mobilitas & inquietudo corporis. 6. Pulsus durus, velox & frequens. 7. Salivæ amaritudo. 8. Somnia crebra de rebus flavis, de rixis, pugnis, incendiis. 9. Urina subtilis & flava. 10. Diæta flavam bilem multiplicans.

QUÆSTIO XXII.

Ex quibus signis cognosci possit temperamentum Cerebri?

SIgna cerebri calidi sunt. 1. Caliditas & rubedo naturalis in facie. 2. Subitus capillorum in capite exortus. 3. Capilli duri, crispi, ut plurimùm nigri, citòque canescentes.

Signa cerebri frigidi sunt. 1. Frigiditas & albedo naturalis in facie. 2. Tardus capillorum exortus, capilli recti, tenues, & ut plurimùm rufi.

Signa cerebri sicci sunt. 1. Paucitas excrementorum in oculis, auribus, naso & palato. 2. Capilli duri citoque canescentes. 3. Acrimonia sensuum externorum, & somnus rarus atque paucus.

Signa cerebri humidi sunt. 1. Abundantia excrementorum in oculis, auribus, naso & palato. 2. Capilli molles, tardeque canescentes. 3. Hebetudo sensuum externorum. 4. Somnus frequens & multus.

QUÆS-

QUÆSTIO XXIII.

Quænam ſint Signa Phyſiognomica temperamenti cordis?

Signa temperamenti calidi in corde ſunt. 1. Reſpiratio magna & frequens. 2. Pulſus magnus & celer atque frequens. 3. Pectus latum & hirſutum. 4. Alacritas ad agendum. 5. Ira ſubita & præceps.

Signa cordis frigidi ſunt. 1. Reſpiratio parva & rara. 2. Pulſus parvus, tardus & rarus. 3. Pectus anguſtum & glabrum, aut ſaltem tenuibus pilis veſtitum. 4. Torpor ad agendum. 5. Ira tarda & moderata.

Signa cordis ſicci ſunt. 1. Pulſus aſper & durus. 2. Ira diu permanens & implacabilis.

Signa cordis humidi ſunt. 1. Pulſus lævis & mollis. 2. Ira citò tranſiens & placabilis.

DISCURSUS DECIMUS NONUS,

EX GEORGICA.

De Agriculturâ, & rebus cum ea connexis.

PRÆFATIUNCULA.

Georgica (quam Poetarum Princeps Virgilius Maro pulcherrimo Poemate, Imperatores Romanorum veteres labore manuum ſuarum cohoneſtarunt) eſt ſcientia ſive Ars bene colendi agrum, tractans primariò de fundis, ſecundario de requiſitis Agriculturæ.

CAPUT I.

Protheoriæ, ſive Obſervationes præliminares, de rebus ad Agriculturam ſpectantibus.

Prima

Prima.

EAdem ſunt Agriculturæ principia, quæ mundi: nimirum terra, aqua, aër, ſol. Enimverò his tanquam olumnis nititur hæc Ars, è quibus ſi unam tollas, nihil ſt quod ſperet Agricola.

Secunda.

Agricultura, ſive vita ruſtica eſt omnium naturaliſſiıa, antiquiſſima, innocentiſſima, jucundiſſima. *Natuıliſſima,* quia maximè imitatur naturam, eſtq; famula aturæ fideliſſima. *Antiquiſſima,* certè antiquior vitâ rbanâ: quandoquidem ante urbes conſtitutas agrum oluit Adam protoplaſtus noſter. *Innocentiſſima,* ſive erſonas intuearis, quæ ſunt ſimplicitatis & probitatis nantes; ſive quæſtum ipſum conſideres, qui neque periculoſus eſt, neque ſordidus, neque fraudulentus. *Proentus Agriculturæ* (inquit Columella) *ſunt innocentiſſiı.* Ciceronis effatum eſt, omnium rerum, ex quibus aliuid exquiritur, nihil eſſe agriculturâ melius, nihil ubeus, nihil homine libero dignius. *Jucundiſſima,* imò ma- quoddam delectationis & jucunditatis. Quid enim oteſt pratorũ viriditate, pulcherrimis variatâ floſculis, borum tam belle diſpoſitarum ordinibus, vinearum olivetorum ſpecie ad aſpectum fingi pingive jucunus? Quid voluptuoſius, quàm imperare terræ? Quid cundius, quàm greges longo agmine paſcentes ineri? aut favos alvearibus eximere? aut lanam demere ibus? aut fructus autumno carpere? aut vindemiam gere?

Tertia.

Tres ſunt partes Agriculturæ. Prima conſiſtit in ognitione fundi, in quo quatuor conſideranda ſunt: us forma, terræ natura, modus ſeu magnitudo, & tula. Secunda complectitur inſtrumenta ruſtica, ea-

que vocalia, semivocalia & muta. Illa, sunt operarii
ista, boves, equi, canes; hæc, corbes, dolia, funes, ara
trum, & similia. Tertia considerat agenda in prædio.

CAPUT II.

Dictamina Regulativa & præcepta practica Agri culturam concernentia.

Primum.

AGri frumentarii celsiores habere planities, &
quam mollissimè devexi esse; positionemqu
campestrem imitari debent. Vineæ lætiores sunt i
collibus, sylvæ in montibus.

Secundum.

In agricultura commendabilior est locus campe
ster, qui unam in partem totus æquabiliter vergi
quam qui est ad libellam æquus. Talis enim locus, cùn
aquæ non habeat delapsum, uliginosus redditur, maxi
mè, si est inæquabilis. Campum (inquit Columella) no
æquissimâ situm planitie, nec perlibratâ, sed exigu
pronâ: collem clementer & molliter assurgentem: mon
tem non sublimem & asperum, sed nemorosum & her
bidum callidissimi rusticarum rerum maximè proba
verunt. Ita ille.

Tertium.

Forma & ordo in re rustica permagnæ consideratio
nis sunt. Plus certè reddunt arva, & fœcundius re
spondent votis Agricolæ, quæ speciem venustiorē sun
adepta. Quod in arbustis & olivetis pulchrè in ordi
nem consitis, & per modica intervalla discretis, aliisq
similibus intelligere licet. Ex agro igitur æque spatioso
sed non æquè diligenter eleganterque consito, & minu
bonum, & minùs multum vini frumentique colli
potest. Fœcundior omnino est bene culta exiguita
quàm neglecta magnitudo. Minorem videas occu
pa

are locum, quod suo loco est positum, nec alterum lteri à sole & luna tantùm officere. Vites quoque & rbores si per ordines satæ sint, æqualiter cœlesti lunine solis ac lunæ perfusum iri, indeque celeriorem ore coctionem fructuum, uberiorem copiam, granliorem redigi posse pecuniam, indubitatum est.

Quartum.

Imbecilliorem agrum, quàm agricolam esse oportet: quia cùm sit colluctandũ cum eo, si fundus prævaleat, uccumbere dominum necesse est. Extra controveriam est, minus fructuum reddere amplum agrum non ectè cultum, quàm angustum eximiè cultum. Non gnoravit hoc Maro, qui cecinit: *Laudato ingentia rura, exiguum colito.*

Quintum.

Ager alternis annis aut planè sine semine relinquenlus, aut paulò levioribus sationibus conserendus est, d est, quæ minùs sugant terram.

Sextum.

Graciles clivi non sunt æstate arandi, sed circa Kaendas Septemb. Quoniam si ante hoc tempus proscinlitur effœta & sine succo humus, æstivo sole peruritur, nullasque virium reliquias habet.

Septimum.

Stercus omne, quod tempestivè repositu manno quieverit, segetibus est maximè utile. Nam & vires adhuc solidas habet, & vermes non creat.

Octavum.

Sicut refrigescit ager, qui non stercoratur: sic peruritur, si nimiùm stercoratur: magisque conducit agricolæ frequens, quàm immodica stercoratio.

Nonum.

Quandocunque arabitur, observandum est, ne lutosus ager tractetur, neve exiguis nimbis semimadidus:

quod tunc potissimùm accidit, quando post longas sic-
citates levis pluvia superiorem partem glebarum ma-
defecit, inferiorem non attigit.

Decimum.

Semina plus quàm annicula esse non debent, ne
vetustate corrupta non prodeant.

Undecimum.

Omnia quæ feruntur, crescente Lunâ & diebus tepi-
dis sunt serenda. Nam tepor evocat, frigus includit.

Duodecimum.

Spissa, cretosa & humida terra far & triticum bene
nutrit: hordeum agro delectatur sicco & soluto; in lu-
toso sparsum emoritur.

Decimum Tertium.

In demisso, humili cavoque loco, vel in convallibus
non est construenda villa; quia hujusmodi ædificiis tum
effusiùs de cœlo prorupti imbres, tum flumina super ri-
pas excrescentia, & per apertos campos procurrentia,
tum repentini torrentium affluxus gravissimum detri-
mentum afferre solent.

Decimum Quartum.

Pro constructione villæ deligendus est locus subli-
mior, qui & toto die feriatur ac illustretur à sole, atque
insuper etiam ventis perfletur: quibus flatibus, si quid
noxium illatum fuerit, discutietur.

Decimum Quintum.

Villæ frons ab infesto regionis vento aversa, & ad
flatus eorum ventorum, qui saluberrimi judicabuntur,
conversa sit.

Decimum Sextum.

Ne in palustribus ædificatio villæ suscipiatur: neve
ad paludes; quia æstate noxium virus eructant, & ani-
malia quædam pusilla progenerant, quæ aciem oculo-
rum

um nostrorum effugiunt, sed ubi in corpus nostrum
um spiritu attracta, per os perque nares sese insinua-
erint, difficilibus ad curandum morbis dant initium.
ed & alia infestis armata aculeis, densisque examini-
us in nos involantia animalcula, natrices quoque &
erpentes ibidem enascuntur. Adhæc instrumenta ru-
tica, & conditi inconditique fructus, hujusmodi lo-
orum situ atque humore corrumpuntur.

Decimum Septimum.

Villa in locis æstuosis spectare debet septentriones
inquit Plinius) meridiem in frigidis, exortum æqui-
octialem in temperatis. Enimverò ad exortus æqui-
octiales aptissimè villa collocabitur; quia sic inum-
rabitur æstate, irradiabitur hyeme.

Decimum Octavum.

Culinam villæ præcipiunt altam fieri, ne sit contigna-
ioni metuendum incendium. Amplam quoque Colu-
nella desiderat, ut in ea hyeme antelucanis tempori-
us cibus parari & capi, resque aliæ necessariæ confici
ossint.

Decimum Nonum.

Aquam villa aut intra seipsam natam, aut foris è pe-
enni fonte inductam, aut saltem maximè propinquam
abeat putealem, quæ nec haustûs sit profundi, nec sa-
oris aut amari aut salsi.

Vigesimum.

Stabula ita construantur, ut nec frigore, nec calore
exetur pecus. Illud quoque provideatur in exstru-
ndis stabulis, ne quis humor illabatur: & si quis illap-
us fuerit, celerrimè elabatur: quò nec parietum funda-
nenta exedi, nec pecudum ungulas corrumpi contin-
at. Porrò latitudo bubilis pedes habeat decem, novem
ninimùm, ut & bestiæ commodiùs procumbant, &
ugarius faciliùs circumeat.

Vigeſimum Primum.

Quæ humida ſunt, ut vinum, oleum &c. in plan
aſſervanda: quæ ſicca, ut frumentum, fœnum, fronde
paleæ & reliqua pabula, tabulatis committenda ſunt.

Vigeſimum Secundum.

Granaria conſtruantur, quæ per anguſtiores fen
ſtellas Aquilonibus inſpirentur; quia cùm talis cœli p
ſitio ſit frigida inprimis, & nequaquam humida,
conſervationem reconditarum frugum magnope
conducet.

Vigeſimum Tertium.

Cellæ vinariæ à balneis, ciſternis, ſterquilinio & al
immunditiis procul diſtent; nam rerum iſtarum exh
lationes humidæ vino perniciem creant.

Vigeſimum Quartum.

Ad Agriculturam villaticam inter alia requirun
piſcinæ minimùm duæ. Altera, quâ utantur anſe
& pecudes: altera, ubi lupinum, virgæ, vimina, &
macerata, atque in aquam demiſſa, uſibus noſtris
portuniùs inſerviant. Sterquilinia item bina neceſſ
ſunt: unum, quo nova purgamenta conferantur ela
villa, & in annum conſerventur: alterum, ex quo
vetuſteſcentia, beneq; putria vectanda petantur. Po
ambo ſterquilinia piſcinarum more erunt devexa
clivo, & exſtructo pavitoque ſolo, ut humorem tra
mittat.

Vigeſimum Quintum.

Villicus conſtituatur, qui ſit ætate viridi ſeu me
ab anno triceſimo uſque in ſexageſimum; qui boni
certis viribusque corporis polleat; qui non à ſubje
quid, quove modo faciendum ſit, diſcat: ſed eos
doceat, tanquam Magiſter diſcipulos, non verbis
tùm, ſed etiam exemplis; qui à villâ raro diſcedat

ab

bſentia ceſſationis delictorumve occaſionem familiæ ræbeat, cujus imperia nec remiſſa ſint ac diſſoluta, neue etiam inhumana atque crudelia; qui ſomni vinique arciſſimus ſit; quoniam utrumq; eſt ingens diligentiæ npedimentum; ebrioſo cura officii cum memoria pereit, & ſomniculoſo plurima effugiunt; qui denique à enereis cupiditatibus ſit alienus; his enim ſi ſe permi- erit; non aliud, quam quod amat, cogitabit.

Vigeſimum Sextum.

Si quem operarium in munere ſuo impigrum aſſiluumq; notaverit villicus, eum feriis ſuâ mensâ dignaitur. Similiter cum Operariorum præſtantiſſimis, quæ acienda ſunt opera, communicabit. Sic enim aliquo oco & numero ſe haberi cùm arbitrentur, accuratiùs ſuo in officio verſabuntur. Eodem pertinet, ut eos aut cibariis, aut amictu, aut remiſſione operis, aut aliqua demum conceſſione liberaliùs tractet.

Vigeſimum Septimum.

Opera ſuorum Villicus frequentiſſimè inſpiciat, eaque exigat. Nulla enim (ut Catoni placet) major vel nequiſſimi hominis cuſtodia eſt, quàm operis exactio.

Vigeſimum Octavum.

Duplicia Villicus habeat inſtrumenta ruſtica; ne, ſi quid in opere vitiatum fuerit, à vicino mutuum ſumere compellatur.

Vigeſimum Nonum.

Ut in urbe Dominus, ſic ruri Villicus ſupellectilem ruſticam omnem ſcriptam, & ſuo quæque loco poſita habeat.

Trigeſimum.

Periti Villici monent, ſerendas eſſe circum fines prædii arbores, quæ familias litibus de limitibus prohibeant, quæ ſimul ſepem ſuſtentent, frondem ovibus

bus ministrent, virgas foco sepimentisque præbeant.

Trigesimum Primum.

Si steterit ad limitem prædii tui quercetum, fac tibi non erit secundùm eam sylvam serere oleam. Tam enim sunt naturæ contrariæ, ut non solùm minùs ferant, sed etiam fugiant, & introrsum in fundum se reclinent. Ut verò quercus, sic & juglandes magnæ & crebræ, si finitimæ sint, fundi oram reddunt sterilem.

Trigesimum Secundum.

Boves rudes subjungendi aratrò non minores trimis, nec majores quadrimis. Validi illi sint, & inter se viribus respondeant: sin minus, firmior imbecilliorem in opere conficiet. Minutatim assuefaciendi sunt ad jugum, & tyro veteranis adjungendus, quia minore negotio domabitur imitando. Ac priùs quidem ducantur hujusmodi tyrones in plano citra aratrum, pòst cum aratro, sed levi, & per arenam, aut molliorem terram. Vecturæ si assuefiant, initio inania plaustra trahant.

Trigesimum Tertium.

Varro tempus annale dividit in octo intervalla, quæ Agricolis sunt observanda. *Primum* intervallum est inter Favonium (Favonii autem incipiunt flare sexto Idus Februarii, Sole vigesimam quartam Aquarii partem obtinente) & Æquinoctium vernum, dierum 42. quo tempore semina omnis generis seri oportet, radices in summa terra præcidi, prata purgari, salicta seri, terram aratro proscindi. *Secundum* est inter vernum æquinoctium, (quod incidit in Martium, in diem Gregorio vicinum) & Vergiliarum exortum, dierum 45. quo tempore segetes runcari, herbam è segetibus expurgari, salicem cædi, prata defendi oportet. *Tertium* est inter Vergiliarum exortum & solstitium, dierum 48. quo tempore vineas novellas fodere, vites pampinare,

fœ-

fœnum secare oportet. *Quartum* intervallum est inter solstitium & Caniculam, dierum 29. quo tempore messem faciunt, quòd frumentum dicant quindecim diebus esse in vaginis, quindecim florere, quindecim exarescere. *Quintum* est inter Caniculam & Æquinoctium autumnale, dierum 67. quo intervallo oportet stramenta desecari, acervos construi, aratro effringi, prata irrigua iterum secari. *Sextum* intervallum est ab æquinoctio autumnali usque ad Vergiliarum occasum, dierum 32. quo serere oportet, & facere vindemiam. *Septimum* est inter Vergiliarum occasum & Brumam, dierum 57. quo tempore oportet novas fossas fodere, vineas arbustumque putare. *Octavum* intervallum est inter Brumam & Favonium, dierum 45. quo tempore aqua de segetibus deducenda, vineæ arbustaque putanda, & quæ sub tecto fieri possunt, conficienda sunt.

DISCURSUS VIGESIMUS EX PHYTURGICA.

De Culturâ Horti & Vineæ.

PRÆFATIUNCULA.

PHyturgica est Ars sive Scientia, agens de iis, quæ ad hortorum vinearumq́; curam & culturam pertinent. Ex qua duplex in vitam humanam redundat bonum : Utile *&* Delectabile. *Quorum alterum ad vitæ sustentationem, alterum ad vitæ jucunditatem refertur.*

SECTIO I. DE RE HORTENSI.

1. Requisita Terræ hortensis.

BOnus hortus bonam requirit terram; cujusmodi non est macra, arida, arenosa: ex hac enim prodeunt fructus parvi & macri.

Terram hortensem seu hortis idoneam oportet esse pinguem & colore fusco præditam. Ad quam comparandam, præter nativam indolem (quæ in hoc puncto est primariæ considerationis) conducet remotio lapidum, tribulorum & zizaniorum: item fimus, fossio, aratio, occatio, &c.

Terra hortensis sit temperatæ ubertatis, & culturæ facilis, quæ nec sit admodum madida, nec sitiens.

Signum bonæ terræ hortensis est, si eam recenter effossam aves quærant, maximè corvi, fossoris vestigia comitantes.

Terra, quæ manu ac digitis contrectata, deprehenditur valde glutinosa & tenax instar ceræ, prorsus inutilis esse censetur.

Si terra fuerit nimis dura & tenax, corrigitur 1. si arena cum bono fimo illi admisceatur. 2. Si uno anno, antequam alia semina ei committantur, implantetur brassica, hæc enim terram reddit friabilem & ad alios fructus idoneam.

2. Bonus fimus horto necessarius.

Fimus optimus censetur asininus, huic proximus est ovillus, quem sequitur vaccinus, gallinaceus, columbinus. Fimus equinus immoderatè, reliqui moderatè & temperatè calidi sunt. Non oberit tamen, si ad duos tresve pedes sub horti areolis fimus equinus positus fuerit. Fimus anserinus minimè probatur.

Fimus recens non congruit hortis, nisi aliquamdiu fuerit gelu & frigori expositus. Qui unius anni est, ab hortulanis commendatur.

Mense Januario stercorandi sunt horti; sic enim terra impinguatur, redditurque ferax & fœcunda. Apponitur etiam hoc mense fimus fructiferarum arborum radicibus: quod ad promovendam earum fœcunditatem deservit.

3. *De Fossione terræ hortensis.*

ANtequam formetur hortus, terra ejus triplici fossione ad seminationem plantationemq; præparanda est. Ac primum quidem ejiciendi sunt lapides cum loliis, ac deinde terra fodienda, & fimo, qui ex vaccino & equino sit mixtus, stercoranda, sicque per medium annum relinquenda est. Postea repetitur fossio & aratio, fimusque cum terra permiscetur. Porrò circa fimum seu stercorationem notandum est, eam vento ab occasu æquinoctiali spirante, lunàque decrescente ac sicca, peragendam esse. Nam hujusmodi observatione mirum in modum augetur ubertas. *Plinius.*

4. *Hortus vivâ sepe communiendus.*

SEpimentum est horti munimentum; quod potest esse vel saxeum, seu murus, vel virgulteum, vivum, ex rubis & paliuris structile, ad arcendos non modò fures, sed etiam ventos urentes & siccos hortis perniciosos. Conficitur autem sepes viva in hunc modum.

Opportuno tempore colligitò rubi ac paliuri semina maturissima: adhæc fructus acanthi, & cum ervi farina in aqua ad mellis crassitudinem omnia macerato, eaque mixturâ puteales, vel nauticos, aut alios veteres, detritos, jamque putrescentes funes imbuito, & ita inducito, ut intra illorum fibras & capillamenta recepta semina servari possint, usque ad verni temporis initium. Quo tempore, eo loco, ubi sepes futura erit, duos sulcos, à se duobus tribusve pedibus sejunctos, sesquipedali altitudine formato, prædictosque funes cum impressis seminibus levi terra obruito, &, si opus fuerit, identidem irrigato. Ita fiet, ut intra mensem tenella sepes consurgere incipiat.

Alii vivam sepem hoc modo erigunt. Virgas rubi crassiores in segmenta & particulas proscindunt, easq; scro-

ſcrobibus palmari altitudine apertis ſedulò obruunt, ac quotidie, donec germen erumpat, & frondere conſpiciatur, foſſione ac rigatione, ſi tempus invitet, nutriunt ac refocillant: atque ita ſepem validam, tutam ac perennem conſtruunt. *Democritus*, *Columella*, *&c.*

Mizaldus hunc vivæ ſepis conſtruendæ modum tradit. Si plura diverſi generis ſemina ceræ, vel tenaci cuipiam materiæ in longitudinem tenuiter protenſæ incluſeris, eaque ſolo optimè ſtercorato ac ſubacto commiſeris, mirabilis ſepes (verba ſunt Mizaldi) ex ea congerie pullulabit. Eſt hoc Regii olitoris artificium & experimentum.

5. *Ut hortus vireſcat, & floridus fiat.*

OPortet ante omnia elapidatum eſſe horti ſolum, & quàm minimè rimoſum, ne ſol penetrans plantarum radices exurat. Vireſcet autem & floreſcet hortus, ſi fœno græco in aqua trito ſulcos irroraveris.

6. *Hortus quando & quomodo ſeminandus.*

ALiqui opinantur, nec in horto, nec in agro ſeminandum eſſe, antequam terra pluviis permaduerit. Quæ ſi tempeſtivè & oportunè deſcendant, non improbo. Si autem (ut nonnunquam accidit) feræ fuerint pluviæ, quantumvis ſitienti horto vel agro ſemen committi poterit, ex Columellæ ſententia. Quæ res in quibusdam provinciis, ubi cœli ſtatus talis eſt, uſurpari ſolet. Nam quod ſicco ſolo ingeſtum eſt, perinde ac ſi eſſet domi repoſitum, non corrumpitur. Accedentibus poſtea imbribus multorum dierum ſementis uno die ſurgit: ſed ab avibus & formicis interim periclitatur, niſi ante ſationem ei ſuccurratur illâ induſtria, quam infra declarabo.

Danda inſuper eſt opera, ut hortus vel ager, qui vere con-

conſeri debet, ſub finem autumni ante gelicidia paſtinetur.

Ut verò ſemina ſerventur à conculcatione immunia, horti areæ ita formandæ ſunt, ut runcantium manus ad dimidiam latitudinis partem facilè pervenire poſſint; ne, dum herbas inutiles extrahere nititur, ſemina pedibus interim conculcet hortulanus.

Illud magnopere providendum eſt, ut ſationi ſerenitas, aërïſque clementia ſuccedat. Nam favente cœlo, tepente terrâ & à ſole illuſtratâ, citiſſimè prorumpunt ac pullulant ſemina: quibus ætas etiam nonnihil conferre ſolet. Quapropter cavendum eſt, ne vetuſta, exuſta, miſta, emaciata, languida aut adulterina ſint ſemina. Quæ, dum terræ mandantur, boreales dies ac valde frigidi vitabuntur. Tunc enim terra horridula veluti, & occluſa ægrè, ſerenis verò, temperateque calidis diebus facilè recipit ac fovet ſemina.

Sunt apud Græcos rei Georgicæ ſcriptores, qui ſementem augeſcente Luna, à quarta ſcilicet uſque ad plenam facere conſulant, dum illa ſub terra latitat. Alii ſecuriorem ineuntes viam, ſationem præcocem non probant: quare in duo, tria, quatuorve tempora illam partiuntur: futuri temporis incertitudinem hoc modo vitare cupientes, & ruſticanum Columellæ adagium in memoriam revocantes: *Serere ne dubites.*

Concludo hanc de ſeminatione doctrinam compendioſo hortulanorum monito: *Seminaturus habeat quatuor: proba ſemina, terram aptam, fimum bonum, aquam promptam.* Nam *bona ſemina*, quæ inde generabuntur, ſimilia efficient. *Terra apta* ſibi concredita optimè ſervabit, ac fœcundabit. *Fimus bonus* ſucculentiorem reddet terram & laxiorem, ut aquam faciliùs admittere poſſit, quæ radicibus impertiatur. *Aqua prom-*

prompta quaſi ex ubere omnia alet ac fovebit. *Mizaldus.*

7. *Ne ſemina terræ commiſſa lædantur ab Avibus &c.*

SI ſemina terræ mandanda ſucco ſempervivi paulò ante ſationem madefacta fuerint, ab avibus, formicis, agreſtibus muribus, aliisque ſimilibus hortorum prædonibus, non ſolum illæſa ſervabuntur, ſed etiam ea, quæ inde naſcentur, præſtantiora evadent.

8. *De irrigatione horti.*

IRrigatio horti, quæ ſolibus æſtivis, & maximè circa exortum caniculæ fit, ſummopere ſolet prodeſſe, ac probari horis matutinis ac veſpertinis, ne à Sole infervefcat aqua, & radices adurat. Sed ne tum quidem nimiæ debent eſſe rigationes, quoniam inebriatis radicibus nocent. Pro quibus non haurienda eſt aqua putei altiſſimi, ne nimiâ frigiditate, & cruditate radices percellat. Quod ſi alia præſtò non fuerit, horis aliquot ante haurienda erit, & ſub dio exponenda, ut tepeſcat. Rigationis modum ſtirpium ætas temperabit. Novellæ enim plantæ minùs ſitiunt, & quæ aſuevêre, ſummè rigari deſiderant.

9. *Vt Olera, aliæq; hortenſes herbæ à Pulicibus non lædantur.*

OLera aliæq; hortenſes herbæ à pulicibus non corrodentur, ſi earum ſeminibus parum ervi in ſeminando admiſcueris. Alii erucam ſimul ſerentes au[t] plantantes (præſertim cum braſſicis, quæ magis à pulicibus infeſtantur) eundem ſe conſecuturos effectum[.] *Anatolius.* Quam doctrinam confirmans Theophraſtus, aſſerit ab agreſtibus pulicibus plurimùm infeſtari raphanos: ne verò ab illis lædantur, oportere ervum interſerere.

10. Ut hortenſes raphani dulceſcant.

SI raphanos dulces habere cupis, ſemina mulſo, vel paſſarum uvarum ſucco, aut ſaccharatâ aquâ biduo præmacerare oportet, & ſiccata terræ committere. *Florentinus.*

11. Modus efficiendi, ut allium, quod in horto plantatur, tetro odore careat.

SI allium terræ committatur, & ex eadem eruatur, Luna ſub horizonte latente, tetrum exuet odorem & comedentis halitum nequaquam vitiabit. *Palladius.* Alii ſibi perſuadent, tædium halitûs à manducatis alliis conciliatum aboleri, ſi cruda faba illis ſuperedatur.

12. Ne herbæ hortenſes lædantur ab erucis.

AD pellendas erucas, aliqui hortulani, olerum ſemina, antequam ſeminent, lixivio cineris ficulnei imponunt, in eoque macerant. Alii utuntur urina & amurca ex æquo mixtis, & igne fervefactis, ac deinde refrigeratis, & ſic oleribus adſperſis. Alii erucas accipiunt, eaſque in aqua cum anetho coquunt, & refrigeratam aquam, in qua coctæ ſunt, oleribus adſpergunt. Alii bitumine & ſulphure vivo olera ſuffumigant.

13. Modus Olera vel conſervandi, vel, ſi libuerit, perdendi.

OMnia Olera in univerſum juvantur & conſervantur, ſi eruca (genus herbæ) juxta ipſa conſeratur. E contrario olera diſperduntur, ſi excrementa anſerina muria diſſoluta oleribus aſpergantur.

14. Plantæ ut majores evadant.

GEneraliter loquendo, ſemina illa, quæ terræ mandantur Luna creſcente, plantas generant robuſtiores & inſipidiores: è contrario autem ſemina Luna de-

decreſcente ſata producunt plantas tenuiores & acriores. Hinc rarò fructus, radices & herbæ mole grandes odore & ſapore præſtant. *Cardān. de variet. rerum.*

15. Plantæ ſteriles quomodo fructiferæ reddantur.

SI omnino ſterilis planta ſit, conſulit Ariſtoteles, ut diviſa radice lapis ei immittatur. Idem ſentit *Weckerus de ſecret. lib. 9.*

16. Ut Vermes à plantis hortenſibus arceantur.

SI vermibus laborent plantæ, æneo clavo purgentur; æs enim (inquit *Cardan. de rerum varietate*) amarorem firmum in planta relinquit, vermibus, qui dulci aluntur, inimicum. Quam ob cauſam aliqui fel bubulum plantæ radicibus inſpergunt: quod etiam, (utpote amariſſimum) ad vermes arcendos idoneum eſt.

17. Ut hortenſes Aſparagi in magna copia proveniant.

SI velis ut Aſparagi copiosè proveniant, arietum ſylveſtrium cornua (utor verbis Weckeri *lib. 9. de Secretis*) tenuiſſimè contuſa ſulcis committito, & rigato.

18. De procurandis Fructibus præcocibus.

UT fructus habeas pręcoces, irriga ſæpe calida aqua, Soli expone, ſtercore columbino equinoq; fove, aut calce, quæ illam admittunt, ut ceraſa, ac demum inutiles ramos, & quæcunque alia inutilia ſenſim præcide. *Cardanus.*

19. Ut Fructus producantur ſuaviores.

SEmina vel grana per triduum mulſo, lacte ovillo, vel aqua, in qua ſaccharum eliquaveris (quod veteres præſtare exiſtimarunt) ſunt maceranda, & inſolata terræ committenda, ſicque majorem fructus ſuavitatem contrahent. *Joann. Baptiſta Porta ex Florentino.*

20. Ut

20. Ut Fructus producantur exosses & enucleati.

EOrum, qui selecta agriculturæ præcepta tradidêre, opinio est, si in serendis surculis, vel vivis radicibus, medullam auriscalpio, vel osseo abstuleris cultro, fore, ut fructus prodeant exosses, & ligneis nucleorum putaminibus destituti, propterea quòd medulla sit altrix ac parens osseæ substantiæ. Alii verò huic refragantur opinioni. Omnis enim, inquiunt, arbor, cui medulla subtracta est, exarescit penitus, animaq; vegetante privatur, ut nullos fructus, sive osseos, sive exosses producere possit. Medulla namque est pars arboris maximè vitalis, & vivifico plena humore, quam non immeritò arboris animam appellaveris; per quam, veluti per syphonem quendam, alimentum attrahitur, ac per omnes arboris partes distribuitur.

21. Ut melones producantur dulces & odorati.

MElones Rosarum fragrantiam spirare facies, si semen illorum juxta rosas aridas posueris, & mixtim plantaveris. Dulces verò efficies, si eorundem semen lacte & melle maceraveris, & refrigeratum seminaveris. *Florentinus*.

22. Praxes in plantandis, & transplantandis arboribus observandæ.

ARbores iis intervallis plantandæ sunt, ut cùm creverint, spatium habeant, quo ramos extendant. Nam si spissè ac densè plantaveris, nec infra serere quid poteris, nec ipsæ fructuosæ erunt.

Dum arbores transferre volueris, antequam id aggrediaris, sedulò tibi notandum erit, quibus ventis expositæ erant, ut simili situ illas componas & implantes. Quod dum facis, in imum usque scrobem sarmentorum fasciculos crassitudine brachii oportet demittere, ita ut supra terram paululùm extent Nam æstate par-

vo labore aquam radicibus per illos ſubminiſtrare po-
teris. Sed optimum erit uno anno antequam plan-
tare voles, ſcrobem fodere, ut terra ſole & pluviis op-
portunè maceretur, & quod implantatum eſt, citò
comprehendat. Quòd ſi eodem anno & ſcrobem face-
re, & arbores ſerere voles, duobus minimùm menſibus
antè ſcrobem fodies, poſtea ſtramentis incenſis calefa-
cies. Quem ſi latiorem patentioremq; feceris, lætiores
uberioresq; fructus percipies. Scrobem verò clibano
ſimilem aperies: cujus imum ſummo patentius ſit, ut
laxiùs radices vagentur, ac minus frigoris hyeme, mi-
nuſq; æſtate calidi vaporis per os anguſtum penetret.

Generatim autem ſic arbuſculas & arbores diſpones,
ne imbecillior à valentiore prematur: quia nec viri-
bus, nec magnitudine par eſſe poteſt, imparique tem-
poris ſpatio adoleſcit.

Porrò ſummè cavendum eſt, ne poſt rigidas tempe-
ſtates, & violentas cœli injurias, arbores ferro vulneres
vel amputes, præſertim, quæ fructiferæ ſunt. Caven-
dum præterea, ne una arbor alterius ſtillicidium quati-
ente vento excipiat, præſertim, ſi diverſi fuerint gene-
ris. Danda quoque eſt opera, ne æſtate radices con-
tra ſolem nudentur, aut ab eo feriantur, & ne hominis
manu cacumina duriter tractentur, aut à pecoribus
prærodantur: nam deinceps capere incrementum ne-
queunt, maximè ſi tenellæ fuerint.

Arbuſculæ omnes priuſquam transferantur, rubricâ
ſunt notandæ; ut cum ponentur, easdem cœli partes
reſpiciant, quas in ſuo ſeminario reſpiciebant: alioqui
frigore vel calore lædentur ab iis partibus, quas præter
conſuetudinem, ſub alio tractu expoſitas habuerint.
Itaque in translatis arboribus plaga cœli ſimilis retinen-
da eſt, ne partes Aquilonares meridianis oppoſitæ ſoli-
bus findantur, aut algeant meridianæ aquilonibus ob-
verſæ.

Quod

Quod attinet ad ætatem arboris tranſplantandæ, plerique arborem nec minorem bimâ, nec majorem trimâ transferri præcipiunt.

Proderit plurimùm arboribus, ſi radicibus terræ, in qua vixerint, cohæreant; ita ut totæ radices ceſpite circumligentur.

Rigari denique debent arbores transplantatæ, quotiescunque cœlum negaverit pluviam, & ingens æſtus perſeveraverit, ſic enim fructus evadent majores ac vegetiores. *Mizald. ex Columel. Caton. & Plinio. atq; ex his Weck. lib. 9. de ſecret.*

Transplantaturus arborem, radicem illius aquæ imponat, in eâque decem vel duodecim diebus relinquat; ſic enim citiùs in terra firmiuſque radicabitur.

Radices arborum quæ plantantur, probè à ſordibus purgandæ, parteſque confractæ reſecandæ ſunt.

A feſto Omnium Sanctorum uſque ad Martium utiliter arbores plantantur & transplantantur.

Lunâ creſcente, & quidem in prima ejus lunatione ſeu quadrante, expedit arbores plantare & transplantare.

Arbores plantatæ in Novilunio, in magnos quidem se ramos diffundunt, at ſerò producunt fructus.

Arbores Lunâ decreſcente plantatæ copioſos producunt fructus: & quo tardior erit plantatio in decremento Lunæ, eò præcociores erunt ejus flores & fructus.

Conſultum eſt, arbores juvenculas tempore verno, adultas verò in autumno, videlicet in Octobri, Novembri & Decembri transplantare; nam hoc tempore ſuccus vigorque plantarum radicibus immittitur.

Dum plantatur arbor, fiat ſcrobs amplus, & ad capiendas radices capax: quæ ſi nimis longæ fuerint, decurtentur; ſic enim ſuccum terræ meliùs attrahent, fiuntque fœcundæ.

Tiliæ, aliæque majores arbores 30. vel 35. pedibus à se invicem distare debent: pruni verò, aliæque arbores fructus osseos habentes 24. pedibus, cerasi 10. vel 12. ficus, avellanæ, pomique cydoneæ 8. plus minus.

Non est plantanda arbor in eo loco, in quo aliqua exaruit; exarescent enim etiam sequentes, nisi terra vetus inde effossa, & loco ejus recens ac pinguis posita fuerit.

In plantatione arboris radix non nimis profundè inserenda est terræ, nec altiùs, quàm dimidio pede terrâ cooperienda.

Terra circa radicem plantatæ arboris ne plus æquo assurgat, sed potiùs relinquatur aliqua inferiorem partem trunci concavitas, seu circularis fossula, ad recipiendam aquam pluvialem, vel aliam, cùm arbor tempore siccitatis irriganda est.

At tempore hyberno exaggeranda est circa radices terra, ne à frigore lædantur. In quem finem etiam muscus arbori appositus conducet.

In transplantatione arboris radices terrâ nigrâ & bonâ tegendæ, & super eam, bene priùs conculcatam, una atque altera palea fimi ponenda.

23. *De arcenda ab Arboribus pruina & rubigine.*

SI instanti & prævisæ rubigini ac pruinæ obviàm ire voles, paleas multas, aut horti vel agri effulsas herbas, frutices & spineta, pluribus locis combures: maxime quâ parte ventus spirat; sic enim impendens malum averti scribit Diophanes. Quòd si pruina anticipaverit, damnum hoc modo resarciri posse, tradit Bericius. Cucumerum sylvestrium, aut colocynthidis radices vel folia contunde, & aquâ macera, eaque ante solis exortum, quas pruina vitiaverit arbores, irrora ac resperge.

Idem

dem aſſequêris ficulneo aut quercino cinere, aqua in-
ſuſo, & quo dictum eſt modo, aſperſo. Proderit quo-
que, teſte Apulejo, ramos lauri multos per hortum, vel
agrum defigere, ac plantare; nam in illos pruinæ ac ru-
biginis noxa omnis convertitur. *Mizald.*

24. *Ut Arbores citò creſcant, & eæ quæ feraces ſunt, reddantur meliores.*

SI voles, ut arbores citò creſcant, ſingulis menſibus circùm eas, quas ſeveris, fodito, donec trimæ erunt. Ut autem arbores feraces reddantur feraciores ac meliores, amurcam cum aquâ commixtam circùm eas fundito. *Cato.*

25. *Medicina arboris ægrotantis.*

QUòd ſi ægra fuerit arbor quæcunque, illius radicibus affundi debet aqua cum amurca æqualiter commixta. Summum item præſidium eſſe ajunt fæces vini, aut aquam lupini decocti circumfundere, vel lupinum ipſum circa radices ſerere. *Didimus & Plinius.*

26. *Medicina Arboris emaciatæ & langueſcentis.*

SI emaciata fuerit arbor & languida, juvabitur, ſi radices circumfoſſas, itemque truncum, veteri urinâ humanâ, eâq; virili, vel pecorum lotio imbueris. *Paxamus.*

27. *Medicina præſervativa, ne Arbor fiat vitioſa.*

ILlæſam, & à vitiis arboreis immunem habebis arborem quamcunque, ſi bubulo vel taurino felle radices illius perfuderis, aut fabarum, vel aliorum leguminum paleis circumpoſitis, aceribuſve frumenti reſperſis, eaſdem radices veſtiveris, atque regeſtâ terrâ adjuveris. *Mizaldus.*

28. *Ne Arbor impetatur ab Avibus.*

ARbor ab alitibus non impetitur, quæ alliorum fasciculum suspensum habet, aut falce putatoria allio perlitâ, expurgata est. *Democritus.*

29. *Medicina Arboris infrugiferæ.*

SI florum largo proventu luxuriando, nullum ferat arbor fructum, querno vel fagineo palo radicum foramini impacto, & terra occultato, fœcundabitur. Prosunt & fabaceæ paleæ trunco radicis circumjectæ, ut scripsit Zoroaster. Columella verò arborem præcipit terebrare, & in foramen viridem oleastri taleam dimitti: nam ita arbor velut inita, fœcundo semine fertilior evadet. M. Cato amurcam æquis partibus cum aqua permiscendam censet, atque arbori circumfundendam. Quæ si maxima erit, commisti amphora una sufficiet: sin minor, servatâ proportione fundendum erit. Africanus portulacam & tithymalum probè contusa & mixta, arborum truncis illinebat, ut fœcundiores adolescerent, hisce columbinum fimum nonnunquam addebat. *Mizaldus.*

30. *Medicina Arboris defluos fructus habentis.*

ARbore fructus defluos habente, nec retinere potente, Sotion inter Græcos hortulanus diligens ac peritus, lolium, quod zizaniorum nomine venit, cum radicibus evulsum in coronæ figuram efformabat, & arboris trunco circumdabat, aut plumbeâ coronâ amplexabatur. Præterea radicem ablaqueabat, eamq; perforabat, & cuneum ex corno immittebat, terrâ circumaggestâ. Quidam nudatas radices aliquot crassiores ac majores findunt, & fissuræ silicis fragmentum immittunt, deinde ligant, & accumulatâ terrâ rursus operiunt. Palladius rubricâ, aut amurçâ insulsâ aqua commixta arborem illinit.

31. *Me-*

31. *Medicina Arboris, deciduos Flores vel folia habentis.*

ARboribus, si flores aut folia decidant, hunc in modum auxiliaberis. Circumfossis radicibus, alearum fabacearum, aqua temperatarum & maceratarum mensuram, magnam magnæ arbori, parvam parvæ circumpones, & ita defluvio laborantem curabis. *Mizaldus.*

32. *Medicina Arboris verminosæ.*

SI à vermibus infestetur arbor, sic illam defendes. Terram lemniam, quam sigillatam vocant, & origanum cum aqua tere, eoque miscellaneo humore radices illine, aut scyllam in circuitu planta. Si verò piceos paxillos circa arborem defixeris, tabescent vermes ac decident. A quibus etiam excrementa suilla vino diluta illæsam servabunt arborem: modò illud circa arborem frequenter injiciatur; quod etiam præstare potest columbinum stercus, nudatis radicibus circumpositum: uti & fel taurinum iisdem frequenter ingestum; sic enim neque citò senescet arbor, neque vermes facilè producet. Palladius veteris vini fæces per triduum affundit. *Antonius Mizaldus.*

Malus omnium maximè vermiculationem sentit, hoc est, vermium erosionem. A quibus immunis erit, si scylla circumposita fuerit. Quòd si eos hæreditarios habuerit, felle bubulo, vel suillo stercore misto humanæ urinæ, & radicibus affuso extinguentur. Si verò negotium adhibere perrexerint, cortex æreo clavo vel scalpro fodicandus, atq; vellicandus, donec mucrone vermes tacti radantur, & deturbentur: sed ulceratum locum bubulo stercore obducere oportebit.

33. Ne Pomus mala caduca, & Pyrus lapidosos fructus progignat.

SI caduca fuerint mala, fissæ radici lapis impactus illa retinebit.

Si lapidosos fructus producit Pyrus, jubent periti hortulani arborem ad imas usq; radices retegi, & quidquid lapidosum invenitur, secerni atque excludi: altera terra cribro excreta, alteriusque loco, stercore addito, reposita: quod summè proderit, si rigare non cessaveris.

34. Ut Pyrus copiosum & dulcem proferat fructum.

PYrus copiosiorem dulcioremque tibi fructum dabit, si trunco proximè radicem terebrato, cuneum ex fago vel quercu, ut scripsit Diophanes, defiges, aut vini fæces nudatis radicibus instillabis.

35. Remedium ægrotantis Arboris cydoniorum.

SI ægra fuerit arbor cydoniorum, amurca æqualiter aquæ permixta, radicibus affundatur. Aut calx viva cum creta & aqua temperetur, arborisq; trunco illinatur.

36. Medicina pruni languidæ & verminosæ, minusq; feracis.

SI languida fuerit prunus, minusque ferax, amurca æqualiter cum aqua temperata radicibus infundi debet, vel bubulum lotium solum, aut humanum, idque vetus, mistum æquis partibus cum aqua. Vel cineres è furno, maximè sarmentorum. *Palladius.* Quòd si à vermibus, aut formicis infestetur prunus, rubrica & pice liquida illinatur.

37. De fimo, humore, & formicis ceraso inimicis.

CErasus fimum horret, qui si radicibus illius admoveatur, degenerat arbor. Sed & humore nimio pu-

putrescit, quo tempore foramen in trunco excavari debet, ut humor educi possit. Si formicas patitur, succum portulacæ licebit affundere, cum aceti media parte mistum, aut fæcibus vini truncum florentis cerasi illinere. *Palladius.*

38. *De præcocitate cerasorum.*

PRæcoces fructus dabit cerasus, si ante florum exortum calx viva radicibus circumponatur, aut aqua calida sæpius infundatur; sed postea parvo temporis tractu inarescit.

39. *Morus ut fiat feracior, & candidos ferat fructus.*

NOnnulli censent arborem mori feraciorem, prorioremque fieri, si forato prorsus trunco, cunei inserantur, hinc terebinthi, inde lentisci. Eadem si populo albæ inseratur, vel inoculetur, candida mora proferet.

40. *Languidæ & tabescentis mali Persicæ remedium.*

MAlus Persica si languida videbitur, veteris vini fæces aqua mixtas oportebit infundere, & frequenti aggestione cumulare, vespertinoque humore juvare, & objectis umbraculis defendere, si ardore solis siccata contabescat. In quam rem etiam proderit serpentis spolium appēdere. Si vermibus infestetur, cinere amurcæ misto extinguentur: vel bovis urina cum tertia parte aceti confusa. Si à pruinis periclitetur, fimus illi apponatur, vel vini fæces cum aqua permixtæ; Vel, quod magis probo, aquà, in qua faba fuerit incocta.

41. *Plantatio arboris amygdalo-persici.*

E Persico arbore decerpe surculum, quem si dulci amygdalæ inserueris, atque inde enatum germen denuò

nuò inſeruetis alteri, idque ter quaterve feceris, habebis arborem, cujus fructus foris perſicum pomum æmulabitur, intus verò dulcem referet amygdalam: ideoque rectè hanc arborem vocaveris amygdalo-perſicum. *Joan. Baptiſt. Porta.*

42. *Medicina verminoſæ meſpili.*

ARbor meſpili in ſenectute ſua crebrò infeſtatur vermibus, iiſque prægrandibus. Purgandi ſunt autem ſtylo æreo; atque amurca, vel humana urina veteri, aut viva calce perfundendi, ſed parciùs, propter arboris noxam. In quam rem plurimùm etiam proderit aqua decocti lupini. *Mizaldus ex Palladio.*

43. *Ne labantur poma meſpili, neve moleſtæ ſint illi formicæ.*

SI labantur poma meſpili, fruſtum de ejus radice præciſum in media trunci parte figatur. Si moleſtæ fuerint formicæ, rubrica cum aceto & cinere temperata necabuntur.

44. *Qua arte effici poſſit, ut amygdalus naturâ ſuâ amaros proferens fructus, progignat dulces?*

THeophraſtus tradit, & ex eo Plinius, ex amaris dulces fieri amygdalas, ſi ſtipite circumfoſſo, & ab ima parte perforato, defluens undique pituita detergatur. Ita etiam præter alios ſenſit Africanus, qui in ſuis Georgicis Græcis hunc in modum ſcribit: Ex amaris dulces fient amygdalæ, ſi circumfoſſo ſtipite quatuor digitis à radice cavernula imprimatur, per quam lacryma quotannis effluat, donec dulceſcat fructus.

45. *Ut amygdalus copioſum producat fructum.*

QUòd ſi amygdalus perſeveraverit folia ferre, fructum verò nullum dare, partem trunci juxta terram forato, vel potiùs radicem, & pinguis tædæ cuneum

neum in foramen transfigito, humanaque urina affusa obruito. Aliqui ferreum palum arbori adigunt, impressoq; foramini querneum inserunt paxillum. *Mizaldus ex Palladio & Theophrasto.*

46. *Adversus pruinam amygdali.*

UBi à pruina metus erit, antequam floreat amygdalus, radices nudentur, & albi lapides minutissimi, arenis commixti, congerantur: atque ubi jam tempus videbitur, ut amygdalus debeat germinare, effossi submoveantur. *Auctor. citati.*

47. *Ut malus poma dulcia, & non caduca proferat.*

SI dulcia desideras mala, excrementa caprina urinâ humanâ dissoluta, cum fæcibus vini veteris, infunde radicibus. Si verò mala fuerint caduca, fissæ radici lapis impactus, illa retinebit.

48. *Ut mala non putrescant.*

SI imputria mala habere velis, felle viridis lacertæ inungatur caudax. Idipsum etiam adversùs formicas remedium erit præstantissimum.

49. *Ut malus & pyrus fructus producant rubicundos.*

MAlus urina rigetur, & rubescet fructus ejus. *Weckerus de secret. lib. 9.*

Pyrus moro insita, rubicunda pyra feret, ut tradit Tarentinus.

Si citri mali, vel pyri surculum rubræ inseramus moro, rubra inde nascentur poma.

50. *Ut mora nascantur alba, & punicorum acini candidi.*

QUi albescentia desiderat mora, morum in albam inserat populum. Si verò & punicorum acinos optes

optes candidos, intentum consequêris si argillæ & cretæ miscueris quartam gypsi partem, totoque triennio hoc genus terræ radicibus insperseris. *Gargil.*

51. Pomus Persica miræ magnitudinis poma producens.

UT poma persica miræ magnitudinis tibi compares (idem est de amygdalis, nucibus & similibus) accipe tres vel quatuor nucleos ex illis, quos ita coaptabis, ut corpus unũ constituere videantur. Hos junctos, & si opus fuerit, colligatos, in vas aliquod terra stercorata plenum immittes, plantabis, ac sepelies: sed ita ut vas illud foramen habeat in operculo, per quod nucleorum germen exire cogatur. Sic fiet, ut nuclei illi in unam coalescant arborem, quæ suo tempore fructus eximiæ magnitudinis ac pulchritudinis progignet. Sunt, qui nucleos non in vas, sed in fistulam aut tubulum terrâ saturatum mittant. Proderit etiam, si diligenter interlegantur persica illa, quæ parva & languida apparebunt, nimiaque ubertate matrem onerant, ut arboris succus ad reliquorum nutrimenta convertatur. *Mizaldus.*

52. Ut mala punica dulcescant.

RAdices arboris circumfodito, & excrementa suilla aggerito, atque terra superingestâ rigato. Alii urina assiduè, caprinoque stercore, & vini veteris fæcibus radices arboris irrigando, dulciorem ejus fructum efficiunt. *Paxanus & Anatolius cum Weckero sup. cit.*

53. Modus procurandi punicorum multitudinem.

PUnicorum multitudo comparabitur, si tithymali & portulacæ succus æqualiter mixtus, trunco arboris antequam germinet, illinatur. *Palladius.*

54. *Mo-*

54. *Modus efficiendi, ut ficus naſcantur præcoces, & purgatoriæ.*

FIcus habebis præcoces ſive ante tempus matureſcentes, ſi excrementa columbina cum pipere & oleo juxta radices poſueris. Purgatoriæ autem, ſive ventrem emollientes erunt ficus, ſi, dum ficum plantas, ad ſummas radices veratrum nigrum contuſum, ſimul cum tithymalo poſueris.

SECTIO II.

DE REBUS AD VINEAM SPECTANTIBUS.

Monitum Primum.

IN vinea ponenda magni refert conſiderare conditionem *Soli & Poli.* Convaleſcit autem, & ferax evadit vinea non minùs campis, quàm collibus: nec minùs densâ humo, quàm reſoluta: non infrequenter etiam exili & pingui, ſicca & uliginoſa. Veruntamen non ſine delectu quodcunque genus vitis in quacunque terra deponendum. Agro uberiori ac pinguiori mandabis gracilem, macro fœcundam, ſpiſſo vehementem, materiaque & frondibus luxuriantem, reſoluto eam, quæ eſt rari ſarmenti. Vites, quæ ſunt fructûs teneri, & amplioris acini, humido ſolo inſcitè committuntur.

Monitum Secundum.

Locus, qui ſegetes tulerit, aut arbuſtum nutrierit, aut antè vinetum fuerit, ſed jam vetuſtate exoleverit, parandæ vineæ non ita aptus cenſetur, quàm qui eſt rudis.

Monitum Tertium.

Vitanda ſunt vitia loci vinetis peſtifera, quæ Columella commemorat, nimirum macies & ſterilitas, terra ſalſa vel amara, uligo, præceps & prærupta poſitio, terra

ra nimis opaca & à ſole averſa, vallis arenoſa, arenoſi toſi, plus juſto jejunus ſabulo, terreno carens & nuda glarea.

Monitum Quartum.

Gratum eſt vineæ cœlum, nec ſummè frigidum, nec ſummè æſtuoſum: magis tamen calido, quam algido proficit: & potius imbribus, quam ſerena tempeſtate offenditur: amat ſolum ſiccum magis quam humidum: lenem perflatum non recuſat: ventos & procellas odit.

Monitum Quintum.

Qui vinetum inſtituit, plus ſuæ ipſius, quam alienæ curæ fidat. Viviradicem ne mercetur: genus ſurculi probatiſſimi domi conſerat, faciatque vitiarium, ex quo poſſit agrum veſtire vitibus: propterea quod minus, quam vernacula noſtro ſolo felicia ſint ſemina, quæ ex alia regione transferuntur.

Monitum Sextum.

Foſſio in vinea tanto plus prodeſt, quanto crebrior fuerit. Cenſent plerique à Calendis Martiis uſque ad Octobres triceſimo quoque die novella vineta confodienda, herbaſque omnes & gramina præſertim extirpanda.

Monitum Septimum.

Ubi cœlum eſt frigidum, ibi verna vitium putatio eligenda eſt. At locis apricis, & ubi molliores ſunt hyemes optima & naturaliſſima putatio eſt, quæ fit per autumnum.

Monitum Octavum.

Tempus ad vitium inſitionem eſt ver, glacie jam ceſſante, quando, dum inciditur vitis, humorem neque multum, neque aquoſum, ſed craſſum & glutinoſum emittit. Sarmenta vero ad inſitionem accipienda ſunt

ſunt rotunda, ſolida, denſisque oculis prædita. Sufficiunt autem ſarmento oculi duo vel tres.

Monitum Nonum.

Sunt quædam vites, quæ fructum recens productum, putrefaciunt, priuſquam racemi connutriantur, & maturеſcant. Talibus igitur medeberis portulacæ folio, ſi polentam ei admiſceas, truncoque circumlinas. Quidam cineris veteris heminas quatuor radicibus injiciunt, aut etiam arenam. *Varro.*

Monitum Decimum.

Vites Rhyadas, quas Latini defluas ſive fluxas appellant, ex foliis cognoſces ſubalbidis & ſubarefactis, ſed & ſarmentum latum, atque inſtar lori tractile ac molle habent. Medeberis vero illis cinere, aceto acerrimo ſubacto, illinens ſtirpes & irrorans, quæ in ambitu ſunt trunci. Ipſæ etiam vites cinere liquido facto reſpergendæ ſunt. Quidam vero marinam aquam radicibus affundunt. Alii vero racemorum ſummas partes auferunt & impediunt. *Sotion.*

Monitum Undecimum.

Vitem ægrotantem cinere ſarmentitio, aut quercino cum aceto mixto, ad truncum conſperſo, curabis. Valde etiam proderit urina hominis radicibus affuſa.

Monitum Duodecimum.

Vites ſideratas cognoſces ex eo, quod folia valde rubra habeant. Curabis autem eas, ſi terebro truncum proforaveris, & per foramen quernum paxillum indideris. Alii hujuſmodi vites marina aqua irrigant. Alii eas, & quæ à quocunque inſtrumento percuſſæ ſunt, oleo cum bitumine cocto illinunt, & oblinunt. Alii urinam humanam trunco & radicibus affundunt. *Caſianus.*

Monitum Decimum tertium.

Si vitis ſit ſterilis, truncum ſcalpro, aut ſerra, aut, quod

quod melius est, cuneo quercino findito, & lapidem in fissura indito, ut partes trunci invicem disparentur, atque in ipsum truncum urinam humanam veterem infundito, ad mensuram heminarum quatuor, ita ut eam sensim omni trunco circumfundas, quo etiam radices inde perfusæ restituantur in integrum. Deinde injice fimum terra mixtum. Oportet tamen eos, qui lapidem in truncum imponunt, defodere, & vertere ea quæ sunt circa radicem. Hanc vero curam in autumno facere oportunum est. *Democritus.*

Monitum Decimum quartum.

Si contigerit vites à pruina lædi, & manifestum sit fructum periisse, incidendæ sunt, & valde breviter præsecandæ, ut vis earum permaneat, & sequenti anno fructum reddent. Quidam asserunt, ubi suspecta fuerit pruina, expedire ut myricæ, aut, si haberi illa non possit, cujuscunque tandem ligni cineres in vinea diventilentur. Sic enim insidentes oculis vitium cineres illabentem pruinam depellent.

Ad eundem effectum conducent excrementa arida per diversa spatia in vinea deposita, secundùm vineti ventum, & ubi incumbentem pruinam videris, succensa. Nam fumus inde elatus pruinam disperget. Quidam fabas in vineto seminant, & vites à pruina illæsas futuras credunt. Quæ verò facilè à pruina aduruntur vites, tardius putandæ sunt, cùm ad germen fundendum concitantur. Sic enim tardius efflorescent, ac proinde minùs erit timenda pruina.

Monitum Decimum quintum.

Qui uvas aliosque fructus à vespis immunes conservare cupit, oleum sorbeat, & veluti insufflans, ad vites & uvas aliòsque fructus accedat. *Democritus.*

Monitum Decimum sextum.

Qui desiderat, ut idem racemus diversos habeat acinos,

nos, hoc eſt, alios albos, alios nigros, alios fulvos, accipiat duo differentia diverſi generis ſarmenta, eaque findenda per medium, cum cautela, ne in oculos ſciſſura perveniat, neque quidquam de medulla excidat; atque ita alterum alteri adjungere oportet, & adglutinare, ut oculi coincidant, & quantum poſſibile eſt ſe mutuò contingant, oculique duo quaſi unus fiant. Inde verò validè ſarmenta papyro conſtringere oportet, & cylla aut glutinoſiſſima terra integere, atque ita plantare, & interjectis diebus tribus aut quinque irrigare, uſq; lum germen producant. *Weckerus in ſecret. lib. 9.*

Monitum Decimum ſeptimum.

Si erucas, quæ in roſis reperiuntur, coxeris in oleo, c inde falces, quibus vitis putatur, illeveris, neque ab liquo animalculo, neque à pruina vitis injuriam patieur. Idem erit effectus, ſi adipe hircino, aut ſanguine anarum falces ungantur, aut coricula cinere cum oleo rælita acuantur.

Monitum Decimum octavum.

Vitis ſarmenta uſta, & vitis lacryma permixta, cum ino in mediam vineam deponito, & vermes in vitibus on enaſcentur. *Ita ſentit Africanus.*

DISCURSUS VIGESIMUS PRIMUS.

EX BUCOLICA.

De Oeconomiâ Animalium.

PRÆFATIUNCULA.

Bucolica eſt Ars parandi curandique animalia Oeconomo neceſſaria. Ejus objecta ſequentes Articuli demonſtrant.

ARTICULUS PRIMUS.

De Ovibus.

1. DEsiderans oves fœcundas, eligat eas, quæ nequ vetulæ sint, neque meræ Agnæ; quoniam cujus vis pecudis ætatem primam & supremam sterilitate natura damnavit.

2. Empturus oves, eligat eas, quæ sunt corpore amplo, lana non modica, eademque molli, villis altis atq densis (præsertim circum cervicem & collum) ventr lanoso, cruribus humilibus.

3. Mercaturus arietem, præferat eum, qui est corpore alto & procero, fronte ampla, intortis cornibu & ad rostrum pronis (quo pacto minimè nocebunt) ravis oculis, iisque lana opertis (ravum dicitur, quo medium habet colorem inter flavum & cæsium: siv quod ex fulvo desinit in nigredinem) auribus, pectore scapulis, clunibus latis: testibus amplis, cauda densi vel leris & prolixa.

4. Rejectaneis accenseantur arietes illi, quorum lana non est concolor linguæ atque palato. Nam qu Artis Bucolicæ periti sunt, arbitrantur pullas, aut etian varias proles nascituras, si hæ partes corporis in admis sario ariete sint nigræ, aut maculosæ. Audi canentem de hoc Maronem:

Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse,
Nigra subest udo tantùm cui lingua palato,
Rejice: ne maculis infuscet Vellera pullis
Nascentum.

5. Si oves pascantur in iis agris, in quibus defect sunt frumenta, geminum inde existit commodum quòd & caduca saturabuntur spica: & obtritis stramentis fimoque suo in annum venturum opimam segeten reddent.

6. Expedit arietes admissarios ante admissuram

femi

fœminis bimestri intervallo secerni, largiore alimento expleri, & ad stabula redeuntibus hordeum præberi.

7. Oves feminæ post bimatum maritandæ sunt; alioquin partus erit inutilis, ipsæque matres deteriores evadent. Mares verò ad generandum censent idoneos trimos, quinquennium natos inertes, septennium fatiscentes.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Capris.

1. CApras elige, quæ sint ætatis novellæ potiùs, quàm senilis (nam illæ diutiùs fructum dabunt) uberis maximi, lactis abundantissimi, crebro pilo præditæ, hirco simillimæ, & sub rostro duas mammulas habentes. Nam quæ tales gerunt mammulas (alii noneolas, alii nevolas, alii verruculas appellant) fœcunditatis laude præstant.

2. Hircus seu Caper eligatur, qui sit corpore amplissimo, cruribus crassis, plena & brevi cervice, gurgulione largiore, flaccidis & prægravantibus auribus, exiguo capite, pilo nigro, denso, nitido, molli, longissimo: cui denique binæ sub maxillis verruculæ dependeant.

3. Caper sive hircus, qui septem menses natus est, pro admissura deputari & usurpari potest.

4. Præstat unum gregem caprarum totum, quam ex pluribus particulatim mercari. Sic enim in Caprili pax & concordia vigebit.

5. Capris glandes aut nullæ, aut non citra satietatem dandæ; nam alias abortum patiuntur.

ARTICULUS TERTIUS.

De Suibus.

1. SCrofæ sint status longissimi, & unicolores potiùs, quam variæ. De reliquo verribus sint similes. Verres autem præstantiores oportet esse 1. corpore peram-

peramplo, quadrato magis, quàm longo aut rotundo, ventre promiſſo, clunibus vaſtis, ampla & glanduloſa cervice, roſtro brevi & reſupino, nec cruribus, nec ungulis proceris.

2. Ut cognoſcatur Scrofæ fœcunditas, primus partus inſpiciendus eſt; nam in ſequentibus nihil ferè mutat. Porrò illam cenſent fructuariam idoneam, quæ pro numero mammarum parit catulos.

3. Ubi Scrofa pepererit, reficienda eſt largius, quo natis lac ſuppeditetur copioſiùs. Quòd ſi lacte deficiatur, triticum frictum præbebitur, aut hordeum ex aqua objicietur.

4. Verribus poſt annum, commodiſſimè verna vel autumnali tempeſtate virilitas ferro adimitur: qua ſpoliati majales appellantur.

ARTICULUS QUARTUS.

De Bobus & Vaccis.

1. IN emptione bovis maſculi ſive Tauri, præponendus eſt ille, qui eſt torva facie, aſpectu vegetior, toroſiori cervice, membris grandibus, bene compoſitis atque perfectis, lateribus porrectis, cornibus amplis, proceris, robuſtis, nigrantibus: latis & criſpis frontibus, oculis magnis, iiſdemque & labiis nigris: hirtis auribus, compreſſis malis, dorſo recto & plano, vel etiam ſubſidente; non gibbero: patulis naribus atq; reſimis & ſubnigris, palearibus à collo pene ad genua propendentibus, corpore bene coſtato, bonis rotundiſque clunibus, cauda profuſa uſque ad calces, inferiore parte frequentibus pilis ſubcriſpa, compactis cruribus, iiſq; brevioribus potiùs, quam longis, genibus eminulis, pedibus non latis, neq; ſic comparatis, ut ingredientibus diſplodantur: quorum ungulæ ſint leves ac pares. Corium ne ſit attactu aſperum ac durum. Colore pla-

placent potiſſimum nigro, poſt rubeo, tertio helvo (qui eſt medius inter rufum & album) quartò albo.

2. Feminis, ſeu vaccis, uno menſe antequam Tauri in Venerem ruentis pondus excipiant, pabulum minuendum eſt, ne obeſitate corporis nimia ſteriles evadant: macris ſiquidem conceptus facilior. Contrà verò Tauros à feminis duorum menſium ſpatio ſecretos, herba, palea, fœno pleniores, & ad Venerem valentiores oportet efficere.

3. Cavendum, ne vaccæ ante impletum ætatis ſecundum annum ineantur à Tauris: ut trimæ pariant; quanquam meliùs, ſi quadrimæ.

4. Tauri infra quadrimatum, & poſt expletum duodecimum ætatis annum, ab admiſſura prohibendi ſunt: illi, quòd propter immaturam ætatem ſeminandis armentis non ſint idonei; hi, quia ſenio ſunt effœti.

ARTICULUS QUINTUS.

De Aſinis.

1. SIcut minus onerum eſt imponendum aſinæ prægnanti, ne fœtus inde lædatur atque deterior evadat; ita aſino mari non eſt ulla ab opere concedenda vacatio; quoniam ſegnior ac deterior inde redditur.

2. Primo ætatis anno ſinendus eſt pullus aſininus cum matre: ſecundo leniter capiſtris vinciendus: tertio ad eas operas aſſuefaciendus, quas quis ab eo exigere decrevit.

ARTICULUS SEXTUS.

De Equis.

1. EQui tribus annis minores non ſunt emendi. Ita ſuadent rei Caballinæ periti.

2. Equi comparandi, qui mole mediocres ſint. Modica magnitudo commendat, vaſtitas & parvitas dedecorat hoc armentum.

3. Equæ clunibus, ac ventribus latæ ſint: admiſſarii vero ſint corpore amplo & formoſo, partibuſque juſta inter ſe proportione reſpondentibus.

4. Equi futuri ſpeciem, ab indole & corpore ipſius equuli ſeu pulli colligere oportet. Optimus erit, ſi hilaris ac intrepidus appareat, ſi eum novæ rei aſpectus audituſque nequaquam conterreat, ſi in geſtu & curſu cum laſciva alacritate gregales ad pugnam laceſſat & palmam nitatur præripere: ſi foſſas, nihil cunctatus, tranſiliat: ſi pontes & flumina, ſociis haud expectatis, transgrediatur: Si caput exiguum, oculos nigros, nares apertas, auriculas breves & arrectas, cervicem latam, non longam, jubam crebram, ſubcriſpam, in dexteriorem partem inclinatam; pectus latum, muſculorumque toris numeroſum, humeros grandes, ventrē ſubſtrictū, lumbos latos ac deorſum verſus preſſos, teſtes pares & exiguos, ſpinam duplicem, ſin minus, non extantem; caudam amplam, ſetoſam, ſubcriſpam, crura recta, alta, æqualia, genua parva, rotunda, clunes rotundos, nec introrſum ſpectantes, ungulas duras, altas, concavas, totum denique corpus grande ſublime erectum habeat.

5. Equa poſt bimatum ad generationem admittenda eſt. Mas trimo inferior ad propagationem generis eſt inhabilis; generat autem uſque ad annum viceſimum: equa poſt decimum, ut annoſa jam mater, tardam inertemque prolem edit.

6. Poſtquam conceperint equæ; non ſinantur aut quippiam laboris ſubire gravioris, aut verſari in locis frigidis: prægnantibus enim algor maxime officit.

7. Non expedit equas ſingulis annis ad generationem admittere. Quæ enim annos ſingulos fœtu implentur, inſtar ſegetum reſtibilium exſucciores evadunt: nec pulli æque laudabiles ac diuturni ex anni-

verſaria

versaria, quam ex alterna admissura procreantur.

8. Ubi pullus equinus excreverit, viresque competentes nactus fuerit, ad pascua educendus, non tamen à matre separandus est: ne ipsa desiderio nati (quod huic pecori natura præcipue indidit) noxam trahat & contabescat.

9. Si pulli equini fuerint quinquemestres, pascendi sunt farina hordeacea cum furfuribus, & si quid aliud terra editum cupidè ac libenter edent.

10. Antequam pulli separentur à matre, tractandi sunt manibus, ne postea exterreantur. In quem finem solent etiam curatores equorum, iis locis, ubi pulli stationem suam habent, fræna suspendere, ut iis intuendis eorumque crepitu audiendo consuescant.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Canibus Pecuariis.

1. Canem pecuarium, sive pastoralem & villaticum comparaturus, det operam, ut hisce notis insignitum adipiscatur. Magnitudo sit ampla, vastus & canorus latratus, color unus, magisque albus aut niger, dejectæ & propendentes aures, nigri vel glauci oculi, acri lumine radiantes, amplum villosumque pectus.

2. Canes pecuarii à venatoribus aut laniis ne emantur; quoniam hi ad pecus sequendum inertes sunt: illi, si leporem aut cervum conspexerint, eos citius, quam oves insequentur.

3. Canes pecuarii è culina projectis ossibus pascendi sunt: quibus si cibaria defuerint, ipsi relictis ac destitutis gregibus, alimoniam sibi comparabunt: quod quia magno gregum periculo sit, ne fiat, studiose providendum est.

4. Consultum est, canibus pecuariis apponere jus

ex ossibus, & ossa ipsa contrita. Inde enim & dentes illis confirmabuntur, & medullarum sapore acrimonia augebitur.

5. Non nisi post annum vel mari vel feminæ indulgenda venus, ne & corpora labefactentur & animi degenerent.

6. Quorum catulorum generosam indolem conservare volueris, eos alienæ nutricis ubera sugere haud permittes.

7. Si canis effœta lacte destituatur, catulis caprinum dabitur, dum quadrimestres fiant.

8. Sunt, qui canum villaticorum castrationem suadeant, sunt, qui dissuadeant. Utrosvis, per me licet, sequaris. Qui ipsos castrant, eo minus relinquere gregem illos arbitrantur: qui id omittunt, putant idcirco esse acriores.

ARTICULUS OCTAVUS.

De Gallis & Gallinis.

1. Gallinarium instituturus, studeat comparare gallinas, quæ plumas habeant rubicundas aut fuscas, pennasque nigras: vitet vero albas; quia cum ferme molles reperiantur ac minus vegetæ, insuper nec fœcundæ sunt: & quia propter candorem admodum conspicuæ, aquilæ & accipitri præda fiunt.

2. Numerus gallinarum in gallinario sit capitum ducentorum: sintque omnes robusti corporis, quadratæ, pectorosæ, capitibus magnis, rectis rutilisque cristis: probatissimæ censentur, quæ quinos habent digitos, ita ne cruribus emineant transversa calcaria. Nam quæ hoc virile gerunt insigne, contumacia efferuntur, & injungi sibi marem non sustinent, raroque fœcundæ sunt: & quando incubant, non raro calcis aculeis ova perfringunt.

3. Gal-

3. Galli gallinacei eligantur, qui ſint ſalaciſſimi, gal-
inis altiores, rubentibus ac ſublimibus criſtis, non ob-
iquis, roſtro brevi & adunco, oculis ravis aut nigris,
galea ex rutilo ſubalbicante, jubis ex auro flavis, per
colla cerviceſque in humeros diffuſis, feminibus hirtis,
cruribus brevibus, unguibus longis, cauda magna, fre-
quentibus pinnis. Præſtantes etiam habentur, ſi ſint
elati, alacres, vigilantes, qui non facile terreantur, qui
vociferent ſæpe, qui in pugna pertinaciter reſiſtant, con-
jugalem gregem animoſe defendant, animalia gallinis
infeſta intrepide adoriantur.

4. Gallinarum cubilibus præponantur veſtibula, per
quæ ad ipſa cubilia, ſeu pariendi, ſeu incubandi cauſa in-
troeant: neque enim ipſis nidis involare debent, ne
aſſilientes pedibus ova comminuant.

5. Quo tempore gallinæ parturiunt, curæ erit gal-
linario, ut quam puriſſimis paleis conſtrata habeant
cubilia. Itaque ea ſubinde convertet, aliaq; ſubſtrami-
na quam recentiſſima ſubſternet, ne pulices, aliave naſ-
cantur animalia, quæ gallinam conquieſcere ſua im-
portunitate non patiantur. Quæ cauſa eſt, ut ova aut
inæquabiliter matureſcant, aut plane conſeneſcant.

6. Ova incubanti gallinæ ſupponenda ſunt non
plura quam viginti quinque. Inter quæ aptiora ſunt,
quæ recentiora. Poſſunt etiam incubari requieta,
dummodo non ſint vetuſtiora diebus decem.

7. Ut excludantur pulli gallinacei, opus eſt incu-
batu dierum 20. ut pavonini, ſi ova pavonina gallinæ
ſubjeceris, dierum 27.

8. Incubante gallina, circumibit curator intervallo
dierum aliquot, ova verſabit manu & invertet, ut ca-
lore æquabiliter concepto animentur. Si qua ungui-
bus læſa, aut fracta repererit, removebit. Utrum ve-
ro ſint ova plena atque utilia, nec ne, ſi noſſe cupias, in

 aquam

aquam demitte: inane natabit, plenum desidet; poteri etiam opponi lumini: si perlucebit, non est plenum Cave autem, ne ova hujus rei cognoscendæ causa concutias, quia venas vitales confundes.

9. Ut mares quam plurimi excludantur, ova longissima & acutissima: ut fæminæ, rotundissima incubanti gallinæ subjicienda sunt.

10. Duarum aut trium Gallinarum pulli recentes ad unam transferri possunt gallinam, quæ sit melior nutrix sed id faciendum est primo quoque die, dum mater suos alienosque ob similitudinem non dignoscit.

ARTICULUS NONUS.

De Anseribus.

1. ANseres eligantur, qui sint corporibus amplis & albis, quoniam plerumque pullos procreant sibi similes.

2. Ova anserina signo aliquo notanda sunt; nam matres in hoc avium genere aliena ova non excludunt.

3. Ova anseri plerumque novem aut undecim, minimum septem, summum quindecim subjicienda sunt.

4. Anserculi diebus quinque permittantur cum matre: postea quotidie, cum serenum fuerit, in prata & ad piscinas atque paludes emittantur.

ARTICULUS DECIMUS.

De Piscibus & Piscinis.

1. COnstructurus piscinam, noverit aptiorem ad eam locum esse, qui est pinguior, humidior, minusque densus; præsertim si cyprinos (vulgus appellat carpiones) educare in eo destinaverit. Valet nihilominus fundus glareosus, calculosus, sabulosus, glebis pinguibus tamen admixtis. Scaturigines & uligo cænosa, eaq; perpetua, in vitio sunt. Locus sterilis in-

primis cavendus eſt: is enim, quia ſucco omni deſti-
tus eſt,maximè cyprino generi, cui inde nutrimenta
craſſities, perniciofus cenſetur.

2. Situs piſcinæ commodiſſimus cenſetur, ubi eſt
qualiſſima, & ſpatioſiſſima, aut nonnihil prona, cam-
ɔrum, pratorum, nemorumque planities, cum vicini-
te rivi, lacus, fluvii, fontis, unde recens ſemper aqua
ifluat: cum aqua illabuntur alii quoque piſces, qui
umerum luciorum, cyprinorumque (quorum gratia
otiſſimum piſcinæ conduntur) atque etiam fructus
oſſeſſoris amplificant; ut ſunt barbones, anguillæ, &c.

3. Haud parum intereſt, cœleſteſne ſeu pluvias, an
ontanas; an campeſtres aquas in piſcinas induca-
us. Primæ ſunt incertæ, quia pluviæ incertæ: accedit,
uod eædem ſint etiam infœcundæ. Alteræ frigidiores
int, quam ut eas cyprini ferre queant. Tertiæ, quia
ntis lapſibus fluitant, & ſolibus tepeſcunt, & piſciferæ
int, valde utiles piſcinis judicantur.

4. Quoniam ventis ſævientibus aqua piſcinæ intu-
eſcere, crebriſq; aſſultibus aggerem verberare ſolet,
odem fere modo ille, quo caſtrenſis agger contra iſtam
elut hoſtilem incurſionem communiendus & cir-
umcirca vallandus erit. Aut ergo pali terræ fiſtucis
uam firmiſſime impacti, ut quati & commoveri neuti-
uam poſſint, aggeri proni incumbent, modicis inter-
allis diſtantes, arborumq; ſtipitibus ac truncis irretiti:
ut ſecus palos ita, ut dixi, locatos, confuse & acerva-
im aliæ arbores ſuper alias conſtipabuntur: atque
ic primas obtinent partes quercus & abies: ſiquidem
umoris citra vitium patientiſſimæ ſunt.

5. Seminarium piſcium in parte quacunque fundi,
modo rigua ſit, utiliter conſtituetur. Porro locus il-
le non ſpatium vaſtum, non apricitatem, non pingue
ſolum requirit; quippe qui ad tempus tantummodo
ſobo-

ſobolem, paulo poſt ampliori coloniæ tranſcribendam, & ad feliciora pabula dimittendam, complectitur. Videndum tamen, ne locus hujusmodi cœnoſus ſit: quia alias ova cyprinorum ex attritu mutuo in terram labentia, & luto præfocata in piſces animari non poſſunt. Prædicta deniq; vivaria, ſimiliter ut piſcinæ majores, ſuum habeant aggerem, vallum, loriculam, canales, ſepta & emiſſarium.

6. Cum lucii in parvulos cyprinos graſſari ſoleant, ſintque certiſſimum hujus ſtirpis exitium, ad piſcinarium pertinebit cavere, ne ante tempus in piſcinam immittantur. Nonnunquam cyprinis fœtibus piſcinæ uſque adeo repletæ conſpiciuntur, ut tantæ multitudini pabulum ſuppeditari non poſſit. Tum enimvero pro numero & amplitudine piſcinarum immittendi ſunt lucii, quorum ingluvie luxuries illa depaſcatur. Hoc ubi factum erit, cyprini reliqui ſaginæ delecti liberalius alentur, citius grandeſcent, atq; ipſi etiam lucii ſaginabuntur, venditique lucrum uberius apportabunt.

DISCURSUS VIGESIMUS SECUNDUS.

EX ARCHITECTONICA.

De Modo ædificandi.

PRÆFATIUNCULA.

ARchitectonica eſt Ars præſcribens certas regulas ad benè ædificandum deſervientes: quarum præcipuas hac diſſertatione complecti libuit.

Regula I.

BOnum Architectum oportet eſſe variis artibus ac ſcientiis inſtructum.

1. Cal-

1. Calleat principia Geometrica. Nam Architectus à Geometra mutari debet uſum circini & enthygrammi (den Senckel und Winckelhacken) normarum item, librationum & linearum directiones.

2. Optices non ſit ignarus. Debet enim Architectus lumina à certis cœli ſpatiis per Opticen in ædificiis v[illegible]apere: id quod ſingulare eſt artificium.

3. Sit gnarus Arithmeticæ. Sine illa ſiquidem nulla inſtitui poteſt Symmetriarum probatio.

4. Sit Scrutator antiquitatum. Hiſtoriæ namq; ut aliis artificibus, ita architectis maximam adferunt utilitatem.

5. Sit Phyſicæ peritus. Occurrunt enim ſæpe quæſtiones naturales de aquarum ductibus, de aëris temperie, de ſoli varietate.

6. Sit verſatus in Medicina. Quia ſcire debet Architectus, quæ loca ſint ſalubria, quæ inſalubria, & alia multa, quæ concernunt ſanitatem.

7. Habeat notitiam Juris civilis. Oportet enim eum intelligere, quinam parietes ſint communes, quæ ſtillicidia, quæ cloacæ, quæ lumina, quæ feneſtræ, quæ demolitiones, quæ denique aquarum ductiones.

8. Habeat notitiam Aſtrologiæ. Nam Architectus Orientis, Occaſus, Septentrionis, Meridiei, Aſtrorum, Æquinoctiorum & Solſtitiorum rationem peroſſe debet.

Has omnes ſcientias in Architecto requirit Vitruvius Architectorum anteſignanus. Non tamen requiro ego, ut Architectus ſit Ariſtoxenus in Muſicis, in Pictura Apelles, in Medicina Hippocrates, in Aſtronomia Ptolemæus: ſed ut ea, quæ ex ſingulis artibus ac ſcientiis ad rationem Architecturæ faciunt, perſpecta habeat.

Regu-

Regula II.

Architectus norma & circino, tanquam principalibus instrumentis utatur; hæc enim duo sufficiunt perito Architecto. Enimvero Circinus est fons omnis proportionis, quæ quidem Architecto est necessaria. Per normam vero præcipue intelligitur ea, quæ à Germanis vocatur der Maß-Stab.

Regula III.

Finis ædificii semper Architecto versetur ob oculos. Nam finis conciliat mediis ordinem & mensuram. Finis autem, ad quem Architectus collimare debet, est ædificii firmitas, utilitas, venustas: eaque vel ratione defensionis ad injuriis cœli aut hostium, vel ratione delectationis. Hos porro fines oportet conjungere, non autem facere inter eos divortium, si quis velit habere ædificium numeris omnibus absolutum. Primo autem habenda est ratio firmitatis, tum utilitatis, tandem venustatis. Et firmitatis quidem ratio habetur, si probe solideq; jaciantur fundamenta, omnisq; selecta materia sedulo paretur: utilitatis autem, si locorum membrorumque apta consideretur dispositio: venustatis denique, si membra suas habuerint symmetrias & proportiones.

Regula IV.

Materia ædificii cædenda est à novo Autumno, donec flare incipiant Favonii, nempe circiter sextum Idus Februarias. Ratio est, quia vere prægnantes redduntur arbores, succumque transmittunt ad ramos: per autumnum vero, dum maturitate fructuum frondes moriuntur, succus è terra in radices venit, inde robori suo arbores restituuntur, & ad pristinam soliditatem redeunt. Deinde cœlum hybernum eas constringit & comprimit.

Regula V.

Materia ædificii cædenda est luna decrescente: & dies

dies ſereni præferantur nubilis. Cujus rationem reperies in Conſiliis Oeconomicis, Diſcurſu 37.

Regula VI.

Craſſitudo arboris ædificio deſerviture ad mediam uſque medullam incidatur, & aliquamdiu ſub dio relinquatur, quo per vulnus illud humor & ſuccus tanquam ſanies defluat & deſtillet, arborq; ſicceſcat. Intus enim relicti humores cum concreverint, putorem concipiunt, & materiam vitioſam efficiunt. Si materia ſic evacuetur, quandam operi futuro perennitatem præſtat.

Regula VII.

Arbores ædificio deputatæ antequam ſecuribus ſternantur, tondeantur, ramis ſcilicet circumquaque amputatis. Hoc enim ad majorem facit ſiccitatem.

Regula VIII.

Materia ædificii cæſa reponatur loco umbroſo: qui ſcilicet radiis ſolaribus & ventis non ſit expoſitus.

Regula IX.

Materia ædicii non niſi poſt trimeſtre adhibenda eſt ad uſum. Denſari enim eam prius, & maturam adipiſci firmitudinem oportet, quam ad opus accommodetur. Materiam, ex qua aſſeres, valvæque conficiendæ ſunt, integro triennio ſiccandam eſſe, exiſtimavit Theophraſtus.

Regula X.

Materia ædificii non eſt trahenda per rorem. Itaque poſt meridiem trahatur.

Regula XI.

Arbores impetu ventorum dejectæ ne adhibeantur ad ædificationem. Nam à ventis partim ægræ arbores dejiciuntur, partim vehementi dejectione corrumpuntur.

Regu-

Regula XII.

Architectus ædificaturus, præferat, tanquam firmiores, arbores infœcundas fœcundis, ſylveſtres hortenſibus & ſativis.

Regula XIII.

Arbores fertiles præcoces, utpote infirmiores, poſtponendæ ſunt in ædificatione ſerotinis.

Regula XIV.

Arbores acutæ, quæ fructus habent acerbiores, in ædificio præferendæ ſunt arboribus dulcibus, verb. grat. quercus fago &c. acutæ enim ſunt firmiores.

Regula XV.

Sciat Architectus 1. Eas arbores, quæ ventos ac tempeſtates ſuſtinuerunt, eſſe quidem firmiores & craſſiores: breviores tamen & nodoſiores, quam quæ in vallibus lociſque vento inacceſſis creverunt. 2. Eas arbores, quæ vivæ diutius vigent, eaſdem ſtratas ſerius corrumpi. 3. Quo minus medullæ ineſt in quovis ligno, eo illi naturam eſſe robuſtiorem. 4. Eas partes arboris, quæ ſunt medullæ propiores, cæteris duriores ac denſiores reperiri: eas verò, quæ cortici viciniores ſunt, nervo eſſe tenaciore. Nam in arboribus locum cutis obtinet extremus cortex; carnis, quod ſubeſt cortici; oſſium, quod medullam proxime circumdat.

Regula XVI.

Pro ædificiis eligantur hæ arbores, tanquam præ aliis utiles & idoneæ: quercus, robur, æſculus, populus, tilia, ſalix, alnus, fraxinus, ulmus, pinus, cupreſſus, oleaſter, juglans, olea, caſtanea, larix, buxus, cedrus, ebenus, vitis, cerrus.

Ex his patientiſſima humoris eſt *Alnus*, & fluvialibus paluſtribuſque fundamentorum palationibus omnes vincit: ſed in aperto aëre ac ſole non durat. *Æſculus* hu-

humoris eſt impatiens. *Vlmus* in propatulo denſatur, alibi pandatur ſeu incurvatur, nec perſiſtit. *Picea* & *Pinus* ſi terra operiantur, ad æternitatem proficiunt. *Robur* ſpiſſa, nervoſa, compacta humorem reſpuit. Ideo ad terrenas habitationes eſt appoſita, ſervitq; perferendis oneribus, & in columnas aptari poteſt. *Olea*, *Ilex*, *Oleaſter*, ſunt robori ſimiles. *Quercus* non ſeneſcit. *Fagus* & *Juglans* ab aquis non læduntur, ideoque defodiuntur. *Vlmus*, *Fraxinus*, *Juglans*, aſſeribus parum ſunt idoneæ: quia facillime franguntur. *Cupreſſus* valet ædibus contignandis: quia cariem vetuſtatemque non ſentit, nec rimam ſua ſponte agit. *Larix* ſtructurarum moles firmiſſime ac diutiſſimè ſuſtentat, & cariei repugnat.

Regula XVII.

Ad conficiendas columnas, deſervient ſuber, pinus ſylveſtris, morus, acer & ulmus.

Regula XVIII.

Pro trabeationibus & tignis utatur Architectus abiete; hæc enim ad hujuſmodi opera eſt omnium optima. Suſtinet enim graviſſima onera, nec parietibus eſt moleſta. Eadem lectis, valvis, ſellis & menſis ſervit.

Regula XIX.

Nux ad aſſeritia opera eſt admodum tractabilis: ideoque cæteris anteponenda.

Regula XX.

Scalarum gradus ex orno & acere optime fabricantur.

Regula XXI.

Tubi ducendis aquis ex pinu, picea & ulmo: ſimulachra vero, ſigna & tabulæ, è larice femina, buxo, cedro, cupreſſo, populo alba & nigra, ſalice, ſambuco, ficu confici debent.

T Regu-

Regula XXII.

Architecto non debet esse ignota natura lapidum qui pro ædificiis usurpantur.

Sciat itaque primo, lapides ex mollibus saxifodinis exemptos facilius in opere tractari, & in locis tectis laborem sustinere, in apertis verò & patentibus, gelicidiis & pruinis affectos, friari ac dissolvi, itemque in locis maritimis salsugine exesos diffluere.

Sciat secundo, lapides arena inspersos esse asperos; quibus scintillæ aureæ intermicant, contumaces; nigricantibus scatentes punctis, indomitos; guttis angularibus aspersos, firmiores, quam qui rotundis; & quo minores sunt guttæ, eo lapidem tolerantiorem: quo cuiq; color purgatior ac limpidior, eo minus æternum; quo minus venarum habet, eo integriorem esse.

Sciat tertio, quod venæ lapidum coloratæ, æquabiles; tenues, morosos; anfractuosæ, austeros; internodosæ acerbos quodammodo indicent lapides. Quod si multæ fuerint venæ, lapidem sibi dissimilem & constantem arguunt.

Sciat quarto, lapidem humectatum, ferro esse tractabiliorem, quam cum exaruerit.

Regula XXIII.

Æstate, non hyeme, lapis ad ædificium effodiendus, & sub dio habendus, nec ante biennium in opere locandus est. Nam ventis, gelicidiis, imbribus, ac cæteris tempestatibus assuefaciendi sunt, ut sint postmodum constantes & invicti adversus omnes injurias. Qui læsi fuerint, in subterraneas structuras conjicientur; reliqui velut à natura probati, cœlo committentur.

Regula XXIV.

Curet Architectus, ut lateres pro ædificio deputati, non conficiantur de luto arenoso aut calculoso, ne gra-

gravitatem & pondus injuſtum habeant: ne cum ab imbribus maduerint, paulatim dilabantur in pariete: ne præterea; quæ ipſis admiſcendæ ſunt paleæ, propter aſperitatem nequeant cohærere. Fiant igitur de terra albicante, cretoſa, ſive de rubrica; aut etiam maſculo ſabulone..

Regula XXV.

Lateres vere & autumno parentur: neque ſtatim ut confecti fuerint, in fornacem immittantur, niſi admodum ſicci ſint. Neque vero ante biennium areſcent ſatis: & in umbra commodius, quam in ſole ſiccabuntur.

Regula XXVI.

Nunquam parentur lateres per ſolſtitium. Nam ſol efficiet, ut aridi videantur, cum intus ſicci nondum ſint: & ſic poſtmodum ſicceſcendo contrahuntur. Oportet autem lateres plane ſiccos eſſe: ne ſi in structuram recentes & humidiores veniant, obducto & obſolidato tectorio ſidentes, ipſi parem cum eo altitudinem non teneant, contractioneq; refugientes, ab ejus conjunctione divellantur.

Regula XXVII.

Si neceſſitas coëgerit, per hybernum tempus fingere lateres, illico ſicciſſima arena operiantur: ſi per mediam æſtatem, humidis paleis. Sic enim non findentur, neque contorquebuntur.

Regula XXVIII.

Meminerit Architectus; efficiendæ calci inutiles eſſe lapides aridos, putreſcentes, exhauſtos. Siquidem tertia parte minus habere ponderis calcem oportet, quam ſuus lapis habuerit.

Regula XXIX.

Lapis, ex qua calx pro ædificio conficienda eſt, non debet eſſe terroſus: quia calcem reddit impuram.

Regula XXX.

Optima coctio calcis est de saxo albo, præduro & admodum spisso, aut silice, quæ in testudinibus utilitatem magnam præstabit. Quæ cocta est de fistulosi lapidibus, destinabitur tectoriis; est enim ductilior, & opera reddit splendida.

Regula XXXI.

Ex collectitiis torrentium lapidibus, globosis, fusci & præduris, paratur calx non contemnenda. Utilior tamen est lapis effossus, quam collectitius: & ex fodina umbrosa ac humenti, quam ex arenti extractus.

Regula XXXII.

Det operam Architectus, ne calx, quæ coquitur, ante tempus igni subtrahatur. Sciendum est autem, lapides fervore flammarum in calcem redigi non minus horis sexaginta.

Regula XXXIII.

Rejectanea est calx, quæ ex fornace exportatur glebis non integris, sed resolutis, valdeque pulverulentis Proba è contrario est illa, quæ candicat, quæ levis est & sonora, quæque (si aspergas aqua) multum vaporis emittit.

Regula XXXIV.

Pro construendis ædificiis, bonam arenam eligat Architectus. Optima est fluvialis, quæ ex torrentibus petitur. Littoralis seu marina est ultima bonitate, tectoriis optima, si ejus salsugo abluatur humore dulci. Fluviatilis arena humidior est quam fossitia, atque idcirco ductibilior, & tectoriis habilior. Optima in suo genere arena est, quæ manu confricata stridorem edit. Illa vero inepta censetur, quæ per se lenis, colore odoreque terram luteam imitatur: Item quæ intra aquam agitata, eam valde turbulentam reddit & limosam.

DISCUR-

DISCURSUS VIGESIMUS TERTIUS.

EX LOGICA.

Continens Assertiones quasdam logicales, ænigmatico-paradoxas.

PRÆFATIUNCULA.

L*Ogica, si genealogiam cupis, est ex æterni luminis fonte debibatus radius, & rationalis animæ, parentis nobilissimæ nobilissima soboles, quàm despecta stolidis capitibus, tam viris sapientibus suspicienda. Est, si functiones quæris, clavis aurea, scientiarum omnium sacraria pandens. Est, judice Philosophorum Principe, instrumentum instrumentorum, & manus Philosophiæ. Est navis, quâ per immensum altioris litteraturæ Oceanum securè navigamus, citráque naufragium ad portum veritatis appellimus. Est filum Ariadnæ in intricatissimo humanæ ignorantiæ Labyrintho. Infinita sunt, quæ de Logica supra cæterarum scientiarum gloriam gloriose prædicari possent, sed hoc uno omnia complecti libet elogio:* Nihil deest Logicæ præter amatores.

ASSERTIO PRIMA.

Præter Logicam Docentem & Utentem nulla datur scientia in toto mundo.

ASSERTIO SECUNDA.

Sicut omne objectum Logicæ est etiam objectum Metaphysicæ: ita è contrario omne objectum Metaphysicæ est simul etiam objectum Logicæ.

ASSERTIO TERTIA.

Non tantum omne esse, sed etiam omne non esse, adeoque ipsum esse & non esse Logicæ est objectum Logicæ.

ASSERTIO QUARTA.

Negatio objecti Logicæ non tollit, nec destruit objectum Logicæ, sed potius ponit & constituit illud: imo ipsa est verum objectum Logicæ.

ASSERTIO QUINTA.

Dum hirundines fritinniendo, upupæ pupizando, turdi kichlizando, perdices titibizando, passeres strutissando, picæ kittabizando, anseres gratitando, sturni pisitando melos suum decantant, faciunt formaliter universale.

ASSERTIO SEXTA.

Non tantum omne genus, sed etiam omnis differentia, omne proprium, & omne accidens universale est species.

ASSERTIO SEPTIMA.

Omnia æquivoca sunt univoca, & ideo sunt univoca, quia sunt æquivoca.

ASSERTIO OCTAVA.

Omnis relatio similitudinis est relatio dissimilitudinis, & ex adverso omnis relatio dissimilitudinis est etiam relatio similitudinis. Imo ideo unum ens, verb. grat. corpus album, est dissimile alteri, verb. grat. corpori nigro, quia est illi simile: & ideo simile est, quia dissimile est.

ASSERTIO NONA.

Multi actus intellectus à veritate falsi, & è contrario alii à falsitate veri dicuntur: ita ut falsitas per veritatem, & veritas per falsitatem intrinsecè & essentialiter constituatur.

ASSERTIO DECIMA.

Quilibet rusticus, qui nunquam dedit operam Logicæ, in materiis etiam difficillimis, potest perfectos syllogismos conficere: & si non posset id facere, illico tota mundi machina dissolveretur, & creaturæ omnes cum Creatore suo in nihilum abirent.

ASSER-

ASSERTIO UNDECIMA.

Omnis conclusio negativa est affirmativa.

ASSERTIO DUODECIMA.

Datur demonstratio, quæ quidem non est ens rationis, aliqua tamen illius pars essentialis est ens rationis. Datur item alia demonstratio, quæ quidem est aliquid, aliqua tamen illius pars essentialis non est aliquid. Datur denique alia, quæ quidem non est error, aliqua tamen illius pars essentialis est error.

DISCURSUS VIGESIMUS QUARTUS.

EX SOMATOLOGIA PHYSICA.

De Principiis Corporis naturalis.

PRÆFATIUNCULA.

Somatologia est scientia de corpore, dividiturque in Physicam & Mathematicam. Somatologia Physica considerat corpus prout est naturale, sive, prout naturâ constat. Somatologia Mathematica speculatur corpus quatenus est mensurabile, sive, quatenus trina dimensione, longitudine, latitudine, profunditate, affectum est. Præsens dissertatio sibi vendicat Somatologiam Physicam, in qua de principiis corporis naturalis, juxta duplicem opinionem, Peripateticorum, & Chymicorum, tractabitur.

PRincipia corporis Physici, seu naturalis, alia sunt effectiva, alia hypostatica. Illa sunt extra rem quam efficiunt. Hæc intra eam permanent. Ita Deus & Homo generans sunt principia effectiva Hominis generati: principia vero hypostatica hujus corporis physici, secundum Peripateticos, seu Aristotelicos sunt materia & forma: secundum Chymicos autem sunt hæc tria: Sal, Sulphur & Mercurius.

Per principia corporis Physici hypostatica intelli-

guntur ea, ex quibus corpus conſtat tanquam fundamento eſſentiæ ſuæ.

Sal (quod eſt primum principium hypoſtaticum corporis naruralis) eſt principium fixum & ſubſtantificum, quod corporibus naturalibus tribuit ſoliditatem. Sulphur eſt principium oleaginoſum, viſcidum, caloris naturalis pabulum, Salem & Mercurium, tanquam intermedia natura conglutinans. Mercurius eſt principium liquidum, rarum & permeabile, balſami proximum inſtrumentum.

Quod Sal, Sulphur & Mercurius ſint principia hypoſtatica corporis naturalis, ſic ſolet probari à Chymicis. Illud eſt principium hypoſtaticum corporis naturalis, quod illud proxime componit: ſed hæc tria, Sal, Sulphur & Mercurius, proxime componunt corpus naturale; quia eadem ſunt principia reſolutionis & compoſitionis. Quare cum omne corpus mixtum in hæc tria, ſalem, ſulphur & mercurium reſolvatur; & corpora ſimplicia haud dubiè virtualiter habeant, quod corpora mixta habent formaliter; utpote cauſæ mixtorum; neceſſe profecto fuerit, illa eſſe principia hypoſtatica corporis.

Atque hæc breviter de principiis corporis naturalis, ex principiis Philoſophiæ Chymicæ. Reſtat nunc declarandum, quid de hoc puncto ſentiant Peripatetici. Duo illi ſtatuunt principia corporis naturalis, Materiam & formam: quarum natura per quaſdam antitheſes innoteſcet.

Materia inprimis per ſe turpis, & ignobilis eſt: *Forma* autem ſpecioſa, & ingenita nobilitate præcellens.

Materia improlis, & infœcunda: *Forma* naturali fœcunditate præſtans eſt.

Materia omnis ingenerabilis; *Formæ* multæ generabiles ſunt.

Ma-

Materia ſubjectum primum: *Forma* actus primus denominatur.

Materia eſt hoſpitium formæ, ejuſque cauſa: *Forma* vero eſt hoſpes materiæ, ejuſque effectus.

Materia in omnibus compoſitis ſpecie eadem: *Forma* in multis compoſitis ſpecie diverſa eſt.

Materia eſt ſubjectum quantitatis: *Forma* ſubjectum qualitatis.

Materiæ cauſalitas paſſio: *Formæ* cauſalitas actio nuncupatur.

Materia non tam perficit compoſitum, quam in compoſito perficitur: *Forma* è contrario non tam perficitur, quam perficit.

Materia eſt æterna à parte poſt (ut Philoſophi loquuntur): *Formæ* pleræque temporaneæ ſunt.

Materia informatur, & determinatur ad compoſitum: *Forma* informat, & determinat.

Materia ſine conſortio formæ materialis exiſtere poteſt: *Forma* materialis ſine conſortio materiæ exiſtere non poteſt.

Materia materiam non expellit: *Forma* vero & expellit formam, & à forma expellitur.

Materia eſt ſubjectum unionis cum forma, non modo receptivum, ſed etiam ſuſtentativum: *Forma* verò non niſi receptivum.

Materia ejuſque unio diverſa actione: *Forma* materialis, ejuſque unio eadem actione producuntur.

Materia omnis eſt corporea, & diviſibilis: *Formæ* complures ſpirituales ſunt, & indiviſibiles.

Materia dependet à forma à poſteriori: *Forma* dependet à materia à priori.

Materiæ unius productio, non eſt alterius materiæ expulſio: *Formæ* unius productio, eſt alterius formæ expulſio.

Materia in extraneo ſubjecto nullos: *Forma* complures effectus producit.

Materia ſecundum multos Philoſophos, eſt ſubjectum mediatum accidentium: *Forma* nec mediatum, nec immediatum.

Materia formam perfectiorem ardentius appetit, quam imperfectiorem: *Forma* æquali in omnes materias appetitu fertur.

Materia habet cauſam ſui activam, non paſſivam; *Forma* & activam & paſſivam.

Materia inter ſubſtantias deſpicatiſſima, & poſtremæ notæ eſt: *Forma* verò inter primæ notæ ſubſtantias non poſtrema eſt.

Materia generationis omnis principium; *Forma* immediatus finis, & terminus eſt.

Materiam Ægyptii fæcem: *Formam* alii facem, à ſplendore, quem univerſo tribuit, appellarunt.

Materia ab Ægyptiis ſubobſcuræ Lunæ: *Forma* ab aliis Illuſtriſſimo Soli comparatur. Ut enim Luna alieno fulgore conſpicua eſt, ita materia non niſi adventitio ornatu reſplendet. Forma verò domeſticis propriisque dotata, ac ditata opibus, nullam felicitatis ſuæ partem aliunde emendicat.

Materia in homine proceſſu ætatis, & accidentaliter, & ſubſtantialiter: *Forma* verò, non ſubſtantialiter, ſed accidentaliter mutatur.

Materia à Platone parvum, imò non ens: *Forma* verò ab Ariſtotele ens pulchrum, ens optimum, ens divinum appellatur. Pulchrum quidem, quod materiam condecoret, totamq; mundi ſcenam ſpectanda varietate exornet. Optimum verò, quod ſit quidpiam per ſe maximè perfectum, & appetibile. Divinum denique, quod ſit adumbrata quædam divinæ naturæ participatio.

Mate-

Materiam Platonici multitudinem, & causam divisionis: *Formam* Pythagoras appellat unum, propterea quod incertam & vagam materiæ rationem in unam certamque speciem contrahat.

Materiam Plato dissimilitudinis regionem, *Formam* verò similitudinem: *Materiam* Aristoteles matrem: *Formam* Platonici divinam sobolem appellant.

Materia ab omnibus ens per se incognoscibile: *Forma* à multis character dicitur, quod unicuique rei quandam veluti notam imprimat, qua cognosci, & ab aliis distingui possit.

Materia denique, si veterum placitis subscribamus, propè nihil est: *Forma* prope omnia.

DISCURSUS VIGESIMUS QUINTUS.

EX MUSURGIA.

De Naturâ Musicæ.

PRÆFATIUNCULA.

MUsurgia, sive Musica, est ars bene canendi, quæ in tres species dividitur. Nam aut modulata vocum varietate constat, & Vocalis (*græcè* Harmonia) *dicitur: aut instrumentis arte ad id compositis editur, & vulgò* Instrumentalis (*græcè* Organica) *appellatur: aut vox cum instrumentis conjungitur, & latinè* Mixta, (*græcè* Symphonia) *vocatur.*

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit, & quomodo dividatur Musica?

MUsica est scientia bene canendi, cujus objectum, & effectus est cantilena harmonica.

Dividitur Musica 1. in Gregorianam & Ambrosianam. Illa est choralis, hæc figuralis: utraque sic dicta ab

ab autore. Prior ſolet etiam dici vetus & plana: poſterior menſuralis & nova.

Dividitur 2. in Lydiam, Phrygiam & Doricam. Prima eſt humilis & remiſſa: Secunda vehemens & incitata: Tertia mediocris & media.

Dividitur 3. in veterem, mediam & novam. Vetus dicitur, quæ olim fuit apud Hebræos, Græcos & Latinos. Nova, quæ ab anno Chriſti 1000. cepit, hodieq; durat. Media, quæ inter terminos utriuſq; continetur. Porrò qualis fuerit Muſica vetus Hebræorũ aliorumq; Orientalium, ignoratur. Ad Græcos quod attinet, ſolebant illi, ut ex Boëtio conſtat, literas Græcas adhibere loco notarum; & quidem ita, ut ſi pſallendum eſſet, nota indicaret nervum, ſi vero canendum, ipſam vocem. Exemplum hujus antiquæ Græcorum Muſicæ adducit Vincentius Galilæus ex Bibliotheca Vaticana.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Muſica moderna ſit nobilior priſcâ?

NEgat hoc Puteanus in Muſathena, his verbis: Hodie in umbra tantum priſcę illius artis canimus aut pſallimus, fuco quodam non ſolũ difficiles, ſed languidi etiam & inſuaves. Ubi nunc Aſclepiades, qui ſeditiones accenſas cantu inhibuit? Ubi Damon, qui temulentæ juventutis petulantiam muſicorum modulorum gravitate perdomuit? Ubi Thales Cretenſis, qui organica ſuavitate morbos ac peſtilentiam fugavit; At noſter omnis cantus inſidias quasdam auribus facit, animum non capit. Ubi David, qui muſica ſua inquietum Saulis ſpiritum ſedavit, ut ſacra teſtatur hiſtoria? At Muſica hodie (inquiunt nonnulli) ad culmen ſuum pervenit; non abnuo, ſi varietatem harmoniæ ſpectes; ſi vero vim & efficaciam conſideres, plane abnuo.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA.

An Musica sit homini utilis?

PRæclara in Hominem humanumque genus à Musica promanant emolumenta. Illa enim interiora animi penetrat, affectus movet, contemplationem promovet, tristitiam pellit, humores pravos discutit, spiritus animales exhilarat: adeoque universæ hominum vitæ est utilis: piæ ad devotionem, sapienti ad scientiam, solitariæ ad recreationem, domesticæ & publicæ ad animi moderationem, sanæ ad corporis temperationem, jucundæ ad oblectationem. Hinc Diabolus odit Musicam, quâ è contrario delectantur sancti Angeli, non quod ipsos afficiat harmonia corporea, sed quod omnis harmonia (præsertim illa, quæ cum affectu piæ voluptatis conjuncta est) castissimis illis spiritibus vel ideo placeat, quia Deo placet. Unde quidam ait Deum esse autorem & fautorem omnis harmoniæ. Harmonia siquidem est ordo, & tendit ad unitatem. Deus autem est autor & fautor omnis ordinis, estque summa unitas. Deinde Deus est summum & ineffabile gaudium, ideoq; qui recte gaudent, Deo sunt propiores. Hinc Rabbini dicunt: *Spiritus S. canit de medio gaudio.*

QUÆSTIO QUARTA.

An Musica sit scientia subalternata Arithmeticæ?

REsponsio est affirmativa. Quemadmodum enim Arithmetica disserit de numero: ita Musica versatur circa numerum sonorum, vel, ut alii loquuntur, circa sonum numerosum. Itaque sicut Optica dicitur specialis quædam Geometria, ita Musica vocari potest specialis quædam Arithmetica.

QUÆSTIO QUINTA.

Quæ & quot sint literæ, vocesq; musicales.

LIteræ musicales radicales sunt septem: A. B. C. D. E. F. G. quæ moderantur sonos in scala Musicali. Usita-

Usitatè dicuntur *Claves*, quod iis cantilena veluti referetur. Inventæ sunt hæ sex notæ literales à Guidone Aretino peritia Musicæ clarissimo, qui sub HENRICO III. Imperatore vixit; & prædictis notis literalibus adjunxit sex notas syllabicas, literalibus correspondentes; *Ut*, *Re*, *Mi*, *Fa*, *Sol*, *La*; quibus voces musicales complentur. Porro notæ illæ, *Ut*, *Re*, *Mi*, *Fa*, *&c.* translatæ sunt ex hoc Hymno Ecclesiastico de S. Johanne:

UT *queant laxis* RE*sonare fibris*;
MI*ra gestorum* FA*muli tuorum*,
SOL*ve pollutum* LA*bii reatum*,
Sancte Johannes.

QUÆSTIO SEXTA.

Quid intelligant Musici per cantum mollem & durum? item per signa, fugam, pausam, tactum, scalam, intervallum?

RESpondeo 1. Cantum mollem dici eum, qui præfixam habet literam *b*: Cantum durum è contrario, qui literam *b*: non habet præfixam.

Respondeo 2. Signa alia esse primaria, alia secundaria. Primaria sunt nota & pausa. Nota est signum cantûs voce proferendi. Pausa est signum silentii intercanendum. Signa secundaria præcipuè sunt quinque *Primum* est, quo denotatur initium cantus. *Secundum* significat finem cantus. *Tertium* monet cantum esse repetendum. *Quartum* dicitur custos, quo monstratur, in qua clavi sit nota in principio lineæ sequentis. *Quintum* vocatur Diesis, significans notam, cui præfigitur, ficte esse canendam: soletq; sic efformari ⁂.

Respondeo 3. Fugam nihil esse aliud, quam repetitionem & imitationem quarundam partium artificiosiorem: cui opponitur repetitio & imitatio simplicior.

Alste-

Alſtedius *in Encyclopædia* Fugam vocat ornamentum Muſicorum ſpectatiſſimum, difficillimum, ingenioſiſſimum, efficaciſſimum, licentioſiſſimum.

Reſpondeo 4. Tactum muſicum eſſe numerativum ſoni muſici & harmonici. Cum enim omnis ſonus aliquo tempore duret; hæc ipſius duratio temporalis numerari poteſt: numeratur autem tactu muſico ſonus muſicus: qui tactus depreſſione & elevatione conſtat.

Reſpondeo 5. Per ſcalam muſicam intelligi ſeriem intenſionis & remiſſionis, ſeu aſcenſionis à gravi ſono in acutum; & deſcenſionis ab acuto in gravem. Fuit autem ſcala muſica veterum muſicorum rudior & ſimplicior ſcala moderna.

Reſpondeo 6. Intervallum muſicum conſiſtere in diſtantiâ, quam faciunt ſoni inæquales in cantu muſico. Porro in intervallo muſico ſonus gravis, eſt profundus & major: acutus, altus & minor. Quot ſint intervalla muſica, diſceptatur à rei muſicæ ſcriptoribus. Principalia, ſive præcipuè concordantia ſunt quatuor. 1. Ditonus, ſive perfecta Tertia. 2. Diateſſaron, vulgò Quarta, quæ eſt quatuor clavium diſtantia & comprehenſio. 3. Diapente, quæ à Muſicis appellatur Quinta. 4. Diapaſon, ſeu Octava, continens octo claves, & Tertiam, Quartam, Quintam includens harmonicè.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quænam inter muſicalia inſtrumenta principatum obtineant?

RĚſpondeo 1. Omnium inſtrumentorum muſicaliũ canonem ſeu regulam, matrem & radicem, eſſe monochordum: quod eſt ſimpliciſſimum & rectiſſimum inſtrumentum, una vel pluribus ſimpliciter uniſonis inductum chordis, & in certas partes ſecundum

dum proportionem harmonicam & numeros radicales, bisecando, trisecando, quadrisecando, & sic deinceps, divisum. In hoc instrumento omnes omnium numerorum musicorum proportiones accuratè observare possumus. Exemplum monochordi simplicissimum erit, si unicam chordam ligno apto superinducas, lignumque in tot partes dividas, adjectis certis notis, quot soni distincti existunt, si digitum chordæ applices.

Respondeo 2. Inter omnia musicalia instrumenta excellere testudinem: ita ut nulla inventio antiquorum aut recentiorum suaviorem edat concentum. Unde vulgò dici solet, harmonicum septem testudinum concentum efficere Musicam cœlestem.

QUÆSTIO OCTAVA.

An etiam Bestiæ quandoque Musicam addiscant?

NArrat Hieronymus Rorarius in eleganti libello, quo docet bruta sæpe melius uti ratione quam homines, vidisse se Circulatoris canem, qui inter alias artes edoctus fuerit musicam. Nam quoties herus & præceptor ejus libellum è sinu protulisset, notis musicis inscriptum, canem ad genua exilientem, canenti non modo adstitisse, & attendisse, verum etiam affectatum succinuisse, voce modo acuta, modo gravi, jam spiritu continuato in longum protracta, jam inflexo variatâ: risu diffluente spectatorum turba.

Alcairi camelus ad sonitum tympani saltare hoc artificio edoctus fuit. Juvenculus in hypocaustum introductus fuit, cujus pavimentum subjecto igne non leviter calebat. Eodemque tempore pulsatum præ foribus tympanum. Camelus caloris impatiens, pedem alterum elevavit, continuatoq; per annum exercitio, ita huic corporis commotioni assuevit, ut in publicum productus, calidi pavimenti memoria ad sonitum

tum

um tympani alterna pedum erectione ſpectatoribus ltum muſicum repræſentaret. *Jonſtonus in Thavmagraphia, de quadruped. cap. 6.*

DISCURSUS VIGESIMUS SEXTUS.

EX OPTICA.

De Viſu, Viſione, & Viſibili.

PRÆFATIUNCULA.

Quemadmodum Muſica dicitur eſſe ſpecialis Arithmetica in auditu, ita optica cenſetur eſſe ſpecialis Geometria in viſu. Definitur autem Optica (quæ à Latinis vocatur Perſpectiva) hunc in modum: Eſt ſcientia tradens modum bene videndi. Quamvis enim id à natura nobis tributum ſit, ut videamus benè vel malè; ſciendum tamen eſt, benè videre in allata definitione non idem eſſe, quod ſanum & acutum viſum habere (hoc enim pendet à recta oculi ſtructura) ſed rectè dijudicare viſibile, ejuſq; veritatem à fallacia diſcernere. Poteſt igitur fieri, ut aliquis bene videat phyſicè, id eſt, acutè & perſpicaciter, ſed non opticè, id eſt, judicioſè. Hinc ſolus Opticus dicitur bene videre.

QUÆSTIO PRIMA.

Ad quantum ſpatium Viſio ocularis ſeſe extendat?

Res hæc diverſis aſſertionibus explicanda eſt, juxta multiplicem ſenſum, in quo propoſita quæſtio intelligi poteſt.

ASSERTIO PRIMA.

Quanta ſi ſemidiameter Horizontis viſibilis in terra, ſive quanta ſit linea ab oculo noſtro ad punctum terræ remotiſſimum, quod ablatis omnibus montium & ædificiorum impedimentis, videre poſſimus, eſt adhuc in-

certum, teste Fromondo *lib.4.cap.5. articul.3. in commentat. Meteorolog.*

Proclus existimat esse mille stadiorum, id est, 125 milliarium Italicorum, sive fere 42. Belgicorum.

Sed hæc longitudo (inquit Plempius *in Ophthalmographia lib.4.*) est quintuplo major justo, si oculum non è monte, sed è superficie terræ spectantem accipiamus. Unde etiam Daniel Barbarus *in Vitruvii lib.8.cap.3.* nimis liberalis est, dum lineam illam visualem ad 500. stadia extendit.

Longe parcior est Bodinus, qui *lib.2.theat.* quatuordecim tantum milliaria computat: quousque (ait ipse) solent apes volare, cum longissimè ab alveari ad florilegia & labores mellificos evolant.

Macrobius *lib.1. in Somn. Scipion. cap.15. & lib.7. Saturnal. c.14.* centum & octoginta stadia statuit, id est, milliaria Italica 22. cum dimidio: satis consentienter Alhaseno *lib. de crepusc.* dicenti: *Cum videns est super æqualitatem terræ, non pervenit visus ejus, nisi quasi ad 23. milliaria ab omni parte.*

Nautæ tamen hunc numerum nonnihil imminuunt, idque colligunt ex quotidiana experientia, quæ docet, intra sextum milliare Belgicum emergere denique summa vela navium in Oceano.

Ego sentio cum Fromondo supra citato *lib.5.cap.5. art. 2.* docente, quod oculus humanus sex pedibus (quanta est altitudo justi hominis) à superficie terræ elevatus, non ultra tria milliaria Italica, sive unum Belgicum, per glaberrimam etiam telluris superficiem visionem extendere valeat. Atq; hunc admittit aspectum, aut in terris æqua, aut in pelago tranquilla superficies, quæ nullum oculis objicit obstaculum.

ASSERTIO SECUNDA.

Visio distincta & clara rerum, non extremis, sed me-

diis

diis coloribus affectarum, si cætera ad videndum requisita non desint, duobus circiter stadiis terminatur, id est, passibus 250. sive pedibus 1250.

ASSERTIO TERTIA.

Visio in altum longissimè, & in spatium penè immensum protenditur. Nam stellas noctu sudo cœlo conspicimus: at quanta spatii intercapedine distant stellæ ab oculo nostro?

Quod si nosse cupias, cur, si visus attollatur in altum, ad tanta spatia excurrat, secus, si porrigatur in rectum?

Respondeo, id non provenire ex naturali limitatione oculi nostri, sed merè per accidens contingere; eò quòd gibbus terræ vel maris inter visum & rem visilem interjiciatur, quod non fit dum sursum aspicimus; hinc res longissimè à nobis remotas cernimus aspiciendo in altum, quas aspiciendo linea visuali recta conspicere non possemus. Cæterum hoc, ut dixi, non oritur ex limitata oculi nostri potentia visiva, quæ quantum ex se est, infinitè extenditur, nec ullis distantiæ finibus coërcetur; sed ex imperfectione objecti seu rei visilis, quæ species visibiles (per quas visio perficitur) non potest ad quamcunque distantiam localem emittere.

QUÆSTIO SECUNDA.

Cur obtusè videntes, ut videant acutiùs, palpebras contrahant?

OBservamus myopes seu lusciosos, cum exactiùs accuratiusque objectum quoddam, aliquantulo spatio dissitum, contemplari cupiunt, palpebras contrahere, atque hoc pacto distinctius videre. Id ego in me ipso quotidie experior, & experiuntur etiam alii, similem nacti visum; Imò aliqui, nisi perpetuò oculis conniveant, ad singula objecta hebetes oculos experiuntur.

riuntur. Quod de Nerone commemorat Plinius *lib. 11. cap. 37.*

Hujus experimenti rationem aſſignat Ariſtoteles *ſect. 31. problem. 16.* ubi ait, *id fieri propter conſpectus imbecillitatem; ut enim manum rebus ſepoſitis admovent, ſic palpebras juxta poſitis perinde quaſi manum adjiciunt. Quod ſanè faciunt, ut radius per locum ſeſe depromens anguſtiorem, congeſtior profluat, ne protinus ex patulo proficiſcens diſtrahatur. Videt autem is acutius, qui frequentior collectiorque prodierit.*

Sed hæc ratio Ariſtotelica ſupponit viſionem fieri per radiorum ex oculis emiſſionem: qua ſententia, tanquam rationi & probabiliori philoſophiæ diſſentanea, negata, corruit fundamentum prædictæ reſolutionis.

Vera igitur ratio conſiſtit in eo, quod ideo luſcioſi conniveant oculis, ut palpebrarum limbo, inſertiſque ciliis umbram faciant pupillæ, excludantque cœli lucem, qua imago viſionis, in retina (ubi illa velut in tabella depingenda eſt) opprimitur. Quo enim oculi camera minus admittit lucis, eò vivacius diſtinctiùſque in ipſa viſibilis objecti repræſentatio exhibetur. Itaque contractio illa ſeu conniventia palpebrarum non niſi de die & in aëre lucido luſcioſis conducit, non autẽ noctu & aëre tenebricoſiore: in quo tantum abeſt, ut contractio illa quidquam ad exactiorem viſionem conferat, ut potius obſit; nam lux tum deſideratur, ac proinde per palpebrarum contractionem non eſt excludenda. Unde manifeſtè convincitur non contrahi palpebras ob congeſtiores ſpiritus viſorios foras ejaculandos, ut exiſtimat Ariſtoteles: neque etiam propter unitiores ſpiritus intrò recipiendos; quia alias tam in obſcuro, quam claro aëre contractio illa viſum confortaret; conſtat autem, quòd in obſcuro hebetet aciem oculi, nedum confortet.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA.

Cur myopes communiter minusculos characteres, dum scribunt, formare consueverint?

ARistoteles (qui hoc quæsitum bis sibi discutiendum proposuit, problem. 8. & 15.) sic respondet, afferendo duplicem rationem.

Primò, *quia lusciosis proximè posita magna esse videntur: illi autem oculis proximè admotis scribere solent.*

Secundò, *quia lusciosi contractis palpebris scribunt: fit enim per imbecillitatem, ut si laxatis diductisque oculis scribant, aspectus distractus hebescat: si adductis & conniventibus, universim depromptus acutiùs videat; quod autem angulum informat exiguum, efficit necessariò, ut exiguæ litteræ scribantur.*

Ego sic statuo, ad quæ propè oculos admoverint lusciosi, ea exactè ipsos perspicere, & quidem etiam penè exactius, quam qui acutè alias cernere dicuntur. Cum ergo oculis proximè admotis (ut rectè Aristoteles) scribere soleant lusciosi, ut exiguas forment litteras, utpote quas distinctè accuratèque comprehendant: tales enim tantæque scribi solent litteræ, quales quantæque à visu distinctè possunt figurari.

Cæterum monendi sunt lusciosi, quòd quò minutius scribere consuescunt, eò curtiorem sibi reddant visum, & myopiam suam augeant, quia oculum assuefaciunt ad proxima solum videnda.

QUÆSTIO QUARTA.

An Sonus vehemens officiat visui?

PAradoxa videri posset hæc quæstio (quomodo enim visus offendi potest à sono, qui est objectum auditus?) nisi Schenckius lib. 1. observationum à se compilatarum testaretur, sibi notum esse Civem Argentinensem, qui ex horribili bombardarum tor-

mentorumque explosione visum subitò amiserit; cùm tamen in ejus oculo nulla labes aut macula extrinsecùs notari potuerit.

Ratio autem prædicti effectûs triplex potest assignari.

Prima petenda est ex subita & multiplici coruscatione ignis bombardarii & tormentarii, radiis suis oculos ferientis: Secunda ex vehementia aëris, spiritus visorios dissipantis: Tertia ex impetuoso motu ejusdem aëris ab horrendo fragore causato, quatenus humores oculi commovet & conturbat, atque insuper nervos opticos obstruit, per illapsum humoris à cerebro defluentis. Si enim fragor ille ac motus terram ipsam & tota nostra corpora vehementer commovet, quid ni possit etiam commovere humores oculi, atque efficere, ut agitato in cerebro pituitoso humore (præsertim quibus is est copiosior) facilè ille in nervos opticos adigatur, eosque obstruat. Atq; eadem ratio locum habeat in iis, quos ex pluribus sternutationibus in cæcitatem legimus esse derepente prolapsos.

QUÆSTIO QUINTA.

An fieri possit, ut aliquis per nasum videat?

CUriosissimam hanc & planè paradoxam quæstionem movet, atque etiam affirmativè resolvit Felix Platerus *lib.1.prax.* & Joannes Rungius *in disput. de Vis. sympt.* Platero consentit. Sed addo hiscè duobus testibus fide dignis alium oculatum, videlicet Henricum Smetium, qui monstrum hujusmodi oculis suis conspexit. Cæcum quendam (inquit ipse *lib. 5. miscel. med. epist. 13.*) utroq; oculo orbum, naso pro oculis utentem vidi, cujus beneficio objecta omnia discernebat. Is dextro oculo ante annos multos, cum puer esset, privatus fuerat. Tandem juvenis factus (rusticus erat)

erat) ex cerafo in palum dumi ligneum faftigiatum delapfus, vultum ita impegit, ut nafum unà cum oculo finiftro, gena, palpebrâ utraq; & fupercilio difrumperet, adeò fœde, ut chirurgus oculi globum evulfum prorfus crederet, eumque palo inhæfiffe. Cicatrice tandem inducta, poft annum ab accepta plaga, dum in gramine apricatur, fore lucem ac flofculorum candorem humi animadvertere occepit per nafi cavitatem: & jam per quinque aut fex annos continuos vifionem eo modo exercuit, ut quidquid offeratur, nafo oculato diftinguat exactè, fed defpectando: fufpectando enim lucem ferre nequit. Hucufque Smetius.

Caufam porro modumque portentofæ hujus vifionis declarat idem Smetius, videlicet, quod ficut palpebrà fuperior abrupto mufculo attolli amplius non poterat, fed conglutinata cum adnata oculi tunica coaluerat; ita etiam avulfo mufculo, qui oculum verfus angulum externum retrahere folebat, pupilla in angulum nafi internum fe prorfus abdiderat, & quia offilla nafi non fracta modò, fed & luxata quodammodo, concinnè reftitui non potuerunt, accidit, ut nafus preffior latiorque, finiftrâ præfertim parte, evaferit: adeòq; ejufdem naris meatum patentiorem curatio reliquerit: per quem diftorta latitanfque pupilla videndi munus obibat, & res quaslibet nafo obvias internofcebat quafi per dioptram feu fiftulam. Itaque in cafu pofito conftat globi ocularis, ipforumque visûs inftrumentorum falvam atque integram extitiffe compagem, etfi fecus crediderat chirurgus, & adftantibus perfuaferat.

Sed multò portentofius eft, quod olim Heidelbergæ contigiffe à Matthæo Waggero narratum fibi fcribit Kepplerus: quendam fcilicet oculo altero amiffo, altero manûs palmâ tecto, fi fplendens quidpiam infra nares objiceretur, fplendorem agnofcere, atque etiam

internoſcere quodammodo potuiſſe. De quo portento optico quid ſentiendum ſit, reſolutio ſequentis quæſtionis demonſtrabit.

QUÆSTIO SEXTA.

An fieri poſſit, ut quis oculo altero amiſſo, altero palmâ manus tecto viſionem exerceat?

POſſe id fieri in caſu quæſtione præcedenti ſub finem declarato ſenſit Kepplerus, adeòque credidit oculo eruto produci poſſe viſionem. Quod ſanè non paradoxum eſt. Sed audiamus rationem & modum hujus tam prodigioſæ viſionis.

Exiſtimat Kepplerus in caſu illo ſpiritum animalem lucis & colorum fuiſſe receptorem, cum hæ qualitates alias, dum oculus integer eſt, in tunica retina recipiantur. Lucem verò & colorem, ait Kepplerus, per hiatum aliquem è naſo ſurſum in vacuam oculi cameram, & caput atque nervi viſorii extremitates, ſpirituum ſedem, intraſſe.

Sed revera Kepplerus rei falſæ per falſas rationes patrocinium ſuſcipit. Certè enim ſpiritus animales lucis & colorum minimè capaces ſunt, quaſi in ipſis, velut in tunica retina lucidorum & coloratorum imagines picturentur: ſunt enim corpuſcula fluida, neque ſtabilia, neque opaca (ad rectam autem viſibilium picturationem corpus ſtabile & opacum requiritur) ſed eatenus tantùm lucis colorumquè capaces ſunt, quatenus retinæ tunicæ vel immerſi, vel inſiti, illuſtrationem ab ipſa participant. Quod de meatu ſive hiatu ſubjungit Kepplerus, id negatur ab Anatomicis, qui nullum talem meatum agnoſcunt.

Itaque in caſu propoſito exiſtimandum eſt, homini illi oculum minimè erutum fuiſſe, ſed tale quid fortaſſis ei obtigiſſe, quale de Smetiano ruſtico quæſt. præcedenti

lenti commemoratum eſt. Quocirca deceptus fue-
it Waggerus, dum ſecutus opinionem vulgi, credidit
oculum verè amiſſum fuiſſe. In quem errorem pro-
apſum eſſe Virum Juris, quam Medicinæ peritiorem,
nemini mirum videri debet.

QUÆSTIO SEPTIMA.

An quorum animalium præſtantior eſt odoratus, eorum viſus ſit debilior?

OPinio Cardani eſt, eos, qui bene & procul vident, debilem ſortitos eſſe olfactum: & è contrario, qui bene olfaciunt, plerumq; non procul videre. Quod hac ratione confirmat: *quia*, inquit, *oculus in frigido & humido: odoratus facultas in calido & ſicco conſtituta ſunt, atque in propinquis locis.*

Diſplicet hæc opinio 1. quia utriuſque dictæ facultatis organum non adeò eſt propinquum, ut propter illam propinquitatem unum ab altero labefactetur.

Diſplicet 2. quia odorandi facultas non in ſummè calido & ſicco conſiſtit, ſed in iis qualitatibus moderatè ſibi invicem attemperatis: quâ quidem moderatione præditum ſenſorium non poteſt viſus ſenſorio officere, quod humidum & frigidum eſt.

Diſplicet 3. quia ſimia, cujus oculus videndi facultate nulli cedit quadrupedum, odoratu adeò præſtat, ut guſtare nihil aggrediatur, quod non prius exploraverit odore; quæ vis (inquit Scaliger *exercit.* 298.) tam ei præſto eſt, ut non ad nares applicet, quod ſentire velit: ſed ſupra nares admotum celerrimè apprehendat. Canibus item & acies videndi acutiſſima, & vis odorandi præſtantiſſima eſt.

QUÆSTIO OCTAVA.

Cur potores Aquæ sint visu acutiores, quàm potores vini?

BReviſſimè ad hoc reſpondens Alexander Aphrodiſæus *Sectione 5. problem. 54.* quoniam, inquit, multum vinum ſpiritalibus fumis videndi ſpiritum perturbat.

Sed quid ſi vino moderatè utamur; tunc enim cerebrum ſpirituſque viſorii non ita calidis vini fumis turbabuntur?

Dicendum nihilominus eſt, quod dicit Ariſtoteles *lib. 2. de partib. animal. cap.* 10. ſenſuum operationem eſſe ſubtiliorem & clariorem ob cerebri frigiditatem, paucitatemq; caloris; calidioris enim ſanguinis agitatio officium ſentiendi intercipit. Jam verò potatione vini ſanguinem agitari & calefieri, perſpicuum eſt.

Objicies. Animalia calida cerebro prædita ſunt calidiore, & tamen illa acutiùs vident, ut aquila: ergo cerebrum frigidius non reddit acutiorem viſum.

Reſpondetur ex doctrina Ariſtotelis, acutè cernere duobus modis accipi poſſe: aliquando idem eſt, quod eminus res proſpicere: aliquando idem, quod cominus rerum differentias diſcernere; atq; ab hoc poſteriori modo propriè viſus acutus debet appellari: à priore minùs propriè; is enim ſenibus convenit, quos nemo facilè dixerit acutè cernere. Hoc ſenili modo etiam Aquila cernit res longinquas: vicinas verò non diſcernit exactè; dura eſt enim & ſicca ob cerebri caliditatem ejus tunica retina: quapropter etiam ſolem fixo obtutu poteſt inſpicere.

QUÆ-

QUÆSTIO NONA.

Cur lusciosis prosit, si aversi curru vehantur: obsit verò, si vehantur adversi?

QUæstionem hanc pertractat eruditissimus Plempius *lib. 4. Ophthalmographiæ*, ubi ait: consulunt hoc aliqui practici lusciosis sive myopibus, ut scilicet, cum curru vehuntur, sedeant facie aversa ab equis, non conversa ad equos, & rectè consulunt; talis enim vectio egregiè visum eorum potest emendare.

Cujus ea est vera causa, quia lusciosi propinqua tantùm discernentes, retinam oculi tunicam (in qua formatur visio) nimiùm habent reconditam, seu à pupilla remotam: ac proinde, ut visus eorum emendetur, opus est eis remedio, quod retinam antrorsum accersat. At nullum oportunius tali vectura: nam à singulis objectis, quæ modò propinqua erant, mox sensim recedunt, & simul etiam sensim prolicitur antrorsum tunica retina. Adeò ut visus nullo alio pacto felicius naturaliusque ad res remotas contuendas ac discernendas possit assuefieri, dummodo frequenter talis vectura instituatur. E contrario autem dum conversa ad equos facie sedent lusciosi, obfirmant in situ suo vitioso retinam. Posito enim, quod retina jam in procinctu esset, ut antrorsum accederet ad objecta remotiora percipienda: reipsa tamen non potest accedere, quia mox illa eadem remotiora fiunt propinqua: atque ita perpetuò non nisi propinqua cernere perseverat.

QUÆSTIO DECIMA.

An verum sit, quod ajunt quidam, reculam quampiam oculo illapsam, altero oculo clauso, sponte excidere?

MUlti existimant (inter quos est Aëtius *serm. 3. c. 17.*) si culex, vel aliud animalculum, vel recula

quæ-

quævis in oculum illapſa fuerit, altero oculo clauſo, & eo, qui affectus eſt, aperto, ſua ſponte elapſuram.

Hinc experimenti cauſam inveſtigans Alexander Aphrodiſæus *ſect. 4. problem. 58.* inquit, *videndi ſpiritum à clauſo oculo retentum, in patentem oculum tendere ipſumque implere ac tumefacere, atque ita extrudi ejici quod in ipſum deciderat, utpote imbecillum, adde quod ipſe erumpens confertim ſpiritus per oculi ſpiramenta illam extrudat beſtiolam.*

Omnia hæc falſa arbitror; non enim erumpit per oculi ſpiramenta viſivus ſpiritus, neq; altero clauſo alter oculus à ſpiritu illapſo tumeſcit, nec denique illapſa res altero oculo clauſo elabitur; cùm hoc nulla experientia teſtetur.

QUÆSTIO UNDECIMA.

An oculis dormire apertis ſit magni mali indicium.

PLinius *lib.* 11. *cap.* 37. non modò lepores, ſed etiam multos homines oculis dormire apertis teſtatur. Julius item Scaliger *comment. in Ariſtot. hiſtor. de animal. lib.* 4. *c.* 10. ægrotam matronam vidiſſe ſe ſcribit apertiſſimis oculis ſomnum capere. Nos aliquot vidimus (inquit Plinius ſupra citatus) qui ex dimidio apertis, ex dimidio clauſis oculis dormirent. Hoc Hippocrates in Prænot. magnum malum portendere in morbis aſſerit: ſed neſcio an fidem mereatur. Scimus enim (inquit celebris quidam medicus Amſterdamenſis) nonnullis hominibus ita dormire naturale eſſe: novimus quibusdam conſuetum, quibusdam morboſum, nequaquam tamen periculoſum eſſe; naturale quidem eſt iis, quibus in utero ſuperior palpebra ob materiæ defectum & conformationis vitium brevior formata eſt: conſuetum verò iis, qui ab incunabulis ſurſum vel retro continenter ſpectare aſſueti ſunt: morboſu

ſum denique, quibus palpebra ab ulcere vel vulnere
rſum retracta.

QUÆSTIO DUODECIMA.

An ſit ſignum ſecuturæ mortis, ſi pupillæ oculorum in ægro non reddant imagines?

QUæſtione non indignum eſt, num veritati conſentaneum ſit, quod ſcribit Plinius *lib.* 28. *cap.* 6. bi ſat clarè affirmativam propoſitæ quæſtionis partem mplecti videtur. *Augurium*, inquit, *non timendi ortem in ægritudine, quamdiu oculorum pupillæ imagiem reddunt.* Plinio conſentiens Servius, tradit, in orituris triduo antè non apparere pupillarum imaines. Ego (inquit Plempius *lib.* 5. *Ophthalmographiæ*) lane hoc falſum ſcio; quia vidi ſæpius non ſolùm moriurorum, ſed & mortuorum pupillas reddere imagies. Nam pupilla reddit objectorum imagines, quia unica cornea lævis ac nitens reflectit appulſas ſpecies; uamdiu ergo illam lævitatem nitoremque non amittit ornea, tam diu reflectentur ſpecies, adeòque imago in upilla exhibere non deſinet. Atqui & inſtante morte, poſt mortem cornea lævis manet ac nitens; ac proine in utroque ſtatu reddit imaginem.

QUÆSTIO DECIMA TERTIA.

An oculus ſit temperamenti aquei, vel ignei?

OCulus eſt temperamenti aquei, non ignei: ut bene docet Ariſtoteles *de ſenſib. c.*2. Nam corpus aqueũ magines rerum veſtibilium facilius recipere, & diuiùs ſervare poteſt quàm igneum. Ipſa quoq; praxis anaomica, & ocularis inſpectio, aqueũ oculi temperamenum comprobat. Galenus cum Platonicis contrarium entit, propterea quòd oculus fulgorem ex ſe emittere oſſit, ut in cattis, lupis, leonibus, noctuis, & quibus-

dam

dam hominibus videre eſt: quales fuerunt Tiberiu Cæſar, Cardanus, & ſimiles, quos Nyctalopes appel lant. At experimur etiam ligna putrida, ſquamas piſ cium & ſimilia in tenebris micare, quæ tamen non ſun ignea. Huc accedit, quòd humor cryſtallinus, & ſpi ritus opticus, ſi valde ſint puri & ſubtiles, lumen ex ſ gignant, & extra oculum emittant: quod in tenebri conſpicitur non de die, quia interdiu lumen majus ob ſcurat minus. Denique ſicut ex vehementi colliſion ſilicis & ferri elicitur ignis: ita cùm oculus vehemente movetur, fit, ut ex eo fulgor quidam emicet: quòd ex perientia quotidiana teſtatur.

DISCURSUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

EX GEOGRAPHIA.

De Partibus Terræ.

PRÆFATIUNCULA.

Geographiæ objectum primarium eſt Terra: unde & nomen habet. Per terram autem hic intelligitur etiam aqua. Terra enim & Aqua unum conſtituunt globum.

CAPUT I.

Doctrinæ Præliminares.

Prima. Geographia nihil eſt aliud, quàm doctrina de diviſione terræ hiſtorica, ejuſque repræſentatione. Porrò diviſio terræ hiſtorica, vel eſt naturalis, vel civilis. Naturalis eſt, quæ fit per terminos naturales; uti ſunt maria, fluvii, ſinus. Civilis eſt, quæ fit per terminos politicos, videlicet regiones, regna, provincias, territoria, juriſdictiones.

Secunda. Terra alia eſt cognita, alia incognita. De terra cognita infra differetur. Terra incognita voca-

ocatur, quæ nondum perluſtrata eſt, dividiturque in ;orealem & Auſtralem. Illa eſt ſub Polo Arctico : Iſta ıb polo Antarctico.

Tertia. Octo ſunt principales Terræ partes: Septen- rionalis incognita , Auſtralis incognita, Subborea- is & Subauſtralis cognitæ, America, Europa, Africa, ıſia.

Quarta. Terra Septentrionalis incognita eſt Re- io Hyperboreorum. Hyperborei autem dicuntur, uòd ſub polum ita vergant, ut Boreæ flatus non ſen- ant, utpote ſupra ipſum ſiti.

Quinta. Terra incognita Auſtralis planè ignota eſt; uia quidquid ſub Polo Antarctico terrarum jacet, id ullius hactenus peregrinationibus luſtratum eſt. Con- :at tamen terras ibi eſſe & quidem vaſtas ac longè la- èque diſperſas : licet non conſtet, quomodo illæ con- :itutæ & comparatæ ſint.

Sexta. Partes Europæ Occidentales ſunt Hiſpania : Gallia. Hiſpania olim diſcreta fuit in Provinciam ;æticam, Luſitaniam, Tarraconenſem. Hodie ſub *Lu- ſtania* eſt Regnum Portugalliæ, pars Caſtiliæ veteris, ɔarsque novæ. Sub *Bætica*, Granata & Andaluſia, & :ſtremadura. Sub *Tarraconenſi*, Murcia, Valentia, Catalonia, Arragonia, Navarra, Biſcaja, Aſturia, Can- abria, Gallæcia, Legio, Caſtilia vetus & nova, (ſeu Regnum Toletanum) ac Baleares Inſulæ, vulgò Majo- ica & Minorica dictæ : quibus à nonnullis accenſen- ur Ophiuſa & Ebuſus : è quibus illa ſerpentes fovet, ıæc fugat.

Septima. Gallia hodie dividitur in quatuor partes, . *Aquitania*; cujus Regiones ſunt Biſcaja, Bearnia, Bi- ;ornia Guienna, ſeu Caſconia, Borbonia, Pictones, Santones, Lemóvices, Petrocorii, Cadurci, Arverni, Bitúriges, Váſcones &c. 2. *Gallia Narbonenſis*; cujus Re-

Regiones ſunt Provincia (diviſa in ditionem Pontificis & Regis) Languedocia, Delphinatus ſuperior & inferior, Sabaudia ſeu Allóbroges. 3. *Gallia Lugdunenſis* cujus Regiones ſunt Britannia minor ſeu Gallica, ſuperior & inferior, Normannia, Ducatus Andegavenſis Belſia, Nivernia, Francia (ſpeciatim ſic dicta, in qua Regni Metropolis, Lutetia Pariſiorum) Campania Burgundia ſuperior & inferior (illa eſt Comitatus, hæc Ducatus) & Territorium Lugdunenſe. 4. *Gallia Belgica*; cujus Regiones ſunt. Picardia, Veromandui Cambrenſe Territorium, Bononiæ Comitatus, vulgo Bolougne &c.

Octava. Partes Europæ Septentrionales ſunt Inſulæ peninſulæ, continentes. Inſulæ ſunt vel majores vel minores. Majores ſunt Hibernia & Britannia ſeu Anglia cum Scotia. Minores ſunt Orcades 30. Hebrides 43. & Peninſulæ ſunt duæ, Scandia (ſub qua Lappia, Finlandia, Suecia, Norwegia) & Cimbrica Cherſoneſus. Continentes ſunt Germania ſuperior & inferior: è quibus illa dicitur Germania, hæc Belgium.

Nona. Partes Europæ Orientales ſunt, Tartaria minor, Taurica Cherſoneſus, Sarmatia Europæa, Hungaria, Tranſylvania, Dacia, Myſia, Thracia, Græcia.

Decima. Partes Europæ meridionales ſunt Illyricum & Italia. Illyricum ſive Illyris dividitur in Sclavoniam, Albaniam, Dalmatiam.

Undecima. Africa dividitur in Regiones & Inſulas Regiones ſunt 7. Numidia, Lybia, Nigritarum terra Æthiopia ſuperior & interior, Æthiopia inferior ſeu exterior, & Ægyptus. Inſulæ circa Africam ſitæ ſunt vel in Oceano Atlantico, vel in Oceano Æthiopico, vel in Oceano Orientali, ſeu Sinu Barbarico, ſive mari aſpero In Oceano Atlantico præcipuæ ſunt Canariæ, Inſulæ Portus Sancti, Madera, & Inſulæ capitis viridis. In

Ocea-

Oceano Æthiopico præcipuæ ſunt, Inſula Aſcenſionis Chriſti, S. Matthæi, Principis, ſcilicet Portugalliæ, S. Thomæ, S. Helenæ, Anni boni. In Oceano Orientali poſt Caput Bonæ Spei ſitæ ſunt Inſulæ innumeræ: in quibus eminent Madagaſcar & Zocotara, ſive Socotora.

Duodecima. Aſia hodie in quinque potiſſimùm partes diſtribuitur, quarum prima Tartaria ſeu Scythia Aſiatica. 2. China ſeu Sina, quæ continet urbes celebres 240. foſſis muriſque probè munitas. Regiam alii dicunt eſſe Paquinum, alii Xanthum, alii Quinſai, alii Nanquinum. 3. Indiæ, vetus & nova, ab Indo flumine dictæ, & olim diviſæ Gange flumine verſus Ortum & Occaſum: poſteriùs in novem partes ſectæ, quarum nomina, Cambaja, Narſinga (cujus urbs præcipua Meliápor à D. Thomæ ſepulchro clara: & nominatu frequens Comarinum Promontorium) Málabar (cujus præcipuæ Urbes Calecutum, Cochinum, Travancor &c.) Orixa, Bengala, Pegu, Sian (in qua Sian & Malacca Urbes celeberrimæ) Camboja. Partem Indiæ Septentrionalis tenet Rex Mogor. Japan Inſula Sinarum Regno ab Ortu objacet, uti & Corea; illius Metropolis Meacum eſt. 4. Perſarum ſive Sophorum Imperium: ſub quo comprehenditur Armuziæ Regnum peculiare. 5. Imperium Turcicum.

Decima Tertia. Univerſa Aſia dividebatur olim in majorem & minorem, Regiones majoris, Sarmatia Aſiatica, Scythia Aſiatica, Serica, Sinæ, Indiæ intra & extra Gangem, eoq; ſpectantes. In continente ſunt Gedroſia, Carmania, Drangiana, Arachoſia, Sogdiana, Parapamiſis, Bactriana, Hyrcania, Margiana, Parthia, Perſis, Suſiana, Media, Albania, Iberia, Colchis, Armenia, Meſopotamia, Aſſyria, Babylonia, Arabia (Petræa & Deſerta) Syria, Palæſtina (in qua Idumæa, Judæa, Samaria, Galilæa) Phœnice, Cilicia, Cappadocia, Galatia, Pontus,

Bithynia, Pamphilia, Lycia (proximæ quatuor provinciæ nunc appellantur Natolia) & Insula Cyprus. Regiones Asiæ Minoris sunt, Phrygia duplex, Mysia, Lydia, Caria, Æolis, Jonia, Doris & Insula Rhodus.

CAPUT II.

Proponuntur variæ Quæstiones Geographicæ.

QUÆSTIO PRIMA.

Quot complectitur Regiones Terra subborealis?

RÉspondeo, octo: quæ sunt Spitzberga, Grœnlandia, Islandia, Frislandia, Scetlandia, Icaria, Novazembla, & Fretum Waygatz.

Spitzberga est ingens Regio sub axe Septentrionali, à gradu 75. ad 82. à scopulorum & montium jugis acutis nomen sortita. Insulane sit, an continens, hactenus incertum est. Huc delati sunt Guilielmus Bernardi & Joannes Cornelii Batavi An. 1596. cùm per glacialem Oceanum quærerent viam in Regnum Cathay, & tractum omnem Sinensem per Fretum Anian. Regio illa omnis deserta ab hominibus ob acre gelu. Circa illam ingens est piscatio balænarum & morsarum, quas alii vaccas marinas, alii equos, alii elephantos, alii aliter appellant.

Angli narrant, equitem quendam Willougbæum Anno 1553. temporibus Eduardi VI. Regis primum mortalium has oras eminus aspexisse, & ex eo perperam asserunt, earum possessionem ad se pertinere. Cæterùm Spitzberga tota sita est sub Zona frigida. Mediterranea ipsius nemini adhuc sunt cognita.

Grœnlandia à virore nomen habens, est regio culta & fertilis, habens Præfectum, titulo Regis Daniæ imperantem. Continensne sit, an Insula, incertum. Hyems illic est novem Mensium: quo toto tempore ibi non pluit: æstas trimestris, Junio, Julio, Augusto.

Islan-

Islandia per 100. ferè milliaria Germanica in longi-
udinem protenditur. Qui circa medium hujus Insu-
æ habitant, maximum diem æstivum habent præcisè
4. horarum, & noctem unius momenti. Inventa cre-
itur hæc Insula Anno Christi 1100. Occidentem versus
abet montem Heclam, perpetuò flammas fumosque
ructantem: unde à multis creditur esse infernus, sive
arcer damnatorum.

Frislandia cœlum habet inclemens, regionemque
rugibus destitutam. Hinc incolæ sunt Ichthyophagi.
Angli, Scoti & Hollandi petunt inde pisces.

Scetlandia paret Regi Scotorum, putaturque esse
ntiquorum *Thule*, de qua Seneca: *Terrarum ultima
Thule.* Alii Islandiam, alii Grœnlandiam, alii Frislandi-
m arbitrantur esse ultimam Thulen.

Fretum Waygatz à parte dextra habet Samoitas, à
inistra barbaros quosdam, quorum vestigia conspecta
unt, ipsi nusquam comparuerunt.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quot sunt partes Terræ subaustralis cognitæ?

TErra subaustralis cognita, (quæ non nisi quoad lit-
tora est detecta) novem partes complectitur, vi-
delicet Psittacorum Regionem, Terram del Fuogo,
Provinciam, sive Regnum Beach, Regnum Lucach,
Regnum Maletur, Fretum Magellanicum, Novam
Guineam, Terram Ferdinandi de Quir, & Fretum Le
Maire.

Psittacorum Regio sic dicta est à Lusitanis ob incre-
dibilem avium istarum multitudinem: terra del Fuo-
go ab ignium copia. Cùm enim Magellanus fretum
illum (quod ab ipso dictum est Magellanicum) scruta-
retur, in parte sinistra visi fuère plurimi ignes sive foci.
Porrò Ferdinandus Magellanus fuit Lusitanorum Dux,
qui anno 1520. universum terrarum orbem circumna-

vigavit: idemque iter animosè poſtea confecerun Franciſcus Drack Anglus Anno 1579. Thomas Candiſch itidem Anglus, Anno 1557. & tandem felicior paulò ſucceſſu Oliverius von der Nort Batavus Anno 1600. Sed & Ferdinandus de Quir Hiſpanus, abſumptis eam in rem omnibus ſuis facultatibus, omnem terram Auſtralem luſtravit, emenſusque eſt ampliùs, quàm 20. leucarum millia. Narrat is illarum Regionum magnitudinem tantam eſſe, quanta ſit totius Europæ cum Aſia minore, uſque ad Mare Caſpium, cumque omni Perſia, omnibusq; Inſulis, tum Maris Mediterranei, tum Oceani Gallici & Germanici, ne Anglia quidem, Scotia, Hiberniaque exceptis.

Fretum *le Maire* ſternit expeditiorem ad Inſulas Auſtrales viam, quàm Magellanicum. Detectum eſt Anno 1616. unà cum aliquot Inſulis Auſtralibus.

QUÆSTIO TERTIA.

Quibus Inventoribus detecta eſt America, pars orbis maxima?

AMericus Veſputius Florentinus Anno 1497. auſpiciis Emanuelis Regis Portugalliæ, partem hujus terræ ultra æquinoctialem detexit, à quo tota regio nomen accepit. Primam hic glaciem fregit Chriſtophorus Columbus Genuenſis, qui auſpiciis Ferdinandi Regis Caſtellæ Anno 1492. partem hujus terræ Septentrionalem cis æquatorem invenit. Dicitur *Novus Orbis*, tum propter immenſam ipſius magnitudinem, quâ æquat Europam, Africam & Aſiam: tum propter diſſimilitudinem incolarum, arborum, animalium & ſimilium. Dicitur etiam *Atlantica*, quia vaſtiſſimo Oceano Atlantico ſeu Occidentali eſt circumfuſa. Denique appellatur *India Orientalis & Nova* à ſimilitudine incolarum cum Indis Aſiæ, quia omnes penè nudi incedunt:

edunt: vel, ut alii malunt, quòd inventa sit eodem empore, quo India Orientalis fuit à Portugallensibus ustrata.

QUÆSTIO QUARTA.

Quibus conjecturis usus est Columbus in inventione novi orbis?

QUidam existimant, Columbum ab Hispano quodam nauta, cui nomen Buxolæ, didicisse novum orbem ad Occidentem. At Petrus Martyr tradit, Columbum, cùm sæpe navigaret trans Gades in Portugalliam, observasse ventos quosdam statis anni temporibus ab occasu flare consuevisse, qui multos dies constanti & æquabili tractu spirarent. Quos cum non aliunde, quàm ex transmarina aliqua orâ, cujus halitu gignerentur, prodire posse judicaret, animum adjecit ad istius terræ inquisitionem. Natus itaque annos 40. consilia sua Senatui populoque Genuensi exponens, spopondit, se, si à civitate aliquot navibus instrueretur, novas insulas detecturum. Sed hæc Columbi commentatio, ceu inanis fabula, explosa fuit. Columbus itaque ad Henricum VII. & Alphonsum V. Portugalliæ Reges confugit: apud quos cùm nihil proficeret, operam suam obtulit Ferdinando & Isabellæ Castiliæ Regibus, eorùmque auspiciis An. 1492. optatum assecutus est finem.

QUÆSTIO QUINTA.

Quænam est inter partes Orbis præstantissima?

REspondeo, Asiam olim fuisse, nunc autem Europam esse præstantissimam.

Primùm probatur 1. Quia Asia est primi hominis Patria: unde omnes Posteri Adami sunt origine Asiani. 2. Quia Asia est primum Ecclesiæ domicilium, nobili-

tatum Politiâ Mosaicâ, Christi nativitate, prædicatio ne & morte. 3. Quia temperatissimo gaudet cœlo, & omnis generis deliciis abundat. Hinc in India Asiatica omnia dicuntur esse meliora, quàm in reliquis partibus, & Regio ipsa Regio paradisi appellatur. 4. Quia Asia fortissimorum Heroum patria est: putà Mosis, Josue, Alexandri Magni &c. 5. Quia primæ & maxima Monarchiæ in Asia fuerunt, ut Assyriorum, Persarum Græcorum: & nunc quoque amplissima ibi sunt regna videlicet Chinæ, Magni Cham, Turcæ: &c. 6. Quia literaturâ maximè excelluit. Primi enim Artium inventores & cultores fuerunt Hæbræi, Chaldæi, Ægyptii. Typographiæ quoque & machinarum bellicarum inventio prima debetur Chinensibus. 7. Quia omnis generis mercibus pretiosis abundat. 8. Quia est omnium amplissima.

Secundum probatur *Primò*, Quia Europa excellit aëris salubritate, qua non cedit Asiæ, tametsi cedat amœnitate. *Secundò*, quia Agricultura in nulla terræ parte ita viget, ut in Europa. *Tertiò*, quia Europa est omnium populosissima. *Quartò*, quia insignis est Europæ fertilitas. *Quintò*, quia Europæi artibus Mechanicis liberalibusque sunt superiores. *Sextò*, quia Imperia nusquam sunt celebriora, quàm in Europa. *Septimò*, quia Europæi religionis sanctitate cæteras orbis nationes superant.

QUÆSTIO SEXTA.

An Lusitania & Portugallia sint idem?

HOdie Lusitania dicitur Portugallia: licet nec tota Lusitania sit Portugallia, nec tota Portugallia in Lusitaniam incidat. Nam pars Lusitaniæ, quæ inter Tagum & Anam fluvium interjacet, sub Portugalliam non cadit, sed Regno Castellæ cedit. Pariter etiam Portugalliæ pars, quæ est inter Durium & Minium fluvium,

vium, ad Lusitaniam non spectat, sed est Jurisdictionis Tarraconensis.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Cur Septentrio appellatur vagina Gentium?

RESpondeo, quia ex illis oris innumeræ gentes, velut aves egressæ sunt: videlicet Gothi, Ostrogothi, Westgothi, Vandali, Franci, Cimbri, Hunni, Heruli, Rugi, Alani, Longobardi, Alemanni, & alii plures, qui Danubio & Rheno superatis, omnem Europam, & præsertim Italiam altricem Imperii & Dominam 400. & ampliùs annis, perpetuâ quadam Regnorum successione subjugarunt, & Romani nominis gloriam ferè omnem extinxerunt.

QUÆSTIO OCTAVA.

Quænam Insula est omnium maxima?

REgnum *Monomotapæ* in Æthiopia inferiore, situm est instar Insulæ inter duos ramos fluvii maximi, & in ambitu continet 750. leucas, seu tria millia milliarium. Insula *Madera* est ampla 160. gradibus, id est, milliaria Germanica 2400. *Madagascar*, seu Insula S. Laurentii in ambitu complectitur milliaria quater millena, & longitudine sua Italiam superat. *Macazaria*, Insula Indiæ Orientalis in ambitu colligit leucas 300. *Sumatra* obtinet ambitum 700. leucarum. *Anglia & Scotia* in ambitu comprehendunt 1836. millia passuum, id est, leucas Germanicas 459. Ex his patet, *Maderam* esse omnium Insularum amplissimam.

QUÆSTIO NONA.

Quænam Regio plurimis & maximis abundat fluviis?

HAc de re audiamus Maginum. Nulla est (inquit ipse) æqualis Regio Hungariæ, quæ pluribus

majoribusq; abundet fluviis, quorum laus est, eos esse navibus ferendis idoneos, ac piscosos. Inter eos quatuor sunt principaliores, *Danubius, Savus, Dravus, Tibiscus.* Horum tres priores communes sunt aliis nonnullis regionibus, sed Tibiscum (qui incredibili piscium multitudine abundat, ut ostendi in *Arte discurrendi de qualibet materia*) sola sibi vendicat Hungaria.

QUÆSTIO DECIMA.

Quænam sunt celebriores Urbes in Orbe terrarum?

INcipiamus ab Europa. In *Hibernia* excellit *Dublinium*, emporium nobilissimum & sedes Archiepiscopalis. *In Anglia* Londinum, Eboracum, Cantabrigia, Oxonium, Bristolia, Glocestria, Salopia, Vigornia, Bathonia. Ex his Londinum cum Orbis Christiani Emporiis de palma facilè contendit. *In Cambria*, sive *Wallia*, urbs Landoff, cui 165. Parochiæ subsunt. *In Scotia* Edinburgum, Scone, Alherdon, Sterlinga, Fordunum. *In Hispania*, Granata, Hispalis, sive Sevilia (ambitu sex milliarium amplitudine, Emporium celeberrimum & omnium Hispaniæ Urbium ornatissimum ditissimumque, quòd Regi suo quotannis sesqui millionem aureorum solvit) Corduba, Valentia, Murcia, Cæsaraugusta, Tolosa, Barzelona, Tarraçona, Compostella, Bajona, Burgos, Salmantica, Conimbrica, Vallisoletum, Toletum (ambitu 4. milliarium) Madritum, Palma in Majorica, Citadella in Minorica &c. *In Lusitania*, Lisbona, seu Ulissibona. *In Gallia* eminent Lutetia, Burdigala, Pictavia, Tolosa, Lugdunum, Rothomagum, Marsilia, Grationopolis &c. *In Belgio*, (ubi numerantur urbes munitæ, plures quàm CCX.) Lovanium, Bruxellæ, Antverpia, cum reliquis passim notis. *In Germania* (cujus Urbes celebriores,

utpote

utpote vulgò notiſſimas, non eſt, quòd prolixè commemorem) ſunt inter alias civitates Hanſeaticæ. Dividitur autem Hanſa Teutonica in 4. Regiones: Lubecenſem, Colonienſem, Brunſwicenſem, & Boruſſicam, habetq; ſibi ſociatas Urbes LXVI. nempe Vandalicas ſex, Pomeranicas octo, Boruſſicas ſex, Livonicas tres, Saxonicas tredecim, Weſtphalicas decem, Clivicas ſeu Marchicas ſeptem, Tranſiſalanas tres, Geldricas ſeptem, Friſicas tres. *In Bohemia* excellit Praga Tri-Urbs. *In Moravia*, Olomucium & Bruna. *In Helvetia*, Tigurum, (cui parent 9. Præfecturæ majores, & 22. minores) Berna (quæ habet Præfecturas Germanicas 31. Gallicas 8.) Lucerna (quæ habet Præfecturas 12.) Uri (habens 10. communitates) Switz (diviſa in partes ſex, quas quartas vocant) Underwaldia (diſtributa in duos conventus) Tugium (quod duas habet partes, & in illis conventus quatuor) Glarona (diviſa in 15. partes) Baſilea (quæ habet Præfecturas ſex) Friburgum (cujus Præfecturæ quatuor, cum Bernatibus ſunt communes) Scaphuſia, & Abbatiſcella. *In Valeſia* excellit Sedunum. *In Rhætia*, Curia & Clavenna. *In Norvvegia*, Nidroſia, & Bergæ. *In Suecia*, Stockholmia, Upſalia, & Nicopia. *In Gothia*, Loduſia, Waldburg & Calmaria. *In Finlandia*, Abo & Wiburgum. *In Gothlandia*, Viſubi. *In Dania*, ſunt urbes XLVII. inter quas præſtantior eſt Hafnia. *In Holſatia*, ſunt Gottorpium, Sleswicum, Flensburgum & Chilonium. *In Dietmarſia*, Meldorpa, Haida, Lugdunum (Lunden.) & Hama. *In Stormaria*, Bredenberga arx. *In Italia*, olim fuerunt urbes 166. ut author eſt Ælianus; hodie ſequentes excellunt: *In Pedemontio*, Taurinum, ſeu Auguſta Taurinorum, Vercellæ, &c. *In Monteferrato*, Alba, Alexandria, Salutium, Caſalis, Aſti, Valenza; Nicæa, Carmamola, & Urbs Aquenſis. *In Liguria ſeu ditione*

Genuensi, Genua, & Savona. *In Thuscia*, Pisæ, Volaterra, Perusia, Florentia, Pistorium, Luca, Sienna, Cortona, Plumbinum. *In Latio*, Roma, Ostia, Cajeta, Tibur, Præneste. *In Umbria, seu Ducatu Spoletino*, Spoletum, Burgus, Eugubium, Nuceria, Nursia, Amelia. *In Sabinia*, Reate, Narnia, &c. *In Campania*, Capua, Neapolis, Cumæ. *In Picentinis*, Sanseverinum, Salernum, &c. *In Lucania*, Possidonia, Acropolis, &c. *In Calabria inferiore*, Consentia, Rhegium, Montalto, Terra nova. *In Calabria Superiore*, Tarentum &c. *In Terra Hydruntina*, Hydruntum, Brundusium &c. *In Apulia*, Barium, Thranum, Manfredonia, Ascolum, &c. *In Aprutio*, Aquila, Beneventum, Sulmo, Aquinum, Theate, Pinna, &c. *In Marchia Anconitana*, Ancona, Recinetum, Lauretum, Camerinum, Macerata, Urbinum, Pisaurum. *In Flaminia, seu Romandiola*, Ferraria, Bononia, Forum Cornelii, Faventia, Forum Livii, Ravenna, Ariminum, Cæsena, Sarsina. *In Marchia Trevisina*, Venetiæ, Patavium, Vincentia, Verona, Tarvisium, Tridentum. *In Lombardia Cispadana*, Parma, Placentia, Mutina, Mirandula. *In Lombardia Transpadana*, Mantua, Brixia, Bergomum, Cremona, Mediolanum (ubi est arx, nomine Portæ Joviæ, quæ numeratur inter præcipua totius orbis propugnacula) Lauda, Papia seu Ticinum (cujus ager, ob fertilitatem dicitur Hortus Mediolani) Novaria, Comum: quæ postremæ quinq; urbes sunt in Insubribus. *In Foro Julii*, Aquileja, Tergestum, Goritia, Mons Falconis, Utina. *In Istria*, Pola & Justinopolis, quæ dicitur caput Istriæ. *In Sardinia*, Calaris, Oristagna, Sassaris. In *Sicilia*, sunt hoc tempore civitates & oppida 273. è quibus maximè celebres sunt, Panormum, Messana, Mons Regalis, Syracusa & Catana. In *Insula Malta* est Urbs Melita. In *Minori Polonia* sunt tres Urbes prin-

principales: Cracovia, Sendomiria, Lublinum: quarum unaquæque habet civitates diſtrictuales, minorem Poloniam concludentes. In *Majori Polonia* ſunt Poſnania, Gneſna, & aliæ. *In Livonia* celebrantur Riga, Dorpotum, Rivalia, Velinum. In *Lithuania*, Vilna, & Novigrodum. In *Maſſovia*, Marſchovia. In *Podolia*, Camieniec, & Lemburgum. In *Ruſſia*, Leopolis. In *Pruſſia ſive Boruſſia*, ſunt quinque emporia celeberrima, nimirum Dantiſcum, Melvingũ, Brunsberga, Mons Regius & Memelium. In *Hungaria* ſunt Buda, vulgò Ofen / Alba Regalis, vulgò Stul-Weiſſenburg / Strigonium, vulgò Gran / Belgradum ſeu Alba Græca, vulgò Griechiſch-Weiſſenburg / Veſprinium, Sigethum, Komora & Jaurinum, vulgò Raab. In *Dacia* variæ ſunt provinciæ, & in his ſuæ Urbes; ut in *Boſnia*, Bagnialuca, Metropolis; In *Servia*, Senderovia, ſive Semendria, Vidina, Novogradum, Mons niger; In *Bulgaria*, Sophia Metropolis; In *Majore Valachia*, Zuccavia, Varna, Barlavia, Cucina &c. In *Beſſarabia*, ſunt Kilim & Moncaſtrum; quæ ſunt in Provincia Valachiæ Majoris. In *Minori Valachia*, Ternovizza, Braila & Treſcotum. In *Tranſylvania*, Alba Julia, Principis Sedes, Hermannopolis, Stephanopolis (quæ & Corona atq; Caſſovia dicitur) & Claudiopolis. In *Dalmatia*, Spalatrum, Raguſa, Sagena. In *Thracia*, Nicopolis, Philippopolis, Adrianopolis, Trajanopolis, Heraclea, Phinopolis, Apollonia, Byzantium ſeu Conſtantinopolis. In *Cherſoneſo Thraciæ*, Calliopolis. In *Græcia* ſunt variæ Urbes, juxta ſeriem variarum Provinciarum. Itaque in *Macedonia* ſunt Theſſalonica, Pella, Stagira, Dyrrhachium &c. In *Epiro*, Nicopolis & Actium. In *Achaia*, Ægira, Ægium, Dyme, &c. In *Sycionia*, Sicyon. In *Ætolia*, Calydon. In *Regione Locrorum & Opuntiorum*, Amphiſſa, & Naupactus. In *Phocide*, Delphi. In *Bœotia*, Thebæ.

In

In *Attica*, Athenæ: In *Corinthia*, Corinthus. In *Agria*, Neapolis Romaniæ & Epidaurus. In *Laconica*, Lacedæmon ſeu Sparta. In *Meſſenia*, Meſſene, Methone, Corone, Arcadia. In *Elide*, Elis & Olympia. In *Megaride*, Megara. In *Peloponneſo*, Megalopolis. In *Eubœa*, Chalcis & Caryſtus. In *Creta* ſunt Candia, Canea, Rhetimum, Sittia. In *Tartaria minore* ſunt Theodoſia & Tanas.

Ab *Europa* tranſeamus ad *Africam*: cujus celebriores urbes ſunt in *Barbaria*, Tarodantum, Maroccum, Elmedina, Feſſa vetus & nova, Lariſſa, Caſar, Elcabir, Arzilla, ſeu Azella, Tingis, ſeu Tanger, Septa, Teza, Teleuſina; Algira, Bugia, Conſtantina, Tunettum, Guletta, Chartago, Biſerta, Tripolis &c. In *Numidia* ſunt plurimæ civitates, ſed minùs celebres. In *Lybia* mera ſunt deſerta: quidam tamen dicunt eam eſſe habitatam. In *Nigritarum terra* ſunt 25. Regna, in quibus celebrantur hæ urbes, Cano, Cabra, Melli, Gago & Dangala. In *Æthiopia ſuperiore* ſunt Beroa, Caxumo ſeu Caſſumo, & Vella. In *Æthiopia inferiore*, Zeila, Barbara, Magadazzum, Mombazza, Quiloa, Benomotaxa, Cobazza. In *Ægypto* fuerunt olim Urbes vicies mille, è quibus Diodori tempore ter mille tantùm extabant. Verùm Ortelius ſummâ diligentiâ adhibitâ paucas ſupra 300. invenit; è quibus præcipuæ ſunt Syene, Thebæ, Heliopolis, Memphis ſeu Alcairum, Babylon, Alexandria & Pelluſium. In *Trogloditarum Regione* ſunt quatuor urbes inſigniores, videlicet Corondol, Alcoſſer, Suachen & Sues.

Tertia Orbis pars, videlicet *Aſia*, dividitur in majorē & minorem. In *Aſia minore* ſunt Provinciæ *Pontus & Bithynia*, ubi ſunt Chalcedon, Nicomedia, Apamea, Pruſa, Nicæa & Heraclea Ponti. Sunt & aliæ complures Aſiæ Provinciæ, ut Phrygia, Caria, Myſia, &c,

In

In *Phrygia* sunt Miclaium, Ilium seu Troja, & Pergamus. In *Caria*, Miletus. In *Mysia*, Lampsacus, Abydus & Adramitum. In *Æolide*, Myrnia, Cuma & Phocæa. In *Jonia*, Ephesus. In *Doride*, Gnidium, & Halicarnassus. In *Lydia*, Sardis. In *Lycia*, Xanthus, Patara, Pinara, Olympus, Myrrha, Lymira, Telmesus. In *Galatia*, Ancyra, Sinope, & Amisus. In *Pamphylia*, Perga, Sida & Attalia. In *Cappadocia*, Trapezus, Cæsarea, Themyscira, Amasia, Iconium &c. In *Cilicia*, Hama (olim Tarsus) Adena & Heraclea. In *Armenia minore* sunt urbes minutæ, sed non claræ. In *Rhodo Insula* est urbs hoc eodem nomine. In *Moscovia* Metropolis est Mosckuva: & post eam celebrantur Volodimeria, Novogard, Smolensko, Biela, Roschouva, Tuverda, Plescovia, Duvina. In *Tartaria magna* sunt hæ inprimis urbes, Casan, Astracam, Crustina, Zahaspa, Samaracanda, Tascam, Cascar, Cambalu (Regia & Metropolis Imperii Magni CHAM) Caindo & Quinsai. In *Cypro* fuêre olim XV. urbes: inter quas insigniores erant Paphus nova & vetus, Cithara, Curias, Amathus, Ceraunia, Nicosia, Famaugusta. Hodie dividitur in partes 12. è quibus præcipuæ sunt Nicosia, Famaugusta, Paphia & Pentalia. Numerantur verò præter has urbes, pagi 850. In *Palæstina* celebriores censentur hæ urbes. In *Galilæa*, Nazareth. In *Samaria*, urbs hoc nomine: item Cæsarea Palæstinæ, seu Stratonis; Sichar sive Sichem. In *Judæa*, Hierusalem, Rama, Gaza &c. In *Phœnicia* Sidon, Tyrus, Ptolemais, Emissa, Capernaum. In *Arabia Petræa* Metropolis est Petra. In *Arabia felice* sunt Mecha, Medina, Zebethum, Aden. In *Turcomannia*, Eschia. In *Georgia*, Lori, Gori, Glisca, Tomanis. In *Media*, quæ hodie dicitur Servan, sunt hæ urbes: Tauris (Ecbatana antiquorũ) Casbin, Turcoman, Saru, Sultania, Nassivam, Sechi, Eres, Ardovil, Sumachia. In *Mesopotamia*, Orfa, Mosus,

Merdin,

din, &c. In *Perside*, quæ hodie dicitur Farsi & Farsistan, Regia, est Siras, olim Persepolis, & Cyropolis. In *Parthia*, sunt Casan, Sembran, Teracan, Malam, Amadan, Coran, Turbat & Hisphaham, Caput Parthiæ. In *Hyrcania*, Hyrcana, Bestan, & Massandran. In *Margiana*, Antiochia. In *Bactriana*, Bactra & Istigias. In *Paropaniso* Candahar. In *Aria* Eri. In *Carmania*, Chirmain. In *Regno Ormuz*, Urbs hoc eodem nomine. In *Indiis Orientalibus*. In *Regno Cambajæ* sunt hæ urbes: Danager, Bider, Decan, Sintacora, Caul, & Goa, quæ dicitur clavis universæ Indiæ. In *Camara* sunt Onor, Mangalor, Batticalla, Mayander. In *Provincia Malabar* sunt Calecutum, Urbs & Regnum; Cocinum, Urbs & Regnũ; Coulam, Urbs & Regnum; & Travamor Urbs. In *Regno Narsingæ*, Narsinga, Bisnagar, Tarnassari, Ciromandei, Cael &c. In *Regno Bengalæ*, Congo & Bengala. In *Regno Sangæ*, Citor. In Regno *Arachan*, Urbs ejusdem nominis. In Regno *Avæ*, Urbs eodem nomine appellata. In *Regno Pegu*, Urbs ejusdem nominis, itemque Lavay, Martabane & Losmin. In *Regno Siam* hæ sunt urbes, Siam, Camboja, Odia, Campaa, Sincaputa, Malaca & Quedoa. In *China* sunt urbes celebres 240. inter quas Pequin est Regia.

Superest *America*, ubi urbes celebriores, in *America Septentrionali*, & quidem in *Nova Hispania*, sunt Compostella, Colima, Culiacan, Pascuar, Valadolid, Mexico, &c. In *Nitaragna*, Urbs Leonis & Granatæ. In *Jucatan*, Guatmala. In *Nova Francia*, Canada. In *America Meridionali*, & quidem in *Castella Aurea* sunt Theonyma & Panamais. In *Peruvia*, Lima, Cusco, Quito, Argyropolis, seu Della plata, Potosium, &c. In *Chile* Urbs S. Jacobi. In *Brasilia* Fernambuco, Caput S. Augustini, Portus Omnium Sanctorum. In *Popajam*, Urbs hoc nomine, item Pastoco, Calli, Carthago, An-

tiochia.

tiochia. In *Nova Granata*, S. Fides. In *Caribana*, Uraba, Cenu, Caribana, Cartagena, Cumana, Veneriola, Manacapana. In Regione *Tucumanorum*, Salta, Steco, Corduba, S. Michaëlis, S. Jacobi. In *Hispaniola Insula*, Urbs S. Dominici, Urbs S. Joannis, Portus Plata, Portus Regius, Cavana, Xaragua. In *Jamaica, seu Insula S. Jacobi*, Oristan & Sevilla. In *Cuba*, Urbs S. Jacobi & Havana emporium celeberrimum. In *Insula S. Joannis*, Urbs hoc eodem nomine.

CAPUT III.

Variæ Observationes Geographicæ.

OBSERVATIO PRIMA.

De Navigatione in utramque Indiam per Septentrionem.

OBservant quidam Geographi, verisimile esse, in utramque Indiam navigari posse per Septentrionem. Nam valdè probabile est (inquiunt) quod quemadmodum sub Austro, ita etiam sub Septentrione Oceanus cohæreat: Deinde idem colligi potest ex fluxu & refluxu maris. Tertiò plerique scriptores asserunt continentem esse Insulam. Denique Plinius *lib. 2. hist. natur.* testatur, Galliæ Proconsuli Indos à Rege Suecorum dono datos, qui ex India comercii causâ navigantes, tempestatibus erant in Germaniam abrepti: quod fieri non potuit, nisi pateret ex India in Sueciam iter maritimum. Nec obstat frigus Regionis; Etsi enim sol modicè ibidem elevetur: verisimile tamen est, è sex mensibus, quibus sol non occidit, sed continuè in orbem movetur, tribus ad minimum mare ibidem navigari posse.

OBSER-

OBSERVATIO SECUNDA.

De translatione Posterorum Noë in Americam.

Singulari Dei providentiâ factum videtur, ut homines secus littora navigantes, vi tempestatis per vastissimos fluctus in Americam pervenerint. Sunt autem, qui putent solam lineam Cham ex posteris Noë in regiones illas delatos esse, ac proinde Americanos ex illis solis descendisse. Alii verò sibi persuadent, Asiaticos per fretum Anian, Europæos per Oceanum Atlanticum, Africanos per Promontorium Bonæ Spei, pervenisse in Americam; ita ut ex omnibus posteris Noë aliqui eò pervenerint.

OBSERVATIO TERTIA.

De nonnullis celebrioribus Urbibus.

IN Hispania nova est Urbs Mexico, duodecim Italicis milliaribus in circuitu patens, & instar Urbis Venetæ undique navigabilis. Censetur urbs illa totius orbis esse maxima, exceptâ Quinsai, ut postea dicetur. Habet quingenta Incolarum millia.

Celeberrima inter Urbes Peruviæ est Cusco, ubi ante Christianorum adventum loco equorum habebant oves camelis non absimiles, equorum magnitudine. Ibidem fuerunt olim gigantes, quatuor virorum longitudinem aut æquantes, aut superantes.

Fessa est urbs pulcherrima, omnium totius Barbariæ, & populosissima. In ea sunt templa & Oratoria 700. inter quæ sunt 50. magnifica & sumptuosissimè exstructa. Summum templum in circuitu habet sesquimilliare, & tredecim visendæ magnitudinis ac altitudinis portus. In hoc templo singulis noctibus 900. Lucernæ accendi solent. Ibidem etiam sunt candelabra ænea, quæ 1500. lucernas capiunt, & alia mirabilia. Recipit autem hoc templum quotidie 200. aureos: qui sunt proventus

ventus illius. Sunt præterea in hac urbe duo celeberrima studiosorum Collegia: pro quorum uno solùm extruendo ferunt Regem Habu Henon 480. aureorum millia consumpsisse.

Urbs Quinsai, in confinio Chinæ sita, magnitudine sua cæteras omnes orbis totius urbes superat. Nam ejus circuitus est milliarium circiter centum, familiarum in ea numerantur sexaginta millia, supra unum millionē, Pontes habet lapideos duodecies mille; inter quos sunt aliqui adeò alti, ut subtus eos naves magnæ erecto malo transire queant. Intra urbis mœnia lacus est, complectens in ambitu 30. milliaria, & habens in se duas Insulas, in quibus duæ elegantissimæ Regiæ Domus visuntur. In hac urbe Magnus Cham habet præsidium 30000. militum.

OBSERVATIO QUARTA.

De optimo Regno, Ducatu & Comitatu.

COmmuni proverbio dici solet, quòd inter omnia Regna Gallicanum sit optimum: inter Ducatus verò sit optimus Mediolanensis, & inter Comitatus Flandria.

DISCURSUS VIGESIMUS OCTAVUS.

EX HISTORIA.

Complectens varia Monita, ad Historiam pertinentia.

PRÆFATIUNCULA.

HIstoria (quæ propriè loquendo nihil est aliud, quam rerum gestarum Scientia) cum incredibili conjuncta est, non modò utilitate, sed etiam jucunditate, in omni vita & artium genere. Nam beneficio

 Histo-

Historiæ, cursum Providentiæ Divinæ sibi semper simi-lem, Ecclesiæ statum inter calamitates numquam no-florescentem, pietatis præmia certissima, impietatis pœn-ineluctabiles, Hæreticorum dolos irritos, Tyrannoru-technas evanescentes. Imperiorum & conservationes, & mutationes, & eversiones mirabiles, familiarum floren-subitò vel enascentem, vel cadentem, Heroum facinor-eximia, denique exempla singularum artium innume-rabilia, uno velut intuitu perlustrare possumus.

Monitum I.

Historiæ Divinæ seu Canonicæ præ aliis omnibus in-dubitata fides tribuenda est: Cùm enim à Deo sit profe-cta, & per ipsius actuarios & notarios consignata, nemo sanæ mentis ei fidem derogare potest.

Monitum II.

Non modò Historiæ Divinæ, quæ à Spiritu Sancto in veteri & novo Testamento dictata est, sed etiam humanæ fides adhibenda est, sed humana tantùm, id est, talis, quæ homini credit, non ut DEO aut Ange-lo fundenti oracula, sed ut homini; non quòd ille verum certò dixerit, sed quòd, cùm sit probus & in-teger, verum dixisse præsumatur.

Monitum III.

Historicis, qui ea, quæ narrant, aut viderunt ipsi, aut intellexerunt ab aliis, qui viderunt, fides habenda est, si probi sint: sin improbi, magno cum judicio le-gendi sunt; ne scilicet admittantur illa, quæ pugnant cum principiis fidei, vel rectæ rationis, aut cum cir-cumstantiis rei gestæ.

Monitum IV.

A scriptione historica nimia styli ornamenta arcean-tur. Stylus historicus quò simplicior, eò melior. Historia enim cùm sit virgo castissima, requirit vultum

mini-

ninimè fucatum; & cultum minimè mangonizatum.
Inde tres leges hic servandas esse, prudenter monent
ei historicæ periti.

1. *Atticismus convenit Historiæ*, id est, stylus medius
nter Asiaticum & Laconicum. Attica enim oratio con-
enientem simplicitatem & gratam brevitatem con-
ctatur: quæ utraque insigne est historiæ ornamentum.
listoria enim magis Logicum, quàm Rhetoricum est
pus: ac proinde

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

2. *Lumina Rhetorica parce adhibeantur in historiâ.*
mplificationes enim, exaggerationes, digressiones,
yperbolæ, allegoriæ, & omnino figuræ Rhetoricæ,
ultum detrahunt dignitati historiarum.

3. *Character medius ut plurimum adhibendus est in*
storia. Medius, inquam, inter sublimem & humi-
m. Hic enim congruit Majestati historiæ: nisi fortè
s divinæ & heroicæ, vel viles veniant describendæ:
i enim grandis, hîc humilis abhibendus est chara-
er.

Monitum V.

Historiæ laus non postrema est, si historicus affe-
us describatur sine affectu. Si enim Historicus in-
lgeat affectibus (quales sunt duo potissimum, *Gra-*
a & Odium) fieri non potest, quin mentiatur augendo
minuendo. Historiarum itaque scriptor *affectus*,
ectus & defectus hominum describat sine affectu, si
lit gignere affectum in lectore: semperque sibi ob
ulos statuat elegantem illam historiæ picturam,
ám Joann. Anton. Viperanus *in libro de scribenda*
storia testatur se inspexisse, his verbis: In Historiam
ortet inspicere tanquam in virginem quandam libe-
n & incorruptam, nulli appetitioni servientem, veri-
is cultricem, motibus gravem, sani succi, coloris sua-

vis, omni membrorum magnitudine & composition
perfectam, non levibus & inanibus rebus deditam, se
studentem gravibus & magnis, gradientemque ornat
modico & decente, non ad voluptatem, sed ad honesta
tem exquisito, qualis matronæ convenit, non ut mere
tricis ille fucus, qui est Poëtarum maximè proprius.

Monitum VI.

Historici Authentici præferantur non Authenticis
Authentici autem sunt 1. divini, id est, qui mediante di
vinâ inspiratione rerum scribendarum notitiam hause
runt. 2. Jurati, qui publicâ Magistratûs authoritat
scripserunt: suntque vel autoptæ, vel sua habent ex ar
chivis, protocollis, actis & instrumentis publicis. 3. Illi
qui communi doctorum virorum calculo approbat
sunt.

Monitum VII.

Historici Latini Græcis præferendi sunt. Illi enin
sunt ferme veraciores. Nam Græcia (si fides habe
tur proverbio) est mendax. Cave tamen, nè moros
interpreteris hoc Consilium: præsertim cùm Græc
post institutas Olympiades intra Cancellos veritati
magis se continuerint, ut ait Eusebius.

Monitum VIII.

Non sunt probandi historici, qui se suamque gen
tem semper in Capitolio locant, exteros verò & hoste
suos semper vituperant. Nam hi serviunt affectibu
suis: quorum nubes eripit historiæ solem, id est, veri-
tatem.

Monitum IX.

Historici Religionis heterodoxæ cautè legantur
Quia non rarò miscent virus hæreseos, incauto Lector
nociturum.

Moni-

Monitum X.

Hiſtorici Mercenarii & ollares, ut vocant, habean-
ır pro ſuſpectis. His enim (ut quidam loquitur) bos
ıutus eſt in lingua & calamo, quod Demoſtheni ob-
ctum fuit. Neque tantum ſpe præmiorum, ſed
iam metu pœnæ vera diſſimulantur, prava laudantur,
ova excogitantur.

Monitum XI.

Hiſtorici legantur cum moderatione animi & venia:
oc eſt, cogitetur, fieri non poſſe, ut in omnibus cir-
ımſtantiis ſint Lyncei.

Monitum XII.

Hiſtorici legantur in lingua originali, aut, ſi aliquis
t ignarus illius linguæ, verſio eruditorum calculis
robata legatur.

Monitum XIII.

Antiquorum hiſtoricorum ſcripta non examinen-
ır ſecundùm ea, quæ modernis temporibus geruntur.
Iam temporum mutatio circumſtantiarum mutatio-
em inducit. Quicunq; ergo cum fructu cupit legere
eteres hiſtorias, ſit induſtrius antiquitatis indagator.

Monitum XIV.

Hiſtoria perfecta omnibusque numeris abſoluta
enſetur, quæ tribus hiſce notis, *Veritate, Explanatione,*
Judicio inſignita eſt. *Veritas* requirit, ut omnia nar-
entur purè & ex fide. *Explanatio* in eo ſita eſt, ut cir-
ımſtantiæ plenè ac fideliter recitentur, ex præſcri-
to iſtius verſûs:

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo,
Quando.

Judicium poſtulat, ut virtutes & vitia non ſileantur,
tque pravis dictis & factis ex poſteritate ſit metus, ut
quitur Tacitus. Breviter tamen judicium inter-

ponendum, ſine prolixa in utramque partem diſputatione.

Monitum XV.

Illæ hiſtoriæ non probandæ, quæ perpetuas laude[s] & virtutes ejuſdem, ſine ullis vitiis commemorant: ve[l] contrà, quæ perpetua ejuſdem vitia, prætentis virtutibus recenſent. Hoc nomine Polybius reprehendi[t] Fabium Romanum, qui de Romanis & Pœnis omni[a] præclara ſcripſit: & Philinum Carthaginenſem, qu[i] Pœnos omnia laudabiliter & fortiter, Romanos autem turpiter & ignavè geſſiſſe ait.

Monitum XVI.

In lectione hiſtoriarum nec nimis, nec minùs credulum eſſe oportet. Non illud, quia qui facilè credit, facilè decipitur. Non hoc, quia ſi nemo alteri crederet, vinculum humanitatis diſſolveretur.

Monitum XVII.

Lectio Hiſtorica inchoanda eſt à breviſſimis Chronicis, ita ùt Hiſtoria univerſalis imprimatur memoriæ, habeaturque exemplar aliquod & idea, ad cujus locos communes, titulos & ſubtitulos aptari poſſit, quidquid deinde occurrit. Porrò hîc requiritur accurata rei Geographicæ cognitio: ſine qua fieri non poteſt, ut hiſtoriæ Univerſalis ideam animo rectè complectaris. Deinde ab hiſtoria univerſali veniendum eſt ad hiſtorias particulares.

Monitum XVIII.

Perpenſis accuratè omnibus hiſtoriæ circumſtantiis, notatiſque iis, quæ aut benè ac prudenter, aut malè & imprudenter geſta ſunt, tranſeundum eſt ad hiſtoricas animadverſiones ſeu Contemplationes, hoc eſt, conficienda ſunt certa axiomata & aphoriſmi, ex hiſtoria, quæ perlecta eſt.

Pro

Pro exemplo talium animadverſionum proponitur Joan. Bernardo Bonifacio Marchione Oriæ, in epi-ola ad Philippum Camerarium hiſtoria Pompeji & æſaris: quarum ſumma hæc eſt:

1. *Ille locus fugienti deligendus, qui non facilè poteſt xpugnari.* Hoc non obſervavit Pompejus, qui Ro-a fugit in Græciam, in qua militaris diſciplina penè mnis extincta erat, cùm debuiſſet fugere in Hiſpani-m, ubi viri bellicoſi erant, & diſciplina militaris vige-at; adeo quidem, ut cùm Cæſar ibi infeliciter ultimo rælio pugnaſſet, deſperatis jam rebus de conſciſcenda bi morte cogitaret.

2. *Ducis prudentis eſt ritè perſequi victoriam.* Huic nonito non obtemperavit Pompejus. Cùm enim rope Dyrrhachium jam fregiſſet Cæſarem, perſequi eglexit victoriam. Quod cùm Cæſar vidiſſet, nega-it eum ſcire vincere.

DISCURSUS VIGESIMUS NONUS.

EX CHRONOLOGIA.

De rebus memorabilibus, quæ variis temporibus geſta ſunt.

PRÆFATIUNCULA.

Chronologia habet pro objecto emendatam ratio-nem temporis, ſoletque vocari oculus & anima Hi-ſtoriæ.

SECTIO I.

Variæ quæſtiones de rebus geſtis ſecundùm ſeriem temporum.

Quæſtio 1. Quot fluxerunt anni ab initio mundi uſque ad nativitatem Chriſti?

Responsio. Variorum Chronologorum varia est quoad hoc punctum Chronotaxis. Quidam ab exordio mundi usque ad Christum natum computant annos 3947. Theophilus Raynaudus 3983. Henricus Samerius 3950. Baronius 5199. Venerabilis Beda 5200. Nauclerus 5201. Regiomontanus 6984. Pererius 4022. Salianus & Torniellus 4052. Quæ posterior sententia præ aliis arridet Auctoribus modernis.

Quæstio 2. Quando & quomodo inchoatæ sunt, quam diu durarunt, & quando desierunt quatuor nominatissimæ Monarchiæ mundi?

Responsio. Prima Monarchia, quæ fuit Assyriorum, inchoata est Anno mundi 1932. stetit annis 1404. usque ad Assaraddonem, minorem natu Sennacheribi filium, quem cùm Nabuchodonosor Primus seu Merodachus (fuerunt enim duo alii Nabuchodonosores, nimirum Nabolassor seu Senior, & Nabuchodonosor Magnus) Babylonis Prorex Regno vitaque exuisset, ipse Imperium Babylonicum (cui adjecit Assyrium) fundavit Anno mundi 3334. duravitque annis 183. ac desiit in Balthasare, Rege Chaldæorum.

Secundam Monarchiam, quæ fuit Persarum, exorsus est Cyrus, qui devicto Astyage, Medorum Rege, potentiâ auctus, etiam Babylonios subegit Anno mundi 3517. Substitit autem hæc Monarchia Anni 208. & defecit in Dario Arsetis filio.

Tertia Monarchia fuit Græcorum, cui initium dedit Alexander Magnus Anno Mundi 3724. perstititque annis 228. Extinctum est hoc Imperium in Demetrio & Philippo Gryphi seu Crypi filiis, Syriæ & Asiæ Regibus; à quibus Imperium devolutum est in Tigranem Armenum; atque inde pervenit ad Romanos Anno mundi 3958.

Quartam Monarchiam, videlicet Romanam, orsus est

eſt Cajus Julius Cæſar Anno mundi 4006. cujus Majeſtas lapſu temporum ad Germanos devoluta eſt.

Quæſtio 3. Quot fuerunt Imperatores Romani à primo uſque ad modernum?

Reſponſio. A primo uſque ad Carolum Magnum fuerunt Imperatores ſeptuaginta tres: à Carolo Magno, qui regnare cœpit Anno Chriſti 800. ad Leopoldum Primum, nunc imperantem, omnino quinquaginta; quem etiam Numerum prima littera L. nominis auguſtiſſimi refert, ut obſervat P. Michael Pexenfelder *in Apparatu Eruditionis*.

Quæſtio 4. Quæ fuit omnium urbium prima, & quando condita?

Reſponſio. Prima inter omnes urbes fuit Enochia, Anno mundi 130. è Caino fratricida exſtructa.

Quæſtio 5. Quando, & à quibus fuerunt inventa Arma & Muſica?

Reſponſio. Circa Annum Mundi 688. Jubal Inſtrumenta Muſica, Tubalcain arma invenit.

Quæſtio 6. Quo anno mortui ſunt Protoplaſti noſtri?

Reſponſio. Anno mundi 930. mortuus eſt Adamus, altero pòſt anno Eva.

Quæſtio 7. Quis fuit mortalium omnium annoſiſſimus?

Reſponſio. Mathuſalem longævitate vitæ ſuperavit omnes homines; mortuus eſt autem Anno ætatis ſuæ 969.

Quæſtio 8. Quo anno natus & mortuus eſt Abraham?

Reſponſio. Natus eſt Abraham Anno mundi 2039. Ante Chriſtum 2014. Exceſſit è vita Anno mundi 2213. poſt tranſactos vitæ annos 175.

Quæſtio 9. Quando vixit Job?

Responsio. Vixit circa Annum mundi 2398.

Quæstio 10. Quo anno, & quo auctore inventa est lingua Græca?

Responsio. Inventa est à Cadmo circa Annum mundi 2584.

Quæstio 11. Quando condita est Urbs Romana?

Responsio. Condita est Anno mundi 3302. annis ante Christum 751.

Quæstio 12. Quando Nabuchodonosor mutatus est in bestiam?

Responsio. Id factum est Anno mundi 3464.

Quæstio 13. Quando cœperunt Consules Romani?

Responsio. Initium Romanorum Consulum fuit Anno mundi 3545.

Quæstio 14. Quis, & quando fuit primus Dictator Romanorum?

Responsio. Is fuit Titus Largius A. mundi 3557.

Quæstio 15. Quando vixerunt celebriores pictores & Statuarii?

Responsio. Celeberrimi pictores Zeuxis, Parrhasius, Timantes; Statuarii verò Polylétus & Phidias floruerunt circa Annum mundi 3609.

Quæstio 16. Quando vixerunt Plato, Aristoteles, Euclides, Demosthenes?

Responsio. Plato natus est Anno mundi 3634. Aristoteles 3670. Euclides 3649. Demosthenes 3676.

Quæstio 17. Quando est natus, & quando cœpit regnare Alexander Magnus?

Responsio. Natus est Anno mundi 3718. annorum 21. successit Patri Philippo, & Anno 3720. in Asiam trajecit. Mortuus est Anno 3730.

Quæstio 18. Quando floruerunt Archimedes, Cato Major, Cicero, Virgilius, Horatius?

Responsio. Archimedes floruit Anno mundi 3854.

Cato

Cato Major 3883. Cicero & Pompejus 3973. Virgilius & Horatius 4012.

Quæstio 19. Quot fuerunt Pontifices Hæbrei?

Responsio. Fuerunt sexaginta octo, quorum primus Aaron, ultimus Caiphas.

Quæstio 20. Quot fuerunt Judices Hebræorum?

Responsio. Fuerunt sedecim; quorum primus Moses, Legislator, vixit annos 120. Josue judicavit populum juxta Salianum annis 17. juxta Bellarminum 26. Othoniel judicavit annis 40. Aoth annis 80. Barac & Debora 40. Gedeon 40. Abimelech 9. vel, ut alii malunt. 3. Thola 23. Jair 22. Jephthe 6. Abesan 7. Ajalon 10. Abdon 8. Samson 20. Heli Judex & Pontifex 40. juxta Samerium 20. Samuel juxta Salianum 22. juxta Bellarminum 20. juxta Samerium 32.

Quæstio 21. Quot fuerunt Reges Hebræi usque ad captivitatem Babylonicam?

Responsio. Fuerunt 39. E quibus tres primi, Saul, David, Salomon dominati fuêre duodecim Tribubus Israël. Inde facta est Regni scissio in Israëlem & Judam Anno mundi 3060. ante Christum 995.

Quæstio 22. Quot fuerunt Reges Judæ?

Responsio. Fuerunt viginti. 1. Roboam. 2. Abia. 3. Asa. 4. Josaphat. 5. Joram. 6. Ochozias. 7. Athalia mulier Tyrannica. 8. Joas. 9. Amasias. 10. Osias, sive Azarias. 11. Joathan. 12. Achas. 13. Ezechias. 14. Manasses. 15. Amon. 16. Josias. 17. Joachaz. 18. Joakim vel Joachim. 19. Joachimus seu Jechonias. 20. Sedecias. Hic in captivitatem Babylonicam abductus est à Nabuchodonosore cognomento Magno, Anno mundi 3446. ante Christum 607.

Quæstio 23. Quot fuerunt Reges Israel?

Responsio. Fuerunt novemdecim. 1. Jeroboam. 2. Nadab. 3. Baasa. 4. Ela. 5. Zambri. 6. Amri. 7. Achab. 8. Ochozias. 9. Joram. 10. Jehu. 11. Joachaz. 12. Joas.

13. Je-

13. Jeroboam. 14. Zacharias. 15. Sellum. 16. Manahem. 17. Phaceia. 18. Phacee. 19. Osee, qui expugnatâ Samariâ, Sede Regiâ à Salmanasare Rege Assyriorum, abductus est cum populo in captivitatem trans flumen Euphratem Anno mundi 3314. ante Christum 739.

Quæstio 24. Quot fuerunt Duces Hebræorum, post liberationem è captivitate Babylonica?

Responsio. Fuerunt viginti; quorum primus Zorobabel; decimus septimus Judas Machabæus, ultimus Joannes Hircanus, relictis quinque filiis: è quibus Aristobúlus, natu maximus, Principatum in Regni formam convertit.

Quæstio 25. Quot fuerunt Reges Hebræorum post Duces?

Responsio. Fuerunt novem. 1. Aristobúlus. 2. Alexander Joannæus, Aristobúli frater. 3. Alexandra seu Salóme, ejusdem uxor, vidua. 4. Hircanus. 5. Aristobúlus. 6. Antigonus. In hoc defecit sceptrum Judæ. 7. Herodes Ascalonita (ab Urbe Ascalone, ubi educatus, hoc cognomen adeptus) gente Idumæus, & Magnus dictus; sub quo Christus natus est. 8. Archelaus Herodis filius, qui ex voluntate Augusti Cæsaris, dimidium regni Paterni, Judæam & Idumæam, rexit: Antipæ fratri Jordanis & Galilæa cessit: Philippo fratri Ituræa. Ita Monarchia in Tetrarchiam abiit. Denique Archelao relegato Judæa facta est Provincia Romana. Nonus tamen Rex à Cajo Cæsare creatus, Herodes Agrippa, fœdissimâ tabe periit. Hæc ex Roberto Card. Bellarmino. Raynaudo, aliisque celebrioribus Chronologis Pexenfelder sup. citatus.

Quæstio 26. Quibus mundi annis nati sunt Christus JESUS Salvator mundi, S. Joannes Baptista, S. Anna, ejusque Sanctissima & Gloriosissima Filia MARIA Deipara?

Respon-

Responsio. Nativitas Christi & S. Joannis incidunt in annum mundi 4052. Deiparæ in Annum 4038. S. Annæ in annum 4016.

Quæstio 27. Quot fuerunt Romani Pontifices primo seculo Christiano, sive à Christo nato usque ad annum Christi centesimum?

Responsio. Quatuor hoc seculo numerantur Romani Pontifices: S. Petrus, S. Linus, S. Cletus, S. Clemens.

Quæstio 28. Quo anno obiit sanctissima Virgo Deipara?

Responsio. Obiit Anno Christi 46. ætatis verò suæ, ut creditur, 60. Aliqui in annum 72. mortem gloriosam differunt.

Quæstio 29. Qui & quot Imperatores fuerunt primo seculo Christiano?

Responsio. Fuerunt duodecim: Octavius, Augustus, Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus, Titus, Domitianus, Nerva.

Quæstio 30. Quinam viri doctrinâ illustres vixerunt primo seculo Christiano?

Responsio. Hoc seculo eruditione insigni claruerunt Ovidius, Valerius Maximus, Titus Livius, Persius, Silius Italicus, Lucanus, Seneca, Pomponius Mela, Plutarchus, Cornelius Celsus, Epictetus, Juvenalis, Plinius Senior, Martialis, Statius, Halicarnasseus, Vellejus Paterculus &c.

Quæstio 31. Quid insuper memorabile accidit primo seculo Christiano?

Responsio. Hoc seculo Herodes Ascalonita & Agrippa vermibus consumpti, Theriaca inventa & vitri flexilis temperamentum, Colonia Agrippina condita, Prima Romæ bibliotheca Asinii Pollionis erecta, Phœnix, avis ex Ægypto Romam allatus, Anno Christi 35.

Quæstio 32. Quot Romani Pontifices vixerunt secundo seculo Christiano?

Respon-

Responsio. Undecim Pontifices hoc seculo rexerunt Ecclesiam Christi: S. Anacletus, S. Evaristus, S. Alexander, S. Sixtus, S. Telesphorus, S. Hyginus vel Hyginius, S. Pius, S. Anicetus, S. Soter, S. Eleutherius, S. Victor.

Quæstio 33. Qui fuerunt hoc seculo magni nominis Doctores & Scriptores?

Responsio. Inter Patres, Doctores & Scriptores eximii fuerunt S. Justinus Martyr, S. Irenæus, Hegesippus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Justinus, Florus, Ælianus, Appianus, Athenæus, Julius Pollux, Aphthonius, Philostratus, Frontinus, Diogenes Laërtius, Solinus, Tacitus, Plinius Minor, Suetonius, Aul. Gellius, Lucianus, Apulejus, Apollonius Tyanæus, famosus Magus.

Quæstio 34. Quot Imperatores rexerunt hoc seculo Imperium?

Responsio. Novem rexerunt; videlicet Trajanus, Hadrianus, Antoninus, Marcus Aurelius & Lucius Verus, Commodus Pertinax, Didius Julianus, Severus.

Quæstio 35. Quinam Imperatores tertio seculo rexerunt Imperium Romanum & quinam Pontifices Ecclesiam?

Responsio. Pontifices rexerunt Ecclesiam quindecim, & Imperium Imperatores supra Viginti. Pontifices fuêre S. Zephyrinus, S. Callistus, S. Urbanus, S. Pontianus, S. Antherus, S. Fabianus, S. Cornelius, S. Lucius, S. Stephanus, S. Sixtus II. S. Dionysius, S. Felix Primus, S. Eutychianus, S. Cajus, S. Marcellinus. Imperatores fuêre Caracalla, Macrinus, Heliogabalus, Alexander Severus, Maximinus, Maximinus & Balbinus, Gordianus, Philippus, Decius, Gallus & Volusianus, Valerius & Gallienus, Claudius, Quintillus, Aurelianus, Tacitus, Florianus, Probus, Carus cum Canino & Numeriano, Diocletianus & Maximianus, Plautianus,

Vale-

Valerianus, qui excoriatus fuit à Persis, & sale conditus.

Quæstio 36. Quinam Pontifices Ecclesiæ, & quinam Imperatores Imperio Romano præfuerunt quarto Seculo Christiano?

Responsio. Pontifices præfuêre rebus sacris 1. S. Marcellus. 2. S. Eusebius. 3. S. Melchiades seu Miltiades. 4. S. Sylvester. 5. S. Marcus. 6. S. Julius. 7. S. Liberius. 8. S. Felix Secundus. 9. S. Damasus. 10. S. Siricius. 11. S. Anastasius.

Reipublicæ Romanæ Seculari præfuêre hi Imperatores *in Occidente*. 1. Constantius & Galerius. 2. Constantinus Magnus. 3. Constantinus Junior. 4. Constans. 5. Constantius. 6. Julianus. 7. Jovinianus. 8. Valentinianus. 9. Gratianus. 10. Valentinianus II. 11. Honorius. *In Oriente*. 1. Valens. 2. Theodosius. 3. Arcadius &c. Cæterorum Imperatorum Orientis & Occidentis, uti & Pontificum Romanorum nomina videri possunt in tabulis, quæ passim extant. Neque enim iis recensendis ulterius immorandum, sed potius ad alia minus nota, magisque memorabilia pergendum esse arbitror; præsertim cùm magnam esse videam in hac materia sententiarum varietatem & contrarietatem: diversis Chronologis diversam atque repugnantem temporum computationem ineuntibus.

Quæstio 37. Quando *Alleluja* in Ecclesia primùm cantari cœptum est?

Responsio. Circa Annum Christi trecentesimum trigesimum.

Quæstio 38. Quo tempore Salutationi Angelicæ addita sunt hæc verba: *Sancta Maria Mater* &c.

Responsio. Hæc additio facta est in quinto seculo Christiano.

Quæ-

Quæstio 39. Quando incepit usus Cereorum in festo Purificationis B. Virginis?

Responsio. Incepit in quinto seculo Christiano.

Quæstio 40. Quando S. Benedictus Ordini suo dedit initium?

Responsio. Dedit Anno Christi quingentesimo Vigesimo.

Quæstio 41. Quando Boji sive Bavari ad Christum conversi sunt?

Responsio. Circa annum Domini quingentesimum quadragesimum.

Quæstio 42. In quæ tempora incidunt initia Principatus Polonici.

Responsio. In Annum Christi quingentesimum quinquagesimum.

Quæstio 43. Quando sunt inventa specula ustoria?

Responsio. Anno Christi quingentesimo decimo quarto.

Quæstio 44. Quo tempore Ars Serici ex bombycibus conficiendi ex Indiâ in Europam invecta fuit?

Responsio. Anno Christiano quingentesimo quinquagesimo septimo.

Quæstio 45. Quo tempore primus Dux Venetorum creatus est?

Responsio. Anno Christi sexcentesimo nonagesimo septimo.

Quæstio 46. Qui sunt Auctores Regnorum Bohemici & Polonici?

Responsio. Post annum Christi sexcentesimum Zechius Croata initium dedit regno Bohemiæ, & frater ejus Lechus regno Poloniæ.

Quæstio 47. Quis inter Sanctos fuit primùm solenniter in album cœlitum relatus?

Responsio. Is fuit S. Suibertus Anno Christi 710.

Quæ-

Quæstio 48. Quando introducta est exosculatio pedum Pontificis Romani?

Responsio. Anno Christi septingentesimo quadragesimo.

Quæstio 49. Cui Regi Galliarum, & quando datus est primùm titulus *Christianissimi*?

Responsio. Datus est primùm Carolo Martello Regi Galliæ Anno Christi 740.

Quæstio 50. Quando inventa est inductio solearum ferrearum pro pedibus equinis?

Responsio. Circa Annum Christi septingentesimum nonagesimum..

Quæstio 51. Quando institutæ sunt Academiæ, Bononiensis & Patavina?

Responsio. Bononiensis instituta est circa Annum Christi 369. Patavina, circa Annum 790.

Quæstio 52. Quando conditæ sunt Urbes, Constantinopolis & Venetiæ?

Responsio. Constantinopolis est condita Anno Christi trecentesimo trigesimo, Venetiæ Anno 451. vel (juxta Bellarminum) 421.

Quæstio 53. Quo tempore Electores Romani Pontificis primùm appellati fuêre Cardinales?

Responsio. Circa Annum Christi octingentesimum quadragesimum quintum.

Quæstio 54. Quo tempore lilia Scuto Francico indita fuerunt?

Responsio. Circa Annum Christi 845.

Quæstio 55. Quo tempore septem Electores Imperii Romano-Germanici instituti fuerunt?

Responsio. Anno Christi 996. sub Gregorio V. Pontifice.

Quæstio 56. Quando Burgundia Imperio adjecta est?

Responsio. Anno Christi nongentesimo quadragesimo quinto.

Quæstio 57. Quando inchoatus est Principatus Saxonicus, Lotharingicus, Sabaudicus, Moscoviticus?

Responsio. Saxonicus inchoatus est Anno Christi 970. Lotharingicus 981. Sabaudicus 998. Moscoviticus 990.

Quæstio 58. Quando primùm usurpari cœperunt in Germania ludi equestres seu Trojani, vulgò *Torneamenta*?

Responsio. Circa Annum Christi nongentesimum nonagesimum sextum.

Quæstio 59. Quando primùm usurpata fuit mutatio nominis Pontificii?

Responsio. Fuit primùm usurpata in Joanne XII. circa Annum Christi 996.

Quæstio 60. Quo tempore Pileus rubeus Cardinalibus attributus est?

Responsio. Anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo quinto.

Quæstio 61. Quo tempore Austria, Styria, Tirolis, Carinthia, Burgundia, & Bohemia Augustissimæ Domui Austriacæ adjectæ sunt?

Responsio. Circa Annum Christi millesimum ducentesimum, octogesimum secundum.

Quæstio 62. Quando inventa est acus nautica, item bombarda?

Responsio. Acus nautica inventa est Anno Christi 1303. bombarda verò Anno 1380.

Quæstio 63. Quando vixit Tostatus *Stupor mundi?*

Responsio. Alphonsus Tostatus claruit circa Annum Christi 1440. qui natus annos non plus 40. scripsit quatuordecim bene magna Volumina Commentariorum in sacram Scripturam: Unde meritò de ipso scriptum:

Hic stupor est mundi, *qui scibile discutit omne.*

Quæ-

Quæstio 64. Quando Imperium Orientis transivit ad Turcas?

Responsio. Anno Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo.

Quæstio 65. Quo tempore fuit primùm circumgestata SS. Eucharistia processione publicâ & solemni?

Responsio. Id factum Anno Christi 1404.

Quæstio 66. Quando capta est Constantinopolis à Turcis?

Responsio. Anno Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio.

Quæstio 67. Quo tempore Helvetii stipendium à Rege Galliæ accipere cœperunt?

Responsio. Anno Christi millesimo quadrigentesimo septuagesimo nono.

Quæstio 68. Quando & à quo Typographia primùm inventa est?

Responsio. Inventa est Año Christi 1440. à JOANNE Guttenbergio Argentoratensi, vel Anno 1452. à JOANNE Faustio Moguntiæ.

Quæstio 69. Quinam libri fuerunt primò Typis excusi, post inventam Typographiam?

Responsio. Liber D. Augustini de civitate Dei, & opera Lactantii.

Quæstio 70. Quando Camera Spirensis, seu Dicasterium Imperiale in Germania institutum fuit?

Responsio. Institutum fuit Anno Christi 1488.

Quæstio 71. Quando Austria decorata fuit titulo Archiducis?

Responsio. Anno Christi millesimo quadringentesimo octogesimo octavo.

Quæstio 72. Quando inventa est aqua fortis?

Responsio, Aqua, quam vulgò *Fortem* appellant, me-

metallorum ſecretioni deſerviens (unde & ſecretori
dicitur) inventa eſt Anno Chriſti 1593.

Quæſtio 73. Quo Anno Regnum Sueciæ à Polonico avulſum eſt?

Reſponſio. Id factum eſt Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quarto.

Quæſtio 74. Quantum ſanguinis effuſum eſt bello ruſticorum in Germania ſuperiori ſæculo?

Reſponſio. Bellum illud in univerſa Germania ſupra 600000. homines ſuſtulit.

Quæſtio 75. Quando titulus Eminentiſſimorum attributus eſt Cardinalibus?

Reſponſio. Id factum eſt Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo.

SECTIO II.

In qua traduntur variæ Obſervationes Chronologicæ, rerum notabilium & memorabilium, ad tempora ante & poſt Chriſtum natum pertinentium.

Prima *Obſervatio.* Seth duabus columnis inſculpſit Artes à ſe inventas.

Secunda. Aſtrologia cœpit coli circa Annum Mundi trecenteſimum.

Tertia. Lamech fuit autor bigamiæ circa Annum mundi ſexcenteſimum.

Quarta. Mathuſalem, etſi mortalium omnium vixerit diutiſſimè, millenarium tamen, utpote figuram immortalitatis & æternitatis, non attigit.

Quinta. Noë eſt auctor Architecturæ ante diluvium, & poſt diluvium vini.

Sexta. Sem circa Annum mundi 1660. inſtituit ſcholam privatam, quæ poſtea Hebræorum dicta eſt.

Septi-

Septima. Nemrod circa Annum mundi 1720. instituit scholam Chaldæorum. Sub eo nobilitas incepit.

Octava. Circa Annum mundi 1745. incepit Regnum Sueciæ à Magog nepote Noë ex Japeto, ut sentit Alstedius in Encylopædia; qui addit, eodem tempore incepisse Regnum Scythiæ à Magog.

Nona. Regnum Germanorum inchoatum est circa Annum mundi 1790. sub Tuiscone, quem avus ejus Noë cum 20. ducibus misit in Provincias Septentrionales. Idem Tuisco condidit etiam Regnum Sarmatarum.

Decima. Hierosolyma, primò dicta Salem, condita est à Melchisedech Anno mundi 1890.

Undecima. Anno mundi 1970. condita est Urbs Trevirensis.

Duodecima. Triginta Annis post exstructam urbem Trevirensem, Tigurum conditum & Solodurum, quæ tres urbes dicuntur sorores.

Decima Tertia. Circa Annum mundi 2000. Hermes Trismegistus Chymiam docuit Ægyptios & literas ipsis dedit, & horas ordinavit, & primos libros edidit: quorum numerus fuit 25000.

Decima Quarta. Abraham docuit Philosophiam, Mathematicam & Astronomiam, fuitq; fœderis inventor.

Decima Quinta. Quidam nomine Hana Anno mundi 2230. invenit modum procreandi mulos.

Decima Sexta. Isis soror & uxor Osiris Germanos docuit lanificium, vini & olei usum Anno mundi 2280.

Decima Septima. Año mundi 2300. condita est Hispalis (hodie Sevilia) cujus conditor fuit vocatus Hispalis.

Decima Octava. An. mundi 2367. incepit Regnum Galliæ, duravitque Annos 1131. ac deinceps per Sicambros continuatum fuit.

Decima Nona. Anno mundi 2410. quadrigæ à Troc ilo inventæ sunt.

Vigesima. Anno mundi 2440. Lugdunum in Gallia conditum est à Lugdo Francorum Rege.

Vigesima Prima. Bojus, Germanorum Rex condidit Bojobinum sive Bubienum, quæ nunc Praga appellatur. Factum id est Anno mundi 2460.

Vigesima Secunda. Eodem Anno Amazones invenerunt bipennes & tympana.

Vigesima Tertia. Año mundi 2580. primum Græcum carmen scriptum est à Phemonoë.

Vigesima Quarta. Bellerophon invenit piraticam maritimam Anno mundi 2600.

Vigesima Quinta. Anno mundi 2680. conditum est Aschaffenburgum (Authoris patria) teste Alstedio, qui *tom. 7. Encyclopædiæ libro 33. cap. 8.* scribit in hæc verba: *Anno Mundi 2680. Asciburgium conditum est ad Mœnum.* Et paulò superius hæc habet: *Gibeon præest An. 40. Jud.* 8. *Ulsinus (Tacito Ulysses) regnat annis 53. condidit Ulisburgum, seu Aschiburgum vulgò.*

Vigesima Sexta. Anno mundi 2690. Scholæ Medicorum cœperunt, auctore Chirone & Æsculapio.

Vigesima Septima. Anno mundi 2700. Scholæ Poëtarum cœperunt, auctore Lino, qui fuit Præceptor Herculis & Orphei.

Vigesima Octava. Anno mundi 2790. Scholæ Italicæ primitùs cœperunt authore Evandro, cujus Mater Carmenta à carminibus dicta est.

Vigesima Nona. Anno mundi 3090. Alladius Rex Latinorum, dum tonitrua imitari conaretur, hiatu terræ absorptus est.

Trigesima. Anno mundi 3320. natus est Epimenides Cretensis, qui vixit annis 157. dormivit 57.

Trigesima Prima. Anno mundi 3320. Draco erat legisla-

gislator Athenienſium, qui tanta utebatur ſeveritate, ut delicta omnia capitali ſupplicio plecteret.

Trigeſima Secunda. Anno mundi 3379. inventum eſt oleum in Italia.

Trigeſima Tertia. Simonides Ceus invenit Anno mundi 3380. artem memoriæ.

Trigeſima Quarta. Maſſilia in Gallia eſt condita Año mundi 3400. à Phocenſibus, fugientibus ex Aſia metu Cyri.

Trigeſima Quinta. Anno mundi 3420. Papyrius invenit Jurisprudentiam apud Romanos.

Trigeſima Sexta. Circa Annum mundi 3440. vixit Heraclitus Philoſophus, qui ſemper flevit.

Trigeſima Septima. Primi Romanorum Conſules Anno mundi 3442. creati ſunt, Lucius Junius Brutus, & Publius Valerius Poplicola.

Trigeſima Octava. Anno mundi 3459. Miltiades in Campis Marathonis decem millibus Athenienſium ſexcenta Perſarum millia profligavit.

Trigeſima Nona. Æſchylus Anno mundi 3460. tragœdias apud Græcos invenit.

Quadrageſima. Año mundi 3480. Anaxagoras primus apud Græcos libros edidit.

Quadrageſima Prima. Anno mundi 3483. Cometa apparuit, primus eorum, quos novimus.

Quadrageſima Secunda. Empedocles Anno mundi 3494. Rhetoricam invenit.

Quadrageſima Tertia. Anno mundi 3500. Leges XII. Tabularum ab Athenienſibus & aliis Græcis acceptæ Romam deportatæ fuerunt.

Quadrageſima Quarta. Anno mundi 3519. Græcia variis bellis ita exhauſta & attrita fuit, ut, teſte Plutarcho, ea univerſa non potuerit conflare exercitum trium millium militum.

Quadragesima Quinta. Anno mundi 3520. tertia die Augusti fuit Eclipsis solis tam terribilis, ut stellæ interdiu viderentur.

Quadragesima Sexta. Aristophanes Anno mundi 3540. comœdias invenit.

Quadragesima Septima. Circa annum mundi 3560. videntur primùm Biblia Hebraica in linguam Græcam esse versa. Nam Plato & alii Philosophi ea legerunt in lingua Græca.

Quadragesima Octava. Alexander Magnus anno mundi 3615. devicit Darium. Habuit autem Alexander in exercitu suo 32000. peditum, 4500. equitum, 182. naves: quo tam exiguo apparatu totum Orientem sibi subjecit.

Quadragesima Nona. Regnum Scotiæ incepit temporibus Alexandri Magni, circa annum mundi 3619.

Quinquagesima. Chartæ sunt inventæ in Ægypto circa Annum mundi 3200.

Quinquagesima prima. Stada antiquissima Urbium Saxoniæ circa annum mundi 3208. perhibetur condita.

Quinquagesima secunda. Diocles Caristius Regis Antigoni Medicus primus anatomica scripsit anno 3650.

Quinquagesima tertia. Anno 3670. Schola Alexandrina in Ægypto instaurata est à Ptolemæo Philadelpho: qui bibliothecam quadringentis librorum millibus ibi instruxit.

Quinquagesima quarta. Anno mundi 3701. secundùm computum quorundam Chronologorum Judæis præfuit annis 17. Joannes Hircanus, qui fuit tritavus Christi, postremus Judæorum Dux è posteris Davidis.

Quinquagesima quinta. Circa annum mundi 3710. floruit Chrysippus, qui scripsit libros Logicos 371.

Quinquagesima sexta. In annum mundi 3730. incidit bel-

bellum Punicum II. inter Romanos & Hannibalem, non totis ſeptemdecim annis geſtum, quod 1500000. virorum millia conſumpſit.

Quinquageſima ſeptima. Anno mundi 3760. Cato Cenſorius gloritatus eſt, ſe plura oppida in Hiſpania cœpiſſe, quàm dies in ea egerit.

Quinquageſima octava. Regnum Macedonum deſiit anno mundi 3785. in Rege Perſeo, quem Paulus Æmilius devicit, cæſis 20000. Macedonum.

Quinquageſima nona. Anno mundi 3798. Cometa apparuit magnitudine ſolis, fulgore ſuo noctis tenebras diſpellens.

Sexageſima. Anno mundi 3830. Mithridates Rex Ponti unâ epiſtolâ interemit 80000. civium Romanorum, qui per Aſiam negotiandi causâ diſperſi erant.

Sexageſima prima. P. Terentius, Varro Romanorum doctiſſimus, floruit circa annum mundi 3880. ſcripſitque libros 413.

Sexageſima ſecunda. Circa annum mundi 3910. Druſus ſub Auguſto Cæſare ad ripam Rheni 50. caſtella conſtruxit. In his memoratur *Bonna & Boddriga*, vulgò *Boppert.* Idem conſtruxit caſtellum Cattorum, Caſſel.

Sexageſima tertia. Anno mundi 3923. 14. Februarii Octavius primùm Auguſtus Cæſar appellatus eſt.

Sexageſima quarta. Poſonium, vulgò Preßburg / conditum eſt à L. Piſone anno mundi 3940.

Sexageſima quinta. Anno Chriſti 19. Rex Germanorum Arminus à cognatis ſuis, mercede à Tiberio Cæſare conductis, occiditur.

Sexageſima ſexta. Etiamnum hodie monſtratur domus Pilati prope Turonium in Gallia; fuit enim à Vitellio relegatus.

Sexageſima ſeptima. Anno Chriſti 64. Judæi arma

arripiunt, ſed triſti eventu. Nam innumeris cæſis, tandem Hieroſolyma à Romanis capta fuit, & Judæorum undecies centena millia partim immani fame, partim ultore gladio perierunt: atque inſuper eorum centum millia ſunt vendita in ſervitutem.

Sexageſima octava. Anno Chriſti 114. Judæi iterum rebellantes duce Barcochab, paſſim ad internecionem deleti ſunt. In Ægypto 200000. trucidata ſunt. Adrianus delevit 5000000.

Sexageſima nona. Maximinus Imperator An. Chriſti 237. per 400. millıaria ſoli Germanici vicos incendit.

Septuageſima. Anno Chriſti 252. peſtis in Æthiopia exorta, per 15. annos omnes Romanas Provincias populata eſt.

Septuageſima prima. Anno Chriſti 329. Genobaldus primus Franconiæ Dux creatus eſt.

Septuageſima ſecunda. Schola Trevirenſis omnium Germaniæ Academiarum antiquiſſima eſt.

Septuageſima tertia. Ingens terræ motus ferè totum terrarum orbem concuſſit anno Chriſti 367.

Septuageſima quarta. Regnum Hungariæ incepit anno Chriſti 381.

Septuageſima quinta. Anno Chriſti 398. Ordo Canonicorum Regularium à S. Auguſtino inſtitutus eſt.

Septuageſima ſexta. Anno Chriſti 409. Romæ ſub Honorio Imperatore tanta fuit omnis annonæ caritas & raritas, ut homines hominibus jam imminerent, & in circo palàm audita ſit vox illa; *Pone pretium humanæ carni.*

Septuageſima ſeptima. In exercitu Honorii Imperatoris, nullo vulnere accepto, Gothorum millia ducenta ceciderunt.

Septua-

Septuagesima Octava. Erfordia sive Erfurtum, cœpit sub Arcadio & Honorio, anno Christi 421.

Septuagesima nona. Anno Christi 446. Muri Constantinopolitani unà cùm 77. turribus corruerunt.

Octogesima. Circa annum Christi 480. Arturus Rex Angliæ inclaruit victoriis adversùs barbaros. In acie suâ manu interfecit 460. hostes.

Octogesima prima. Justinus primùm Subulcus, deinde faber lignarius, postea miles, tandem Imperator factus est.

Octogesima secunda. Slavi Illyricum & Dalmatiam occuparunt anno Christi 614. & inde Slavonia appellatur.

Octogesima tertia. Mahomet Pseudopropheta 13. annos impendit compositioni Alcorani.

Octogesima quarta. Bohemi originem ducunt à Slavis, quia Zechus eorum author, fuit natione Slavus.

Octogesima quinta. Academia Erfordiensis fundata est anno Christi 650. à Dagoberto Rege Francorum.

Octogesima sexta. Circa annum Christi 682. fuit Adolphus Comes Nassoviæ, & Tutor Hassiæ.

Octogesima septima. Septimo Seculo Christiano fuit institutus usus campanarum & instrumentorum musicorum in Ecclesiâ. Eodem tempore conversa est ad fidem Flandria per S. Eligium, Franci Orientales per S. Kilianum, Hollandi & Frisones per S. Willebrordum & Suibertum.

Octogesima octava. Librorum millia centena vicena conflagrarunt Constantinopoli anno Christi 476.

Octogesima nona. Anno Christi 757. institutum fuit Parlamentum in Gallia.

Nona-

Nonagesima. Anno Christi 797. sol per dies septendecim obscuratus mansit mirabili prodigio.

Nonagesima prima. Carolus Magnus anno Christi 800. restituit imperium occidentale, deinceps à Germanis obtinendum.

Nonagesima secunda. Anno Christi 928. Leopoldus cognomento *Illustris*, ab Henrico I. Imperatore fit primus Marchio Austriæ.

Nonagesima tertia. Anno Christi 1010. omnium maxima fames & pestis grassatur toto orbe terrarum.

Nonagesima quarta. Henricus (ni fallor) IV. Imperator Romano-Germanicus sexaginta duobus præliis interfuit, quæ inceperunt anno Christi 1065.

Nonagesima quinta. Anno Christi 1095. institutum est triduanum in principio quadragesimæ jejunium: & addictum cultui Deiparæ sabbathum. Eodem tempore institutum est Officium Beatæ Virginis.

Nonagesima sexta. Anno Christi 1013. viginti millia puerorum profecta sunt in Palæstinam ad bellum sacrum. Perierunt autem fame, peste, gladio.

Nonagesima septima. Anno Christi 1168. corpora trium Regum Coloniam translata sunt.

Nonagesima octava. Anno Christi 1177. Monachium Bavariæ Caput constructum est.

Nonagesima nona. Anno Christi 1183. Otho Wittelspachius Principatum Bavariæ obtinuit; unde hodierni Bavariæ Duces.

Centesima. Anno Christi 1138. mortuus est in Gallia Joannes de temporibus Caroli M. armiger, ætatis suæ anno 361.

Centesima prima. Irnerius Wernerus Germanus primus publicè in Italia professus est Juris prudentiam.

Centesima secunda. Anno Christi 1155. Hermannus Mar-

Marchio Veronensis à Friderico II. Cæsare creatus est primus Marchio Badensis & Hochburgensis.

Centesima tertia. Circa annum Christi 1212. Guelphi & Gibellini maximas dant turbas: illis Pontificias, his Cæsareas partes sequentibus.

Centesima quarta. Anno Christi 1250. centum millia hominum diluvio pereunt.

Centesima quinta. Anno 1232. Mechtildis Comitissa Hennebergensis parit unâ vice 350. liberos.

Centesima sexta. Anno Christi 1241. Mons in Burgundia deserit suam stationem & alii cuidam monti se aggregat, atque in hoc suo itinere necat quinq; millia hominum.

Centesima septima. Anno Christi 1260. octo millia Orthodoxorum cædunt & vincunt centum millia hæreticorum Albigensium.

Centesima octava. Anno Christi 1270. Comitissa quædam prope Cracoviam unâ vice parit 36. liberos.

Centesima nona. Anno Christi 1276. Comitissa quædam Hollandiæ parit unâ vice 365. liberos.

Centesima decima. An. Christi 1282. Vesperæ Siculæ 30. Martii fuerunt fatales Gallis: quippe qui spatio duarum horarum omnes ad unum in Sicilia sunt trucidati.

Centesima undecima. An. Christi 1245. campanæ sonitus, tum ad consecrationem, tum Salutationem Angelicam decretus: concordantiæ Bibliorum editæ; Biblia capitibus distincta sunt.

Centesima duodecima. Anno Christi 1291. Festum SS. Sacramenti institutum, & genuflexio ad *Homo factus est* decreta fuit.

Centesima decima tertia. Domus Deiparæ Nazaretana è Galilæa in Dalmatiam anno Christi 1291. hinc in Picenum, in sylvam Lauretanam translata fuit.

Cen-

Centesima decima quarta. Admirabile tentorium, in quo Solis & Lunæ circuitus repræsentabatur, Friderico Imperatori à Soldano missum est anno Christi 1204.

Centesima decima quinta. Anno Christi 1239. Academia Viennensis in Austria constituta est.

Centesima decima sexta. Petrus de Vineis Friderici Imperatoris Cancellarius, exoculatus, capite ad columnam, alliso interiit anno Christi 1249.

Centesima decima septima. Anno Christi 1268. Conradinus Suevus, & Austriacus securi percussi sunt Neapoli.

Centesima decima octava. Circa annum Christi 1300. Ottomannus Imperium Turcicum à Tartaris hactenus oppressum, longè latèque propugnare cœpit. Ab eo dicitur Imperium Ottomannicum.

Centesima decima nona. Anno Christi 1305. Clemens V. Sedem in Galliam transtulit, nempe Avenionem.

Centesima vigesima. Anno Christi 1311. Templarii uno die sublati sunt.

Centesima vigesima prima. Anno Christi 1315. tam sæva fuit & pestis & fames, ut plures judicati fuerint mortui esse, quàm superesse.

Centesima vigesima secunda. Anno Christi 1346. Angli cæciderunt 30. millia Gallorum: inter quos erant Principes undecim, 80. Barones, mille ducenti Nobiles.

Centesima vigesima tertia. Anno Christi 1363. Turcæ Joannem Palæologum Imperatorem Constantinopolitanum sibi faciunt tributarium.

Centesima vigesima quarta. Anno Christi 1371. Gregorius XI. Sedem Apostolicam ex Gallia reduxit Romam.

Cen-

Centesima vigesima quinta. An. Chr. 1394. Cometa apparuit, *Veru* dictus: qui putatur designasse defectionem Italorum ab Imperio Romano.

Centesima vigesima sexta. Anno Christi 1397. adversus Bajazethem Imperatorem Turcarum excitatum est illud belli fulmen Tamerlanes, Imperator Tartarorum; qui quater centenis equitum millibus, & peditum millibus sexies centenis Bajazethem vicit (cæsis ducentis millibus Turcarum) & catenis aureis vinctum in caveâ cancellata per Asiam circumduxit, ipsoque, equum conscensurus, usus est loco scabelli.

Centesima vigesima septima. Anno Christi 1408. Turca Janitscharos instituit.

Centesima vigesima octava. Anno Christi 1415. tam horrenda fuit eclipsis Solis, ut aves in terram deciderent.

Centesima vigesima nona. Anno Christi 1430. tria millia Helvetiorum trucidant 20000. in Exercitu Gallio ad Basileam.

Centesima trigesima. Anno Christi 1442. asperrima fuit hiems, 36. nivibus se invicem excipientibus.

Centesima trigesima prima. Anno Christi 1475. Reuchlinus didicit Romæ Linguam sanctam à Rabbi Abdia, singulis horis singulos aureos in didactrum pendens.

Centesima trigesima secunda. Anno Christi 1484. tantus vini proventus, ut non potuerit excipi ob defectum doliorum.

Centesima trigesima tertia. Morbus Gallicus circa Annum Christi 1495. primùm in Germania auditus est.

Centesima quadragesima. Anno Christi 1345. vel 1349. Delphinatus ad Gallos transit, eâ conditione, ut Regum Galliæ primogenitus vocetur *Delphinus.*

Cente-

Centesima quadragesima prima. Anno Christi 1404
Jubilæum à Paulo II. ad 25. annum reductum est.

Centesima quadragesima secunda. Anno Christi 149
quadraginta millia familiarum Judaicarum ex Hispa
niis pulsa.

Centesima quadragesima tertia. Anno Christi 147
Ducatus Wirtenbergensis inchoatus est.

Centesima quadragesima quarta. Anno Christi 152
captus est Rex Galliæ Franciscus I. ab exercitu Carol
V. ad Ticinum.

Centesima quadragesima quinta. Anno Christi 152
Solimannus Turcarum Imperator Viennam frustr
obsedit centenis & quadraginta millibus, amissis suo
rum 80000. iteratò 1531. sed eodem successu: deniqu
1533. tertiùm tentavit, sed non expugnavit Vien
nam.

Centesima quadragesima sexta. Circa Annum Chri
sti 1549. numerata sunt per orbem universum monaste
ria 225044.

Centesima quadragesima septima. An. Chr. 1579. obii
Albertus V. Dux Bavariæ cognomento *Magnanimus*
qui leonem tanquam canem manu mulsit, & pe
dibus substratum habuit, assiduumque lateris comi
tem.

Centesima quadragesima octava. Hereditarius Ca
tholici Regis titulus Ferdinando Hispano concessus
Julio II. vel potiùs restitutus, An. Christi 1582.

Centesima quadragesima nona. Henricus II. Re
Galliæ in ludis nuptialibus lanceæ fragmento peri
Anno 1546. Henricus III. à parricida cultro confoditu
Anno 1588. in quo desiit familia Valesiorum. Henri
cus IV. è gente Borbonia, cognomento Magnus, &
ipse parricidali cultro confossus interiit.

Centesima quinquagesima. Oppidum Plours in Ita
lia

lia cum 1500. hominibus monte obruitur Anno Christi 1618.

DISCURSUS TRIGESIMUS.

EX ETHICA.

De vitanda curiositate, tamquam homini periculosa & perniciosa.

PRÆFATIUNCULA.

Ethica est pars Philosophiæ moralis. Hæc enim dividi solet in Oeconomicam, Politicam & Ethicam. Porrò Ethicæ officium est, docere moderationem affectuum, culturam virtutum, fugam vitiorum. Eam Marcus Tullius appellat vitæ ducem, virtutis indagatricem, expultricem vitiorum, inventricem legum, Magistram morum & disciplinæ.

PLurima ex vana curiositate in genus humanum redundant, non modo pericula, sed etiam detrimenta. Sicut enim qui gustat aconitum, ut qualitatem ejus scrutetur, prius perit, quàm saporem sentiat: ita qui curiosè rimatur ea, quæ ad ipsum non pertinent, priùs seipsum pessumdat, quàm cognoverit id quod scrutatur.

Curiosus dum quærit quod non debet, invenit quod non vult.

Unde non immeritò S. Bernardus serm. 5. de modo vivendi curiositatem appellat *damnosam peritiam.*

Constat certè, non paucos stimulante inani curiositate sciendi res occultas ad se non pertinentes, implorasse opem Dæmonis, ejusque in crystallo, annulo, vel capsulà, aliisque rebus inclusi responsa ad quæstiones curiosas avidè excepisse, atque adeo capitalis & jurati

inimici nostri consuetudine, non sine Creatoris injuri
& propriarum animarũ pernicie, familiariter usos fuiss

Hujusmodi Spiritum, seu dæmonem familiarem habuisse fertur Cornelius Agrippa; de quo sic scribit Jovius in Elogiis. Immenso captu vastaque memoriâ scientiarum, artiumque omnes Rationes, arcanaque intima & summos apices complexus, disciplinas convellit, Religiones in dubium revocavit, studiorumque omnium labores festivâ declamatione derisit &c. Excessit è vita nondum senex, apud Lugdunum ignobili & tenebroso in diversorio, multis eum tanquam necromantiæ suspicione infamem execrantibus, quòd Cacodæmonem nigri canis specie circumduceret; ita ut cùm propinquâ morte ad pœnitentiam urgeretur, canimillum sive collare loreum, magicis per clavorũ emblemata inscriptum notis, exsolverit, in hæc suprema verba iratè erumpens: *Abi perdita bestia, quæ me totum perdidisti.* Nec usquam familiaris ille canis, ac assiduus itinerum omnium comes, & tum morientis domini desertor, postea conspectus est; cùm præcipiti fugæ saltu in Ararum Galliæ fluvium se immersisse, nec enatasse, ab his qui id se vidisse asserebant, existimetur. *Ita Jovius.*

Non minus periculosa, licet fortè minùs perniciosa fuit curiositas illius Juvenis Galli, de quo Schottus in Physica Curiosa sequentem commemorat historiam.

Juvenis quidam in Gallia impuris amoribus deditus, ut sciret, quid quovis loco ac tempore amasia, quam deperibat, nec tamen pro voto suo frequenter adire poterat, ageret, dæmonem quærebat familiarem, à quo id expiscaretur. Alteri ergo familiari suo animum suum exponit, rogatque ut consilio vel auxilio se voti sui compotem faciat. Respondit ille, habere se domi capsulæ inclusum, quem quærebat, Dæmonem, eumq; fidelissimum, & ad reddenda responsa promptissimum,

mum, ideoque ne quidem pro magna pecuniæ ſumma eum venditurum. Licitatur alter nihilominus, & quantumcunque peteret pretium, liberaliter offert. Venalis non eſt, ait ille; nec, ſi eſſet, minùs centum aureis venderem. Accipe, ait Licitator, centum aureos, & mercem petitam affer. Hinc ergo, ut jocum fucumque faceret amicus, gryllum in culina domeſtica venatu captum, capſulæ goſſipio impletæ impoſitum emptori offert, docetque modum, quo reſponſa eliceret; nimirum ut, dum cubitum iret, capſulam ſub cervicali collocaret, quæreret quod ſcire vellet, aurem applicaret, & auſcultaret: auditurum reſpondentem. His auditis lætus emptor, ſolvit centum aureos, ac prima ſtatim nocte, ſervatis priùs ritibus præſcriptis, quærit quo loco eſſet amaſia, quidque ageret? Audit reſpondentem, & diſcit quod ſcire voluerat. Redit die poſtero ad venditorem, agit gratias pro dæmone vendito, dilaudat fidelitatem amici, gratulatur ſibi de pecunia tam bene impenſa. Attonitus venditor, nugaris, inquit, non dæmonem, ſed gryllum tibi vendidi, ut joco curioſitatem tuam eluderem: en pecuniam tuam, quam retinere in animo nunquam habui: gryllum ocyus reſtitue; video enim Diabolum petitioni tuæ obtemperantem, per ipſum reſponſa dare. Sed nec pecuniam ut reciperet, nec mercem ut reſtitueret, adigi emptor potuit.

Minùs pernicioſa, pernicioſa tamen fuit illa duorum Conjugum curioſitas: cujus pœna extitit, non Dœmonis illuſio, ſed ſtatus melioris in deteriorem commutatio.

Ajunt Principi cuidam in Saxonia ſubditum fuiſſe, qui ob gravem ſenectutem non amplius laborando victum ſibi quotidianum comparare valebat. Ejus igitur miſertus Princeps, in aulam ipſum unà cum con-

juge ſuâ recepit, ut illic findendis lignis, & cum uxore in culinam aulicam portandis, operam daret. Dum Ruſticellus iſte cum ſua uxorcula, vetulus cum vetula, à Principe ſibi injuncto labore aliquamdiu functus eſſet, accidit aliquando ut muliercula portandis lignis admodum defeſſa, virum ſuum in hunc modum querula alloqueretur: Mi Marite, niſi Adamus & Eva in peccatum lapſi divinum eſſent transgreſſi mandatũ, utiq; nec nobis præduri iſti labores ſubeundi eſſent. Has querulas mulieris voces cum forte fortuna per feneſtram proſpiciens inaudiſſet Princeps, mox rogavit ſenem quid accidiſſet, quod uxor ejus tam flebiles queſtus funderet. Territus miſellus ruſticus hoc improviſo Principis quæſito, tandem rem, ut erat, confeſſus: Sortem noſtram, inquit, deplorantes, incuſabamus protoparentes noſtros, ut qui transgrediendo divinum mandatum in paradiſo, ſint cauſa hujus magni laboris, quem nos quotidie ſuſtinere oportet. Tum Princeps, Vos, inquit, ne culpam laborioſæ vitæ veſtræ amplius in Adamum & Evam transferre, & de illorum transgreſſione impoſterum conqueri poſſitis, vitam poſthac otioſam & tranquillam agatis per me licebit, nec ullos amplius labores ſuſtinebitis. Deſtinabo vobis commodum in aula mea habitaculum, ac ſingulis prandiis atque cœnis ſex fercula vobis apponi curabo; eâ tamen conditione, ne quid de ſexto ferculo guſtetis; & ipſe catinus, cui illud à coquo inditum fuerit, ſemper opertus maneat. Quamprimum autem ſextam patinam aperueritis, ad priſtinos veſtros labores redeatis. Dictum factum. Vix octiduum abierat, quo iſtud par conjugum in dulci hoc otio vixerat, cum curioſæ mulieris animum cupido inceſſit noſcendi, quidnam ferculi ſextæ paropſidi inditum eſſet. Itaque Marito blandiens vetula: Mi vir, ait, quid cibi in ultima ſcutella lateret?

At

t maritus constantior: Cave sis, inquit, malàm rem,
mea conjux! Nonne vides, quàm jucundo frua-
tur otio, vitamque tranquillam & ab omni cura alie-
am agamus? quam tamen, levissimæ huic curiositati
ndulgentes, mox iterum perderemus. His verbis
um Maritus uxoris curiositatem aliquantulum com-
escuisset, paucis interjectis diebus muliercula virum
ursus adorta, tam diu aures ipsi vellicabat, donec bonus
eniculus à vetula sua persuasus assensum præberet, sex-
amque scutellam retegeret, unaque musculus vivus,
qui inclusus erat, exiliret. Veruntamen cum Princi-
is famulus ciborum reliquiis asportatis, non reperto
n sexta scutella musculo, animadverteret eam fuisse
eclusam; sine mora, uti jussus fuerat, id Principi indi-
avit. Mox Princeps ambos accersiri jussit conjuges;
umque marito exprobraret, cur ausus fuisset manda-
um suum infringere, prohibitamq; retegere scutellam?
Hîc tremebundus seniculus omnem culpam in vetu-
am suam transferens, in has tandem voces erupit: Mi
lementissime Domine, hæc uxor mea damnabili Cu-
iositate ducta, usque & usque me, invitum licet, insti-
gare non destitit, donec interdictam retegerem scutel-
am. Siccine? ait Princeps: Et Eva à serpente decepta
landissimis suis impulsibus Adamum pellicere non
essavit, donec ille fructu vetito vesceretur. Sed de-
num ambo in pœnam delicti è paradiso expulsi fuêre:
Eva quidem, quòd se à serpente decipi passa sit; Ada-
mus verò, quòd morem gerens uxori suæ, comedisset
de arbore, cujus esu interdixerat ipsi Deus. Habuit
verò deinceps Adamus terram infœcundam suâ culpâ,
& ex eâ necesse habuit laboriosè quærere cibum quoad
viveret. Itaque & tu, & uxor tua curiosula, ad pristi-
nos labores redibitis.

Non absimile huic est, quod subjungo.

Princeps quidam magni nominis opiparum instruxerat convivium: in quo dum varii ac festivi sermones ultro citroq; miscerentur, inter alia quoque injecta erat mentio curiositatis feminarum. Ubi vir quidam primariæ nobilitatis ausus est dicere, tantam esse hodie nostrarum muliercularum curiositatem, ut si eæ quondam in paradiso fuissent, non gustaturæ, sed omnia potiùs & singula vetitæ arboris poma devoraturæ fuissent. Hunc viri sermonem cùm nobiles feminæ, quæ convivio simul intererant, ægerrimè tulissent (quod utique futurum ipse haud vanè præsenserat) ut dictam semel à se sententiam confirmaret, subdidit; fortè ejus rei experimentum capiendum ex occasione fortuitò oblatâ, antequam à mensa surgeretur. Nec mora, quasi aliud quid acturus, clam coquo per famulum mandat, ut artificiosam appararet artocream, & quàm posset celerrimè mensæ imponendam curaret; priùs tamen vivam ei inderet aviculam. Strenuè mandata exequitur cocus. Infertur mensæ artocrea. Mirantur omnes artificiosam Coqui manum: Nesci[i] tamen, quid intus lateret, præter Principem, & paucos alios, quorum intererat eam agere fabulam. Hoc ferculum cùm aliquamdiu convivarum, præsertim mulierum, curiosis oculis expositum fuisset: hæ non contentæ pavisse oculos aspectu, desiderarunt etiam curiosum animum notitiâ latentis cibi exsatiare. Res verò ex composito gerebatur; ac prohibitum erat structoribus, ne ullus, etiamsi id nobiles feminæ postulaturæ essent, artocream discinderet ac divideret. Cum igitur nemo famulorum artificiosum tucetum dissecare vellet, licet feminæ id vehementer postularent; Ipsæ, denique, quòd se diutiùs continere non possent, desiderium suum expleturæ, junctis viribus artocream aggrediuntur; dissecturæ, ac visuræ

quid

quid tandem edulii in ea contineretur. Vix cultro adaperta fuerat farinacea caveola, cùm repentè inclusa aicula abiit, excessit, erupit, evasit, avolavit. Quod ùm Princeps cæterique aulici conspexissent repente ngens toto triclinio risus obortus est. Cùmque curiosæ feminæ hac insidiatrice escâ captæ, atque in ruborem datæ fuissent, præ omnibus exultavit aulicus ille nobilis, qui paulo antè in muliebris sexûs curiositatem invectus erat, quòd assertionis suæ tam festivum atque extemporaneum specimen capere licuisset.

DISCURSUS TRIGESIMUS PRIMUS.

EX ETHICA.

Dictamina quædam de vitanda Gula & Ebrietate.

DICTAMEN I.

INtemperantia & ingluvies est fœcundissimum plurimarum ægritudinum seminarium.

Ubi est ventris ingluvies, ibi est morborum colluvies.

Abstinentia è contrario est sanitatis Magistra, & ad vitam prolongandam aptissimum medium.

Titum Pomponium Atticum Ciceronis amicitiâ notissimum, scribunt ætate jam provectum, ut incurabili morbo finem imponeret, inediâ vitam finire constituisse. Sed cùm vix biduum ab omni cibo abstinuisset, evanuit morbus, & æger pristinæ valetudini restitutus est.

Fridericus Fornerus Suffraganeus Bambergensis Anno 1613. literis scriptis testatus est, se in Thuringia, cùm officio Visitatoris fungeretur, inter sex millia hominum,

minum, quibus Sacramentum Confirmationis impertiverat, multos valde annosos & longævos, atque adeo inter sex millia diœcesanorum supra ducentos invenisse, qui annum centesimum excesserint. Inter quos unus aliquis agebat annum centesimum quinquagesimum, habebatque filios centum, nepotes 70. annorum, pronepotes quoque & abnepotes. Atque hi omnes beneficio frugalitatis & temperantiæ ad eam ætatem perducti fuere.

Veterum Medicorum judicio, inter edulia omnia nullum ad sanitatem conservandam, vitamque prolongandam efficacius est, quàm ptisanaide, cujus laudibus Galenus Medicorum Princeps peculiarem conscripsit tractatum; Ubi inter alia scribit in hæc verba: Ptisana hordei bene cocta est optimum edulium, & inculpatissimum omnium eduliorum ad euchymiam & sanitatem. Sed ne ullum quidem alterum datur inventu, quod (sive ut medicamentum, sive tanquam nutrimentum exhibeatur) huic sit compos. Nam blandi saporis est, & nullam habens insuavitatem: citò digeritur, & facilè egeritur: arcet & abigit sitim ob lentorem, modicè nutrit & humectat: nusquam per angustos hæret meatus, sed ipsos permeat, & putridos succos detergit, semiputres concoquit. Debet autem fieri ex hordeo decorticatico, non integro, sed confracto; neque coqui cum aqua simplici, sed cum optimo gallinarum nigricantium jure, asperso piperis & zingiberis pulvere. Hæc Galenus.

Sed vera ptisana, Galenicâ illâ & hordaceâ multò nobilior, & ad sanitatem vitamque conservandam accommod..tior, est frugalis esculentorum & potulentorum usurpatio,

Qui amat vitam longam, amet mensam brevem.

Am..vit utramque Zeno Citticus, Sectæ Stoicæ tam

mori-

moribus illustrator, quàm doctrinâ conditor; qui beneficio abstinentiæ vixit annis nonaginta sine ægritudine.

Abstinentiæ adjunxit cæteras corporis afflictiones Romualdus Anachoretarum Camaldulensium Fundator, vir integerrimus & abstinentissimus, qui *abstinendo & sustinendo* vitam ad annum vicesimum supra centesimum produxit.

Adeo vivere non est indulgere voluptatibus.

Gnome paradoxa, non cacodoxa est, quam subjicio.

Qui cupit vesci cibis multis, vescatur paucis; qui enim parum comedit, multum comedit, & qui multum comedit, parum comedit. Id ipsum hoc proverbio significare solent Itali: *Il mangiar molto fà mangiar poco. Chi poco mangia, assai mangia, e chi assai mangia, poco mangia.* Cui consonat dictum Gallorum: *Qui moins mange & despend, plus mange & despend: Qui plus mange & despend, moins mange & despend.*

In multis escis erit infirmitas. *Ecclesiastici 37.*

Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam. *Ibidem vers. 34.*

Unde Galli dicere solent, helluones facere sibi ipsis fossam sepulchralem dentibus suis.

Les gourmans font leurs fosses avec leurs dens.

Nec minùs verum est illud Italorum: *La gola n'amazza più che la fame.* Breviter Plinius: *Cibis homines maximè pereunt.*

DICTAMEN II.

FRugalitate & abstinentiâ conservantur opes & bona fortunæ, voracitate verò dissipantur.

La cucina piccola fà la casa grande.
Grassa cucina, magro testamento.
A grassa cucina povertà è vicina.
La tavola è un ladrone secreto.

Certè hic fur duas opulentissimas civitates furatus est inter epulas Hugutioni Fagiolæ: qui accepto Lucæ, ubi tum erat, inter prandendum nuntio, Pisanos seditionem movere; priùs inquit, prandeamus: postea satis tempestivè Pisas ad castigandos Rebelles veniemus. Finito ergo prandio celeriter Pisas contendit: sed à civibus exclusus Lucam properè rediit, ubi etiam portas occlusas reperit. Sic ergo undique exclusus, Veronam ad Canem Scaligerum se recepit, ejusque liberalitate vitam sustentavit. Cùm verò aliquando ad mensam sermo de hominibus voracitate insignibus incidisset, & Hugutio sibi adolescenti binos capones, quatuor turdos, armum ovillum, & pectus vitulinum in unam cœnam vix satis fuisse, diceret: Petrus Nanus homo valde argutus, atque etiam mordax, parum hoc, inquit, mihi videtur præ illo, quòd tu uno prandio duas opulentissimas urbes (Pisas & Lucam intelligebat, quarum Hugutio fuerat dominus) absumpseris.

DICTAMEN III.

Meminerint potatores specialem inesse turpitudinem illi intemperantiæ, quæ in immodica sumptione potûs, seu ebrietate consistit: & hanc turpitudinem cum magnis detrimentis conjunctam esse.

Inprimis enim nimis loquacula est ebrietas; & sæpe damnosè, semper periculosè detegit occultanda.

Infidelis secreti custos est ebrietas.
Doppo il bere ognun dice il suo parere.
Ex oculis, loculis, poculis cognoscitur homo.
Deinde temulentia est affinis stultitiæ.
Ex Vinolentia temulentia, ex temulentia amentia.
Reddunt delirum femina, vina, virum.
Vbi intrat vinum, ibi exit ratio.
Dove entra il bere, se n' esce il sapere

Quand

Quand le Vin entre dans le corps, le jugement s'en va dehors.

Primum poculum sanitatis est, alterum voluptatis, tertium contumeliæ, quartum insaniæ. Pythagoras.

Neque rationi tantùm, sed sanitati etiam corporali, vitæque humanæ inimica est ebrietas.

Plures interierunt vinolentià, quam violentiâ.

Non facit ad multam crapula multa diem.

Multos exterminavit vinum. Ecclesiastici 31.

DISCURSUS TRIGESIMUS SECUNDUS.

EX ETHICA.

Instabilitati Fortunæ non esse fidendum.

DICTAMEN I.

COnsidera Fortunæ injurias, quibus hodie exagitaris, fortè cras, forte perendie in mera blandimenta optatosque favores conversum iri. Id ipse fortunæ Genius, qui nihil constans ac perpetuum suis polliceri potest, præter inconstantiam, non obscurè patefacit. *Fortuna mutatur ut Luna.* Verissimum est illud Gallorum adagium: *Tempt, Vent, Femmes, & Fortune, se changent comme la Lune.* Fortuna tessellata est, quia bona malis, mala bonis interpolat. *Ludunt invicem tesserâ variante felicitas & infelicitas.*

Nubila post soles, post gaudia sæpe dolores.

Fortunæ rota modò ab imis ad summa erigitur, modò à summis ad ima deprimitur. Repentè nunc hi ex alto dignitatum fastigio præcipitantur, nunc illi ex improviso in altum evehuntur. Hanc desultoriam Fortunæ levitatem experti sunt plurimi; Sortis modò faventis gloriosi sponsi, modò adversantis probrosa ludibria.

Sau-

Saulem ab Asinis, Davidem ab ovibus ad sceptrum Israëliticum, Gigem à bobus ad Lydium, Menelaum è fornice ad Macedonicum, Arsacem à latronum spelæis ad Parthicum, Telephanem à carrucarii officina, Hyperbalum à Laternis: Hunc ad Principatum Atheniensium: Illum ad aliud Imperium elevavit Fortuna.

Agatocles Patre figulo natus, usurpatâ tyrannide, ac Pœnis sæpius fortiter debellatis, cùm fortunæ filius crederetur repente crudelissimo fato à nepote Andragatho peremptus est.

Alcibiades in varia fortuna semper fuit audax, nunquam non fortis, sæpius felix. Athenis exceptus ut Deus, mox ejectus ut prædo, ad Persas transfugit; ubi Lysandro curante interfectus est; Verissima variantis fortunæ imago.

Dionysius Tyrannus Syracusanus, regno, virtute Timoleontis dejectus, ingens fortunæ ludibrium, Corinthi egit ludimagistrum: Throno in cathedram, sceptro in ferulam commutato; Inter mortales vel fortissimus, si jacturam sensit: vel ignavissimus, si non sensit.

Scipio, postquam Hannibalem per armatas Legiones orbe exegisset, ipse reflante fortunâ, per urbanas rixas urbe exactus est.

Mirabilem fortunæ turbinem in Sejano orbis obstupuit. Quem enim manè (verba sunt Dionis Cassii lib. 58.) ut præstantiorem se universi ad curiam comitati fuerant, tunc quasi nequaquam se meliorem in carcerem rapuerunt. Quem coronis antè dignati fuerant, ei tunc vincula induxerunt. Quem tanquam Dominum stipaverant, eum fugitivi instar custodierunt, tegimenque obvelanti sese detraxerunt, alapis ingestis. Quem antea prætextâ purpureâ veste decoraverant, cui genua flexerant, atque ut Deo, sacrificave-

caverant, eum tunc ad mortem duxerunt &c. Liberi ejus ex Senatus-consulto necati sunt: filiâ, quam pactus erat Claudii filio, priùs à carnifice constupratâ.

E contrario Agrippa vinctus, regnare jussus est à Cajo, catenâ ferreâ in auream versâ. *Adeo vincula Captivis & Regibus communia sunt.*

Viriathus, vir calliditatis fortissimæ, ex venatore latro, ex latrone subitò Dux & Imperator, occupatâ Lusitaniâ, per annos 14. Romanorum fasces infregit.

Carolus Galliæ Rex anno 1495. ducto in Italiam exercitu mirâ felicitate Regnum Neapolitanum occupavit, quod tamen paulò pòst ad Ferdinandum Alphonsi filium rediit; nihilque Gallis ex felicitate tanta superfuit, præter turpem morbum (Galli Neapolitanum, alii Gallicum vocant) quem altera Natio alteri imputat, pœnæ fœditate fœditatem culpæ insinuante, Carolus tertiò pòst anno repentinâ morte extinctus est; è duobus regnis vix sepulchrum nactus, in quo putresceret.

Carolus V. Imperator, primùm per avi materni obitum, Hispaniæ, Neapolis, & Siciliæ Rex, tum hereditate paternâ Belgii Dominus, ac tandem Romano-Germanicus Imperator, per Europam omnem bellum gessit, & thriumphum egit; Hispaniam suam tumultuantem compescuit, Belgas rebellantes in ordinem redegit; in Italia Mediolanensem Ducatum primò fœderatis, post sibi asseruit; Pontificem, Florentinos, Senenses, Genuenses, vel erexit socios, vel hostes afflixit; in Germania Solymannum Turcarum Imperatorem Viennâ depulit, Proceres acie victos sub jugum misit; Et quasi Europa tot victoriis angustior foret, delatus in Africam, Barbaris Gentibus Regem dedit, arcemq; posuit, ubi antè nec licebat stare.

Sed tandem post tot erecta æternaturæ gloriæ trophæa,

phæa, fortuna Carolo Metis metam fixit, erexitque columnam terminatricem, cui inſcripſit: NON PLUS ULTRA, propugnante urbem Metenſem Guiſio, & Cæſareanorum triginta millia abſumente.

In attollendo premendoque Antonio Grimano, Venetorum Principe, fortuna mirabiles edidit ludos, alternantibus diverſæ ſortis impulſibus, ut exponit Jovius in Elogio virorum Illuſtrium; commemorans, quo pacto Antonius à prima adoleſcentia uſque ad legitimam petendis laboribus ætatem, ſummos labores, tempeſtatumque pericula ſubierit: quomodo deinceps Procurator S. Marci ſit factus, & ad culmen honorum pervenerit, patriæque acceptus & utilis fuerit, donec in prælio cum claſſe Turcica apud Sparadas Inſulas, commutatis repente ventis, nec oportunè parentibus quibuſdam Trierarchis, tota ſpe dejiceretur, & propemodum deletâ claſſe Venetâ inſtructiſſimâ, clade maxima afficeretur, & Turcæ Naupacto potirentur, Grimano fruſtra ſe à Trierarchis per ſummam malignitatem atque ignaviam proditum conquerente, nec tamen in eos, quod eſſent nobiliſſimi ordinis, imperii ſeveritatem exercente. Ejus fœde potius, quam male geſtæ rei nuntius Grimanum ſummæ invidiæ expoſuit, ut comminutâ repente ejus gratiâ atque auctoritate, Succeſſorem ei Senatus decerneret Melchiorem Triviſanum, veterem inimicum, qui Grimano compedes injiceret, captivumque ad dicendam cauſam, Venetias continuo devehi juberet. Quo nuntio Grimanus ut inſons, & egregiè animo conſtans, Senatui omnino parendum exiſtimans, non exſpectato ſucceſſore, compedes ſibi ultro injecit, & peculiari mioparone Venetias devectus eſt, Patribus ſeſe compeditum, & judicii pœnam ſubire paratum oſtendens. Nunquam antea Venetiis frequentius atque celebrius ullius re.

ſpecta-

ſpectaculum fuit, cum eo habitu ſenex Imperator, & nihil tale ex æquo meritus, à rerum capitalium Miniſtris in carcerem duceretur, & plerisq; manarent lacrymæ ex memoria anteactæ vitæ. Publice autem accuſatus à Nicolao Michaele, demum non ut reus criminum, ſed ad minuendam invidiam, in Oſſarum, alteram Abſyrtidum Inſulam, relegatus eſt. Tandem cũ aliquantiſper Romæ apud filium Cardinalem, nihilominus Patriæ inſerviens, vixiſſet, extinctâ Venetiis invidiâ, Patrum judicio revocatus eſt, *integritatis & virtutis ergo.* Hæc enim verba fuere publici decreti; quod nuſquam præclaram juſti Officii pietatem ullâ in re erga patriæ decus intermiſiſſet. Sequentibus annis Grimanus non modo Procurator S. Marci creatus eſt, ſed etiam graviſſimam legationem ad Franciſcum Galliæ Regem ſuſcepit, aliisque honoribus condecoratus, priſtinum gloriæ decus recuperavit.

Ludit in rebus humanis fortuna, & riſum Democriti fletu Heracliti temperat.

DICTAMEN II.

Conſidera ſequentia pronuntiata, quæ tibi ad prudens regimen tui ipſius in utraq; fortuna magno erunt adjumento.

Primum. Sis fortunæ bonæ Rector, malæ victor. Si vero adverſæ fortunæ tela frangere non poſſis, cave ne ab illis frangaris.

Secundum. Qui non eſt fortunatus, fortunatus erit, ſi ſe per virtutem fortunâ dignum reddiderit. *Vera felicitas eſt, felicitate dignum videri.*

Tertium. Felicitas mera, eſt infelicitas vera. *Nimium boni, ſi nihil mali.* Fuit ſymbolum Tiberii Abſimari Imperatoris Orientalis.

Quartum. Magnæ virtutis eſt, cum felicitate luctari:

magnæ

magnæ felicitatis eſt, à felicitate non ſuperari. *Felicitas & moderatio rarò habitant in eodem domicilio.* Huic affine eſt illud Italicum: *Con la proſperità difficilmente ſà lega la bontà.*

Quintum. Vera felicitas non fundat incolumitatem ſuam in ruina aliorum. *Infeliciſſimi ſunt, qui ſe aliorum infelicitate felices arbitrantur.*

DISCURSUS TRIGESIMUS TERTIUS.

EX ETHICA.

De ſuſtinendis patienter moleſtiis & difficultatibus Agamiæ.

CONſidera illud Oraculum Apoſtolicum. 1. *Corinth.* 7. *dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego.*

Licet enim iis commodis careat agamia, quibus fortunata gaudent Matrimonia; Et contra aliis moleſtiis ac difficultatibus non careat, quæ nonnullis agamis perpeſſu difficiles videntur; ſunt tamen plerumque multo plura conſortio feminarum annexa faſtidia & onera, quæ ex variis hujus ſexûs ineptiis, defectibus & exceſſibus originem ducunt.

Inprimis enim ſunt feminæ quædam admodum moroſæ & rixoſæ; de quibus (ut obſervavi in meo Itinere cœleſti *part.3. diſſert. ult.*) cenſent ſapientes, præſtare ſub dio, ventis, pluviis, cæteriſque Cœli injuriis expoſitum, quàm cum tali muliere in eadem domo, vel ſub eodem tecto commorari. Ejus enim litigia omnis aëris tempeſtates exprimunt, iiſque præponderant, ut notavit Salazar. Mala mulier, inquit, cum clamat, tonat: cum probra & maledicta jacit, fulminat: cum contendit & litigat, nimbos & tempe-

ſtates

ſtates ciet: urit, cum querula eſt: & cum rigidam ſe, minimeque amantem exhibet, glaciem effundit. Demum ſi quæ aliæ ſunt graviores Cœli inclementiæ, hæ certe ab uxoris moroſæ injuriis longiſſime ſuperantur. Expertus id fuit Socrates, quem uxor ejus Xantippe, poſt multa verborum clamorumque tonitrua, aqua ex feneſtra demiſſa perfudit. Quo Lixivio ablutus Socrates dixit: *Futurum putabam, ut poſt tonitruum pluviam ſentirem.* Vivit etiamnum Xantippe in ſuis veluti neptibus, aſſeclis & imitatricibus.

Mortua Xantippe eſt jampridem Socratis uxor;
Falſa hæc hiſtoria eſt; vivit adhuc hodie.
Vivit adhuc hodie. *Non credis? Crede Roberto*
Experto. Verè vivit adhuc hodie.

Aliæ ſunt in perverſis animi ſui deſignationibus adeo obſtinatæ, ut nullis verbis, ſed verberibus tantum expugnari contumacia poſſit.

Fuſtuarium eſt malæ Mulieris Magiſterium.

Buon cavallo vuol ſperone, cattiva donna vuol baſtone.

Aliis ineſt mira quædam, ſingularisque malitia, & virulenta malignitas.

Brevis omnis malitia ſuper malitiam Mulieris. Eccleſiaſtici 25.

Il n'y a que deux bonnes femmes au monde;
L'une eſt perdue, & l'autre on ne la peut trouver.

Femina nulla bona eſt, quod ſi bona contigit ulla,
Neſcio quo pacto res mala facta bona eſt.

Imo quidam Satyricus ſibi perſuadet, ipſam Dæmonis malitiam à malitia muliebri ſuperari.

Aſpide quid pejus? tigris; *quid tigride? dæmon*;
Dæmone quid? Mulier; *quid Muliere? nihil.*

Accommodata est præsenti instituto fabella nc illepida, quam commemorat Stengelius in opusc. d Divinis judiciis.

Incessit aliquando malum Genium uxoris ducend cupido. Sed erat monstrosa facie; nulla ei nube voluit puella. Itaque petulcam anum coactus est du cere, de alio marito acquirendo jam dudum desperan tem. Nuptiæ nocturno tempore sub patibulo sun celebratæ, totius provinciæ sagis & veneficis præsent bus. Post epulum ex assatis muribus, avicularum lo co paratum, atque obscœnis rebus conditum, in pat bulo sedens cum utriculari tibia vetulus Cordon signum dedit ad choreas inchoandas; ad quas Spons nondum satur cum accedere nollet, orta est in ipsis jan nuptiis discordia. Ex eo tempore postea ita ab uxor illa tractatus esse fertur pessimus ipse maritus, ut ab e profugere cogeretur. Dum fugit, Agyrtæ in sylva her bas legenti tristis occurrit. Ibi narratis uterq; suis infor tuniis, & consiliis collatis, fœdus fecerunt ut commu ne esset utriusque in negotiando lucrum. Impostur igitur sæpius usurpata, in hunc modum homines fe fellerunt: Diabolus præibat, & homines vel morbis vel aliis intemperiis invadens, miserè exagitabat: tum superveniens Agyrta, profitebatur se non solum poss omne morborum genus herbulis suis persanare, verun etiam ipsum ex infessis hominibus dæmonem pellere Pactis igitur nummis, demum facile se sinebat stygiu Alastor exturbari. Aliquando autem Agyrta cupi ditate pecuniæ victus, non satis fideliter lucrum cum dæmone partitus est: in cujus rei vindictam nolui amplius ex occupatis corporibus egredi dæmon, quin & convitiis circumforaneum proscidit, eumque in su- spicionem magiæ, capitisque periculum adduxit. Ir- ritatus ergo Agyrta, cacodæmoni comminatus est, ad-

ductu-

ducturum se illius uxorem, à qua horrendis modis plectendus esset. Hac adjuratione tam vehementi exterritus Satan, non modo paruisse, sed totam quoque pecuniæ summam Agyrtæ reliquisse dicitur.

Epimythion seu affabulationem Lectori Misogamo faciendam permitto.

Aliæ carissimo pretio, & multorum laborum, tædiorumque impendio vendunt viris amores suos. Nostis hoc optimè, & propriis experimentis edocti estis, quotquot proci & amasii estis. O quoties aliis quiescentibus vobis est abnoctandum, quot excogitanda humanitatis officia, quot conferenda munera; quot devoranda tædia, quot oportet instar Prothei induere formas, quoties simulandum & dissimulandum; quoties cum periculo corporis & animæ ineunda monomachia; ut fiatis amici unius sordidæ & abjectæ pellicis. His accedit, quod licet sexcenta vestris amasiis contuleritis beneficia, exquisitissima obtuleritis munera, innumera præstiteritis obsequia, plurimos; ut eis placeretis; annos impenderitis, vires tam corporeas, quam pecuniarias exhauseritis; Si tamen vel semel austerius eas aspexeritis; sinistri aliquid prolocuti fueritis; obsequium desideratum negaveritis, omnia præterita beneficia oblivione sempiterna sepeliantur.

Aliæ ornant se, ut placeant oculis, quibus placere non debent. Mulier compta & lasciva gerit compedes in oculis, quibus vinciat; gluten, quo affigat; hamum, quo inuncet; flammas, quibus adurat; sagittas, quibus confodiat, non suum duntaxat, sed etiam alienum animum.

Audiamus D. Cyprianum hujusmodi mulierculas oratione gravissima perstringentem. Non metuis, inquit, quæ talis es, ne, cum resurrectionis dies vene-

rit, artifex tuus te non recognoscat, & increpans vigo
Censoris & Judicis, dicat: Opus hoc meum non es
neque imago hæc nostra est. Cutem falso medica
mine polluisti, crinem adulterino colore mutasti, ex
pugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vul
tus alienus est, DEUM videre non poteris, cum ocu
tibi non sint, quos Deus fecit, sed quos diabolus in
fecit.

Aliæ amant libertatem exspatiendi, & ædes alienas hortosque non suos visitandi: quæ si à maritis negetur gravissimè offenduntur; si concedatur, pudicitia illarum manifesto periculo exponitur.

Mulier levicula, quæ sæpe ingreditur alienum hortum, non raro inde egreditur scortum.

Nimia Conversatio est Mulierum depravatio.

Chi abevera il suo cavallo ad ogni fontana, e manda la sua donna ad ogni festa, in breve fà una rozza, e una puttana.

Jam olim agnovit Galenus, mulieres intra domesticos parietes continendas esse. Nam *lib. de usu partium* scribit, idcirco mulieres esse mento glabras, quòd, cum domi continere se debeant, piloso illo contra frigus munimento, ut viri, non indigeant. Huc spectat illud Xenophontis in Oeconomicis, feminam idcirco factam esse à natura molliorem, pulchrioremque, ne prodeat in aërem foras & illius lædatur injuriis.

Hæc eo consilio afferenda esse censui, ut, si lectorem ad amplectendam agamiam non moverent, persuaderent illi saltem, viri prudentis esse, magna uti circumspectione in uxore ducenda. Ajunt uxorem ducendam esse oculis, auribus, digitis; nam oculis de forma, auribus de moribus, digitis de dote judicatur. Sed officium aurium præcipuè requiritur; quia con-

onsideratio de moribus cæteris omnibus anteponen-a est.

DISCURSUS TRIGESIMUS QUARTUS.

EX ETHICA.

De variis astutiis, imposturis, ac dolositatibus.

CAPUT I.

MEmorabilis Historia de quodam impostore, qui se alienæ Uxoris Maritum callidissimè & impudentissimè professus est.

ANno 1559. Bertranda Rolsia Artigatensis in Diœcesi Regiensi, Prætori Regiensi porrecto supplici bello queribunda exposuit, se ante annos plus minus iginti Martino Guerræ nupsisse, eique novem aut decem circiter annis matrimonialiter convixisse, atq; ex eo onvictu natum esse filium, nomine Sanxium, qui aduc in vivis esset. Ipsum porrò Martinum, quoniam ivenili quadam levitate Patri triticum furatus esset, atria relicta octo annis domo abfuisse; quo tempore ihil de eo fama acceperit. Interea venisse ad se quenam, qui se Maritum Actricis, Martinum Guerram diceret, reipsa tamen esset Arnaldus Tillius, cognomento Pansetta, patria Sagiensis. Quem non dubium est um Martino contubernii familiaritatem in bello iniisse, & hujus consuetudinis occasione multa domestica c arcana tum de Eo, tum de Uxore illius exploravisse, retumque similitudine vultus, qua Martinum refert, omne jus amicitiæ violasse, novum fallendi genus comnentum esse, ad quatuor illius Sorores, Patruum & eliquos consanguineos, ipsamq; adeo Rolsiam, atque omnes denique Artigatenses accessisse, iisque adeo pro-

pria & certa indicia exhibuiſſe ut non modo iis, qui à familia erant alieni, verum etiam propinquis omnibus, atque ipſi Uxori Rolſiæ ſit viſus eſſe is, quem ſe eſſe dicebat. Ut mirandum minime fuerit, quod ipſa videndi recuperandique mariti cupiditate ducta fuerit; cum præſertim Tillius multa arcana & occultiſſima, quæ inter Conjuges intercedere ſolent, expreſſis loci & temporis circumſtantiis, commemorare ſolitus fuerit.

Ita factum, ut Tillius perſonam Actricis Uxorio nomine adeptus, per triennium & amplius maritaliter ipſ cohabitaverit, omniaque Martini bona occupaverit quæ is tum Artigati, tum Andææ in finibus Cantabrorum poſſederat, unde Martinus ipſe oriundus erat. Porro ex illa lecti communione duos prodiiſſe liberos, ſeque tandem de prodigioſo Tillii dolo & inaudita impoſtura certiorē redditam, in rem totam diligentius inquiſiviſſe, idq; ex authoritate Prætoris Regionis; jamq; veritate comperta ſe poſtulare, ut impoſtori gemina pœna irrogetur, ignominioſa videlicet & pecuniaria; ita, ut capite aperto & diſcalceatus, induſioque ſolo indutus, ac tædam incenſam manibus tenens, ſe in Deum, Regem, ipſamque Rolſiam graviter peccaſſe fateatur, veniam admiſſi flagitii publicè petendo; pecuniariam inſuper mulctam 2000. librarum luat, ac denique victrici totius litis impenſas ac damna reſarciat.

Tillius reus è contrario hunc in modum ſuam cauſam adverſus Rolſiam, ejusque conſanguineos & affines agebat. Si quis unquam, ajebat, à cognatis indignis calumniis appetitus vexatusque fuit, is ipſe ego ſine controverſia cenſeri debeo: quem cum omnes ſatis intelligant, eſſe reipſa Martinum Guerram Artigatenſem, Petrus tamen Guerra Patruus novū & antehac inaudi-

tum

um crimen adversum me excogitavit, eô nimirum consilio, ut immunis sit à reddendâ ratione administrationis bonorum meorum, quæ ille meâ abusus absentiâ in rem suam convertit. Deinde rem totam fusiùs oratione persequens narrare cœpit, quemadmodum annos circiter octo Regi militasset, ac deinde suos revisendi impulsus desiderio Artigatum reversus esset. Ac tametsi temporis intervallum non modicam in vultu mutationem effecisset, cum domo proficiscens omnino imberbis esset, reversum tamen, cùm à cæteris, tum præcipuè ab ipso patruo agnitum, & ab eo omni humanitate cultum esse, donec tandem suis rebus animum intendere, earumque rationem reposcere, ac fructus toto absentiæ tempore perceptos repetere decrevisset. Hujus enim rei, inquiebat, cùm illum amicè non semel commonefecissem, meque verbis blandis tantummodo duci intellexissem, tandem coactus fui litem ei intendere, & judicio fortunas meas persequi. Nam ad restituendos, quos perceperat fructus, reddendamque administrationis rationem nunquam adduci potuit: quin potius ipse & Generi ejus ob eam rem offensi, vitæ meæ non semel insidiati sunt: & aliquando me hostiliter aggressi, vecte propemodum ad necem percussum in terram dejecerunt, crudeliter me illic mactaturi, nisi uxor præsens interpositione & incubitu corporis sui ictus avertisset, meque ab interitu vindicasset.

His Tillius apud Judices prolatis, cœpit longam narrationem, eamque veram (ut postea apparuit) instituere de Cantabrorum regione, Martini patria, de ejus parentibus, fratribus, sororibus, cæterisque consanguineis, quo anno, mense & die nuptias contraxerant, de socero & socru, de iis, qui tum aderant, & matrimonium conciliarant, de vestium ornatu, quas quisque eo die gesserat, deque omnibus iis sigillatim, quæ

tum ipſo nuptiarum die, tum antecedentibus & conſequentibus geſta fuerant; ita ut eos etiam deſignaret, qui media nocte in geniali thoro ſe inviſerant. Præterea de filio Sanxio, deq; illius die natali, de cauſa profectionis, de iis, quos diſcedens obvios habuit, deque aliis rebus plurimis, in quibus ſingulis commemorandis certas perſonas denotabat, ex quibus poſtea quæreretur, num res ita ſe haberet, ut ejus narratio tanto veriſimilior redderetur. Sanè tot, tamque variis, iisque veriſſimis ſignis prolixa oratione recenſitis effectum eſt, ut Judices ſibi perſuaderent Tillium à crimine immunem eſſe. Licet enim ipſi magno ſtudio operam darent, ut eum in mendacio quopiam deprehenderent, nihil tamen profecerunt, neque unquam turbare potuerunt, aut efficere, ut minùs appoſitè vereque ad omnia interrogata reſponderet, etiamſi ſeparatim interjecto temporum ſpatio ſciſcitarentur. Inſtituta deinde eſt inquiſitio accuratior, adductis in medium plurimis teſtibus. Ex quibus 30. aut 40. Reo faventes, teſtati ſunt eum revera Martinum Guerram eſſe, quod magnam ab ineunte ætate cum eo familiaritatem habuerint, agnoſcerentque in ipſo certas notas & indicia, quæ in Martino fuiſſe conſtaret. At plures erant, qui Arnaldum Tillium eſſe contendebant. Ad quorum teſtimonia, cùm alia inſuper indicia ex Martini filio Sanxio ſororibuſque petita acceſſiſſent, Tillius judicum calculis condemnatus eſt. Is verò Sententiæ latæ non acquieſcens, provocavit ad curiam Toloſanam.

Patres pro ſua prudentia, proque rei gravitate, Petrum Guerram Patruum, & Actricem Rolſiam ſiſti in Senatu jubent. Ibi inter ſe committuntur, & primo loco Mulier. Ac tum Tillius vultu fuit ita intrepido, eamque conſtantiam, & quidem multò majorem, quam ipſa Actrix, præ ſe tulit, ut pauci ex iis, qui in judicio

icio sedebant, existimaret ipsum dolo malo agere. Sed uia nondum de re tota liquebat, placuit Senatui ex fficio inquisitionem de aliis capitibus instituere, a-osque testes citare, distinctos ab iis, quos prior Judex udierat. Quid plura? his omnibus confectis, res tiam obscurior quàm antea evasit. Ex 30. circiter te-tibus, decem Martinum esse seriò affirmabant: octo Arnaldum Tillium. Reliqui pugnantibus circum-tantiis hærebant. Unde facilè intelligi potest, Judi-es non mediocriter perplexos hæsisse, cùm causæ gra-itatem, periculum, & ancipitem casum perpenderent, n quo tanta in utramq; partem momenta apparebant.

Enimverò non esse Martinum Guerram, sed Arnal-lum Tillium, aut insignem saltem impostorem, quin-que aut sex rationes vehementer suadebant. Princi-pio extabant testes amplius 45. qui eum esse Arnaldum Tillium affirmabant, suique testimonii rationem opti-nam afferebant, quod utriusque, & Martini & Tillii consuetudine familiaritateque usi fuissent. Quo lo-co observandum est, aliquot fuisse in his testibus notatu lignas circumstantias. Erat enim ex eorum numero pse Tillii avunculus, nomine Carbo Barrautius, in quem uspicio nulla cadere poterat; quod nemini verisimile it, hominem sanguine junctum tam atrox menda-cium confingere voluisse, ut nullâ causâ extante Ne-potis mortem ignominiosam quæreret. Id quod satis Carbo ille patefecit, cùm produceretur Reus, tum apud Prætorem Regiensem, tum in ipso Senatu. Eum enim vinctum, gravissimisque compedibus oneratum videns, statim lacrymari, ejusque miseriam deflere cœ-pit. Altera circumstantia est, quòd inter omnes ferè testes convenerit, Martinum Guerram esse staturâ pro-ceriorem, colore magis fusco, corpore & cruribus gra-cilioribus, scapulis incurvis, capite humeris appresso,

mento bifido, & paululùm repando, inferiori labello deorſum pendulo, dentibus exiguis, naſo lato & reſimo, cicatrice quadam in vultu notatum; cùm interim Reus corpore eſſet puſillo & compacto, cruribuſque craſſis; & cæteras illas notas humerorum, naſi ac vultûs nullas gerens. Tertia circumſtantia erat, quòd Sutor, qui Guerræ calceos conficere conſueverat, teſtaretur eum calceos duodecim punctis conſtantes geſtare ſolitum, cùm huic novem ſufficerent. Quartò aſſerebat nonnemo, Guerram eſſe peritiſſimum artis gladiatoriæ, cujus Tillius planè ignarus erat. Quintò extabant duo teſtes, quorum uni, nomine Joanni Hiſpano, Tillius in patriam reverſus ſe patefecerat, remque ut celaret, rogaverat, aſſerendo Guerram eſſe mortuum, bonis ſuis teſtamento ſibi relictis. Alteri Valentino Rubio eum nomine proprio compellanti & Tillium eſſe cognoſcenti, digito ſilentium indixerat; idemq; fecerat Pelegrino Liberoſſio. Sextò accedebant alii duo teſtes, affirmantes militem quendam patriâ Rupefortanum, non multò abhinc tempore, cùm Artigato iter faceret, miratum fuiſſe, quòd Tillius ſe pro Guerra gereret, quem conſtaret adhuc in vivis eſſe, atque in Flandria degere, imminutum in bello alterâ tibiâ, ejuſque in locum ſuppoſitâ ligneâ.

Altera ratio, quâ oſtendebatur Reum non eſſe Guerram, erat ipſius collatio cum Sanxio Guerræ filio, quâ Prætor Regienſis deprehenderat, eos nihil inter ſe ſimilitudinis habere: idque multorum confirmabatur teſtimonio.

Tertia Ratio erat, quòd Martinus Guerra ex Cantabria oriundus eſſet, cujus nationis linguam conſtat multum à Gallica Vaſconicaque diſcrepare, Tillius verò hujus gnarus, illius ignarus erat.

Quarta adducebatur Ratio, quòd uno ferè omnium

ore

re constanter diceretur, Tillium ab ineunte ætate
lagitiosæ vitæ assuetum, omnique generi furacitatis
c fraudulentiæ addictum, versutiam istam ac impu-
lentem imposturam excogitavisse.

E diverso autem, ut Reus non Tillius, sed ipse
Martinus Guerra crederetur, efficiebant testes fere 40.
& in his quatuor ejus sorores, quæ hoc ipsum affirma-
bant, ejusque rei rationes graves & idoneas afferebant.
Erant autem sorores illæ tam honestæ probatæque fa-
mæ matronæ, quàm quævis aliæ in tota Vasconia. Ad-
hæc testes supradicti proferebant magna ex parte notas
quasdam, quæ refutari non posse videbantur: gestasse
videlicet Guerram in mandibula superiore duos sub-
natos dentes, in fronte cicatricem, ungues primis digi-
tis depressos, tres in manu dextera verrucas, guttam
sanguineam in oculo sinistro. Quæ omnia signa in
Reo extare comperiebantur. Huc accedunt com-
plura alia non spernendi valoris argumenta. Pri-
mum est, quod ex testibus multi patefecerint pravum
Petri Guerræ consilium, qui cum uxore Generisque
suis in Rei necem & exitium conjuraverat; eousque,
ut cum Joanne Lozæo Consule Palesiensi pacisci volu-
erit, si ad ejus perniciem certam summam pecuniariam
conferre vellet, se reliqua suppeditaturum. Illum au-
tem respondisse, malle se ad ejus salutem, quàm perni-
ciem bona sua expendere, quem suum consanguineum
Petro ipso sæpè affirmante didicisset. Alterum est,
quòd testes ferè omnes affirment, hunc Reum, cùm
Artigatum venisset, nominatim omnes salutasse, qui
Guerræ noti fuerant, ut quemque primo occursu ob-
viam habebat. Qui si in eo agnoscendo nonnihil hæ-
sitare videbantur, tum eum res præteritas in memo-
riam revocasse, & singulos hunc in modum compel-
lasse: Nonne meministi, cùm ante 10. 12. 20. annos tali
in

in loco eramus, talia agebamus, tali cætui intereramus, tales sermones inter nos habebamus. Tertium est, quòd Actrici Rolsiæ multa occulta & arcana, solis Conjugibus nota in memoriam revocaverit; quodque domum redux statim sibi à Rolsia tradi postulaverit femoralia quædam certi coloris, quæ ipse in tali cista, cùm proficisceretur, reliquisset. Id quod Rolsia verum esse fatebatur. Quartum desumitur ex similitudine inter Reum & sorores Guerræ, quæ tanta fuisse perhibetur, ut ovum ovo non videatur esse similius. Quintum denique, quod Reus juramentum Rolsiæ deferre, eoque se verè Martinum Guerram esse confirmare non recusaverit, Rolsia verò nunquam jurare ausa fuerit. Quæ cùm ita se haberent, magnam causam Senatus habere videbatur, cur absolvendum Reum censeret, præsertim cùm isthæc absolutio Matrimonio, ipsique proli ex eo susceptæ favorabilis esset.

Verùm Deus, ut ostenderet se laboranti veritati subvenire velle, ne tam prodigiosum scelus occultum remanens debitis pœnis eximeretur; effecit; ut eo ipso tempore, quo de rei summa pronuntiandum erat, verus Martinus Guerra adveniret. Is igitur ex Belgio redux, alterâ tibiâ ligneâ ingrediens, ut supra commemoratum est, libellum supplicem contra impostorem Tillium Judicibus porrigit, sibique dicendi potestatem fieri postulat. Decernunt Judices, ut Tillius cum Martino adventitio committatur. Ibi Tillius se multò quàm unquam aliàs proterviorem præbet: istum Sycophantam, vanissimumque impostorem appellat, pollicetur quoque se liquidò demonstraturum, eum à Petro Guerra pecuniâ corruptum & ad mentiendum subornatum esse. Pergit deinde multa narrare, eumque de rebus plurimis interrogare, ad quæ Martinus non tam promptè appositeque respondebat,

debat, quam antea visus fuerat Tillius, & tum quoque videbatur. His visis & auditis, Judices novum istum adventitium hominem remotis testibus solum interrogant, & ab eo quædam occultissima quærunt, quæ à neutro adhuc quæsierant. Deinde eo remoto Tillium accersunt, eademque ex illo sciscitantur, qui ad omnia interrogata planè eadem respondet, quæ alter. Quæ res toti cœtui stuporem immisit, opinionemque injecit, eum Magicâ impietate uti. Itaque Judices, quo certius judicium facerent, præcipuos ex eorum numero, qui testati fuerant, Reum esse revera ipsum Martinum Guerram, sorores item Martini cum earum maritis, ipsumque Tillii avunculum cum fratribus & consanguineis adesse jubent, ut ambo simul, de quibus erat conttoversia, eorum oculis sisterentur, atque hac tandem ratione verus agnosceretur Martinus Guerra. Vocati adsunt omnes, præter Tillii fratres, qui nullis literis, minis, aut imperio adigi unquam potuerunt, ut adversùs fratrem testimonium dicerent. Adducta igitur in medium prima omnium soror natu maxima, quæ paulisper Martinum nuper è Flandria reducem intuita, fratrem suum esse agnoscit, & flens in ejus amplexum ruit, Judices his verbis alloquens: Hic demum est Frater meus Martinus Guerra, quem perfidus iste proditor (Tillium præsentem indicans) me & sorores meas falsis indiciis diu ludificatus, mendacissimè hactenus repræsentavit. Assenserunt deinde & aliæ sorores, cæteriq; testes, qui causam Tillii foverant. Tandem etiam Rolsia in medium adducta illico Maritum agnovit & obortis lacrymis errati sui veniam petivit, eâ excusatione usa, quòd per suam imprudentiam, Tilliique callidissimam imposturam, alieno viro adhæsisset. Ita Tillii dolus planè & plenè patefactus; & reus, ob commissum crimen falsi, adulterii, furti &c. à Curia Tolosana ad eam

pœ-

pœnam eſt condemnatus, ut ad fores Eccleſiæ Artigatenſis, genibus flexis, ſolo tectus induſio, capite aperto, pedibus nudis, reſtim in collo, facem accenſam in manibus gerens, à Deo, Rege, Martino Guerra & Betranda Roſſia Conjugibus, delicti veniam peteret; ac deinde carnifici in manus traditus, ab eoque cum reſti in collo per plateas & compita civitatis Artigatenſis circumductus, tandem ante ædes Martini Guerræ ſtatueretur, ibique in patibulo ejus rei gratiâ erecto gula laqueo ipſi frangeretur, ac poſtremò cadaver combureretur. *Ex Theatro Vitæ humanæ Laurent. Beyerlinck aliiſq; Auctoribus.*

CAPUT II.

De Concubina Solymanni Imperatoris Turcarum; quæ miro aſtu ſibi dignitatem Auguſtæ, privignis verò necem comparavit.

SOlymannus Turcarum Imperator ex Circaſsâ Servâ primogenitum Muſtaffam ſuſcepit, juvenem omni virtutum genere conſpicuum, quem Provinciæ Amaſiæ præfecit. Ex Roſsâ verò, ſive Roxolana ſerva quatuor filios genuit, Mahometum, Bajazethem, Selimum & Zeangrium gibboſum; filiam quoque Chameriam, quam Roſtano Baſſæ primario elocavit. Roſſa ſuis liberis Imperium aſtruere cupiens, mirabili dolo uſa eſt. Mupletum ſacrorum inter Turcas Principem certiorem facit, conſtituiſſe ſe in honorem Dei & Mahometi Prophetæ templum cum Xenodochio exſtruere: dubitare verò, an id Deo gratum futurum ſit. Reſpondit ille, gratum quidem id Deo fore, non tamen in Roſſæ, ſed in Solymanni, cujus impenſis ipſa, utpote ſerva, ædificaret, ſalutem ceſſurum. Aſtuta mulier ſuam ſortem deplorare, cibo potuque abſtinere, liber-

libertatem à Solymanno petere cœpit. Is cùm amore incredibili eam prosequeretur, misso diplomate liberam esse jussit. Illa templum ædificat, & Solymannum ad se ut antè accedere cupientem; objecto libertatis privilegio, à complexibus deterret. Turcis enim cum serva rem habere licet, cum liberâ extra Conjugium non licet. Imperator amore ardens (contra morem Othomannorum Principum, qui societatem Imperii vitantes, uxores non ducunt, sed servas tantùm formâ elegantissimas, è toto orbe delectas, atque in gynæceo Constantinopolitano, quod *Serraglio* ab Italis vocatur, educatas, sibi pro libito adsciscunt) eam sibi matrimonio jungit, quinque aureorum ducatorum millibus annuis dotis nomine assignatis.

Convertit inde animum Rossa ad Mustaffam privignum suum opprimendum: quo vivo nunquam ad filios suos perventurum Imperium suspicabatur. Itaq; cum ille in summa gratia apud Janizaros esset; astuta Noverca de Solymanni vitâ se sollicitam fingens, Selimi exemplum crebrò adducebat, qui Bajazethem Solymanni avum regno pellere conatus esset. Jamq; & Rostanus Gener virtutum Mustaffæ elogio, seni suspicioso metum amittendi Imperii injicere non desinebat. At cùm Solymannus remissiùs ageret, Rossa Veneno Mustaffam tollere frustrà conata, adulterinas literas, Bassæ Amasiensis, Mustaffæ Præceptoris, nomine usurpato, Solymanno ostendit: quibus nunciabatur, Mustaffam Persarum Regis filiam ambire. Solymannus id affectati Imperii signum evidentissimum esse judicans, Rostanum sub specie Persas aggrediendi cum exercitu in Amasiam mittit, revera autem comprehendendi Mustaffæ causâ. Is dolus quia non successerat propter Mustaffæ potentiam, Solymannus ipsemet eò proficiscitur, & filium ad se vocat. Qui licet Achmoti Bassæ

literis de insidiis certior factus esset, innocentiæ tamen fiducia cum exercitu ad Patrem profectus est. Rostanus Janizaros honoris causa obviam misit. Qu cùm incredibili alacritate festivisq; plausibus Mustaffam excepissent: Rostanus id injussu suo factum dicens, Solymanni suspicionem auxit.

Triduo antè somniaverat Mustaffa, se à Propheta quodam in paradisum primò deductum, locum virtuti & pietati debitum conspexisse: inde verò ad lævam duo flumina pice nigriora, perpetuis flammis ebullientia, in quibus impiorum Regum animæ cruciarentur, oculis suis objecta esse. Quod somnium non parum comites ejus deterruit. Ipse verò magno animo Patri obediendum esse dictitans; præsertim ubi consulto Magistro suo, mortem honestam vitæ æternæ portam, totius mundi imperio anteponendam audivisset: Veste candidâ indutus, solus ad Patris tentorium accessit. Ibi priusquam in Patris conspectum venisset, à septem mutis, qui throno Imperatoris semper assistunt nutusque illius observant, indictâ causâ comprehensus, cum se manibus fortiter defenderet, acclamante tandem per cortinas Solymanno, proditorem è medio tollendum, qui sibi multarum noctium vigilias peperisset, chordâ arcûs strangulatus est. Morte Mustaffæ publicatâ Janizari furore perciti ad tentorium Solymanni currunt, vindictam innoxii sanguinis exposcentes: à quibus Imperator multâ largitione vix impetravit, ut Aleppum deduceretur, quò cognitionem causæ rejecerat.

CA-

CAPUT III.

Memorabilis Historia de Tyranno quodam, subditorum animos memorabili astu sibi conciliante, & principatum stabiliente.

N Regno Persidis Tyrannus quidam Aloadim, Senex de montanis dictus, Muletam regionem occupavit, multos sicarios, (quos vulgò Assasinos dixêre) sibi djunxit, eosque memorabili astu ad maxima facinora atranda obedientissimos reddidit. In valle quadam aœnissima, & præruptis cinctâ montibus, paradisum mni deliciarum genere (qualem impius Mahomet suis ctatoribus proposuit) instruxit. In faucibus, per quas las patebat aditus, arcem extruxit munitissimam, ne ui accedendi potestas essèt, præterquam consciis. Affirabat interim claves se Mahometici paradisi habere; cùm libitum esset, potione soporiferâ quibus vellet am oblatâ, dormientes in eum locum deferri curaat. Expergefacti, cùm omnibus deliciis affatim uerentur, revera se in paradiso esse credebant. At ptatâ oportunitate iterum medicato poculo sopitos xtra paradisum efferri mandabat. Cùm evigilassent, mmo mœrore voluptates perceptas, jam quæ amiss commemorabant, & earum desiderio mortem exotabant, vitam flocci faciebant, & ad omnia, quæ Tyanno placerent, patranda, paratissimos sese offereant: de paradisi gaudiis, si Principi obsequerentur, seurissimi. Cæterum Anno Domini 1262. Allau Rex Tararorum Senem hunc in paradiso triennali obsidione inctum, inopiâ alimentorum deditionem facere coëit, locum abolevit, asseclas omnes interemit. *Paus Venetus Oriental. Hist. lib. 1. c. 28.*

CAPUT IV.

Memorabilis astutia, quâ Reus quidam pœna mutilationis evitavit.

QUidam nebulo furti & perjurii damnatus, cù lingua ipsi præcidenda esset, Judices rogavit, pœnæ rigorem nonnihil mitigarent, offerens eis gem nas aures pro una lingua præcidendas. Postqua exorati fuissent Judices, Carnifex ad executionem a cingitur. Sed dum caput detegit remotis capill aure utraque privatum reperit. Quæ res coror populi spectantis risum excussit. Ipse quoque scel stus tacitè & in sinum suum risit, suoque dolo fortun tus periculum omne evasit, Judicum calculis absol tus. *Gilbertus Connatus lib. 1. Narration.*

CAPUT V.

Memorabile factum, quo Plagæ & Verbera ev tata.

JOannes Meunius primus inter Poëtas Gallican sub Persona Zalotypi in genus muliebre graviſſin invectus fuerat. Regina Galliæ vindictæ cupida, hom nem in suam redactum potestatem verbis primùn mox etiam verberibus in gynecæo castigari jussit. Jam que detractis vestimentis puellæ matronæque nob les virgis infestis misero instabant; Cùm ille mu tis precibus & lamentis vix à Regina obtinuit, ut sil auctoritate Regiâ, unum quiddam, libertate except permitteretur. Petiit ergo, ut quæ impudiciſſima om nium foret prima manus sibi injiceret. Eo dicto terr tæ omnes, ne proprio indicio seipsas vel accusarent, ve accusare volentibus ansam præberent, ab incepto de stitere. *Ægidius Corrozetus de dictis & factis memo rab.*

CA

CAPUT VI.

Memorabilis Historia de Henrico Duce Brunsvicensi, astutâ simulatione mortis occultante concubinam.

HAbebat Henricus Dux Brunsuicensis in Matrimonio Mariam, sororem Ducis Wirtembergici. In hujus gynecæo erat puella quædam eleganti formâ, genere nobilis, Eva Trottina. Cepit hanc Henricus deperire, & cum flagitium persuasisset, proles aliquot ex ea procreavit. Deinde quo minus res deprehenderetur, & ut ejus frueretur consuetudine diutiùs, suadet puellæ, ut reditum ad domum paternam simulet: currum, equos, & quidquid erat ad profectionem necessarium ipsi subministrat. Abit illa, cúmque domum ire putaretur, in quandam Ducis arcem abducitur. Hujus arcis Præfectus jam antè instructus erat à Duce, quid fieri oporteret. Expetitur etiam, & impenditur opera quarundam mulierculárum, quibus Dux maximè fidebat. Eva paucis pòst diebus, quàm ad arcem venisset, in lectulum sese abjicit, & morbum simulat. Dux jam antè curaverat fieri simulachrum ligneum, quod hominis mortui caput, cervicem atque pectus repræsentaret: reliquæ corporis partes erant expressæ linteo quodam, cinere suffarto, sic ut solidum videretur. Linteo sic effarto caput & pectus ligneum adaptaverant: Linteum verò sic formatum erat, ut etiam capiti obduci posset. Compositum ergo corpus ad hunc modum, & obvolutũ, humi reponitur, ut in mortuis fieri consuevit. Tunc una ex mulierculis accedens Præfectum Arcis, nunciat Evam esse mortuam: mox ille parari jubet thecam ad reponendũ in ea corpus; deterrendi verò causa, ne quis propiùs accederet, fingunt interiisse pestilẽtiâ, & ex juniperi granis aliisq; rebus odo-

ratis faciunt suffitum. Postea fumus effertur, & cu[m] pompa deducitur ad Ecclesiam PP. Franciscanoru[m] His exequiis aderat Ducis uxor, cum pedissequis & cœ tu virginum, omnes cultu lugubri. Interim Eva ben[e] valebat in arce Stauffenburgensi: Ad quam subind[e] revisens Henricus, ab eo tempore septem ex ea prole[m] sustulit. Hoc Ducis factum inter alia fuit à Protestan tibus Imperii Principibus Cæsari in Comitiis Spirensi bus Anno 1544. indicatum. *Sleidanus lib.15.*

CAPUT VII.

Memorabilis calliditas cujusdam adulteræ adul terium suum extemporali astu occultantis.

MUlier quædam prope Florentiam publici ho- spitis Uxor cubabat cum adultero in lecto. Ac- cedit interim alius, cum quo pariter turpem habeba[t] consuetudinem. Eum sentiens mulier scalas ascenden- tem, accurrit, & per fenestras ingressum parantem a- criter increpat, atque ulteriore aditu arcet: asserens non esse tempus, quo ei satis fieri posset, rogansque u[t] è vestigio abiret. Renitendo, altercandoque cùm tempus aliquamdiu tereretur, superveniens vir, quid sibi vellet ea concertatio, quæsivit. Femina ad fallen- dum prompta, ex temporale mendacium cominiscitur Hic, inquit, irato animo in ædes nostras irrupit; sup- plicem, qui huc confugit, persequens: Adulterorum alter, qui in lecto cubabat, auditis hisce verbis pro- siliit, se ulturum injuriam clamans. Vir de causa dissen- sionis interrogans, cum ambobus collocutus pacem composuit, ejusque firmandæ causa ad communes epulas utrumque admisit. *Poggius in facetiis.*

CA-

CAPUT VIII.

Memorabilis calliditas cujusdam Hispani avaram meretricem deludentis.

HIspanus quidam Venetiis Patricii cujusdam Scortum ad turpe flagitium invitabat. Illa procax & superba, sexaginta coronatis noctem paciscebatur. Accepta ille conditione, ad meretricem cum loculis venit, mercedem numerat. Nocte intempesta surgit, & observato loco, in quo meretrix margaritas (quibus vice monilium Mulieres Venetæ uti solent) reposuerat, eas omnes sigillatim devorat, inque lectum, meretrice dormiente, revertitur. Illa margaritas non repertas ab Hispano repetit, & vi etiam per suos Lenones hominem excutit. Implorat ille popularium fidem, & vix tandem liberatur hoc solo innocentiæ signo, quòd neque in vestibus, neque in loculis eas usquam haberet. Sic avara meretrix suis artibus à callido Hispano delusa, pro sexaginta coronatis trecentos (erant enim margaritæ magni pretii) amisit. *Andreas Vesalius in anatomia Oesophagi & Ventriculi.*

CAPUT IX.

Memorabilis astutia cujusdam perfidæ mulieris ultimam voluntatem mariti sui non tam exequentis, quàm nequiter invertentis.

OBscuræ cujusdam mulieris non obscura extitit perfidia. Ea bonorum omnium ex asse heres à decrepito relicta marito: eâ lege, ut bovem aratorem venderet, & pecuniam pauperibus in solatium & refrigerium animæ demortui erogaret: altero die à funere bovem in forum producit, gallum gallinaceum ejus tergo imponit: hunc viginti aureis, illum uno duntaxat licitantibus proponit; sed eo pacto oneroso, ut qui

bovem emeret, gallum quoque emere cogeretu
Invento emptore, pretium bovis pauperibus impendi
galli verò sibi reservavit. *Joannes Paulus in Spudopæ
dia.*

CAPUT X.

De Adalgo Agarenorum Duce, libertatem ma dolo recuperante.

CAptus erat ab Imperatore Ludovico II. Adalgu Agarenorum Longobardiam infestantium Dux & Princeps, vir astutus & versutus. Ejus sortem Impera tor miseratus, familiariter eo uti cepit, & non rarò su cum eo consilia communicavit. Barbarus insidias Im peratori moliens, suadet, ut si Capuam ac Beneven tum firmissimo Dominio possidere velit, nobilior urbis cives aliò amandet, plebem hoc pacto faciliùs i officio retentum iri. Imperator consilium approban clam vincula & compedes fabricari jussit. Verùm A dalgus omnia nobilibus patefacit, ut dictis suis fide conciliet, compedes illis manicasque ferreas ostendi Cives Imperatorem per eos dies ad venationem egre sum Urbe excludunt, & Adalgo libertatem, perfidi pretium impertiuntur. Qui exercitu collecto, ut pe fidiam perfidiæ adderet, longâ obsidione Capuam & Beneventum cingit. Obsidione pressi ad Imperatore refugiunt, facti veniam petentes, quòd non malitiâ su impulsi, sed barbari astu decepti, Principem suum Urb exclusissent, Imperator Legatos non admittens, e denunciari jussit, æquissimum esse, ut qui per Ada gum peccassent, per Adalgum quoque commerita pœnas luerent. *Cuspinianus ex Zonera & Cedreno.*

CA

CAPUT XI.

Memorabilis Historia de Semiramide, cruento dolo regnum Assyriorum occupante.

FUit Semiramis initio Vernæ cujusdam Regii ancilla & concubina. In quam cùm aliquando oculos conjecisset Ninus Rex Assyriorum, Mulieris formâ & lepôre captus, eam adamare cœpit. Obsecuta Regi mulier, ita eum stupri consuetudine sibi obstrinxit, ut nihil esset tantum, quod aut à Rege ipsa petere non auderet, aut petenti Rex negare vellet. Ergo cùm aliquando dixisset Regi, teneri se magno cujusdam rei desiderio; Rexq; eam, quidquid tandem illud esset, apertè ac liberè proferre jussisset. Cuperem, inquit, hoc mihi à te concedi, ut unum duntaxat diem sedere mihi liceret in solio tuo, & jus dicere; utque omnes toto illo die mihi, quemadmodum tibi, obtemperarent. Risit Rex, & quod petebatur, concessit. Nec mora, edicitur, ut certo quodam die omnes Semiramidi pareant. Illa initio, experimentum captura, quædam haud magni momenti imperat. Ubi seriò omnes in rebus omnibus obtemperare vidit, mandat Satellitibus ac stipatoribus Regii corporis, ut Regem ipsum comprehendant: comprehenditur; ut vinciant: vincitur; ut interficiant: interficitur. Ita illa imperium *diurnum* fecit *diuturnum*. Muretus *lib. 6. variarum lect. c. 7.*

CAPUT XII.

Memorabilis dolus, quo usus est Bajazethes Imperator Turcarum in fœdere cum Republica Veneta ineundo.

BAjazethes II. inito clam fœdere cum Ludovico Mediolanensium Principe, Bellum Venetis inferre de-

decreverat: consilia tamen sua tegens, Andream Zancanium Venetorum Legatum benignè excepit, & cum eo etiam fœdus renovavit, sed fœderis capita Latinis scripta litteris ei tradidit. Est autem eorum legibus cautum, ut quæ suæ linguæ verbis scripta non sunt, ea præstari non sit necesse. Erat tum Constantinopoli Civis Venetus Andreas Grittus qui mercaturam in ea urbe annos complures exercuerat. Is, quòd omnia Turcarum instituta calleret, eâ de re Zancanium admonuit, atque ut fœdus verbis Turcicis conscriptum peteret, pro suâ in Patriam charitate, illum est adhortatus. Zancanius re tentatâ, cùm nihil efficere potuisset; cum fœdere latinis exarato literis ad Senatum Venetum rediit: & ne nihil videretur attulisse, id quod à Gritto ea de re Constantinopoli intellexerat, Senatum celavit. Sed Grittus ipse Senatum ea de re admonuit, ne imparati à Tyranno opprimerentur. Eam ob rem à Bajazethe in vincula conjectus Grittus, de vita periclitatus est: sed tandem liberatus, summam post aliquot annos dignitatem in patria est consecutus. *Bembus l.4. Hist. Venet.*

CAPUT XIII.

Memorabiles doli Gerlachi Electoris Moguntini, Manfredi Ducis Tarentini, Henrici Boji, Adelardi & Hattonis.

INsigni *artificio*, vel potiùs politicæ *artis vitio* usus est quondam Gerlachus Antistes & Elector Moguntinus, cùm Adolphum Nassovium cognatum suum creare Imperatorem intendit. Noverat is inter Principes Electores non modica esse diffidia, qui Imperio, cui Caput quærebatur, vel imminebant, vel destinati erant quorundam votis, quæ ipse enervata cupiebat.

Ita

ſta autem ea enervare decreverat, ut illis ipſis in rem ſuam uteretur. Itaque cum Electoribus nonnullis ſecretò ſeorſimque agens, ſignificat Wenceslao tunc Regi Bohemorum, in Albertum Auſtriæ Ducem Wenceslai hoſtem pleraq; Electorum ſuffragia collimare: ſe tamen, ſi de Wenceslai conſenſu ſibi conſtaret, impedire paratum. Perſuaſo Wenceslao Saxonem aggreditur, hujuſque inimicum Brunſuicenſem ſpei ad rerum ſummam proximum fingit. Palatino verò Wenceslaum (qui infenſus tunc Palatino erat) cæteris, ni impediatur, Imperio propinquiorem oſtendit. Ita ſingulorum inimicos evertere promittens, omnes circumvenit, quando Adolphum Naſſovium cognatum ſuum poſtremò Imperatorem nuncupavit, quem primò nuncupatum procul dubio conſenſus omnium rejeciſſet. Cuſpinianus in vita Adolphi rem paulò aliter narrat, dum ait, Electores penè omnes votum ſuum commiſiſſe Gerlacho, adjectâ hac conditione, ne ſuffragaretur inimicis ipſorum: de cætero rem diſponeret pro arbitratu ſuo.

Obſidebatur Manfredus Dux Tarentinus à Pontificis Alexandri IV. exercitu Nuceriæ. Prælio decertare non auſus, per doloſum figmentum ſe ab obſidione liberavit. Emiſit clam ex Urbe nonnullos, pari atque ille erat calliditate inſtructos; qui cùm paulò longiùs proceſſiſſent, ſubornarunt quoſdam non minori aſtutia audaciaque valentes, qui lugentium habitu ex Suevia cum literis, quas ipſi conſcripſerant, annuloque adulterino ſignarant, venire ſe dicerēt, fictiſq; lacrymis nuntiarent, Conradinum Suevum Conradi Imp. Filiū è vivis exceſſiſſe. Res & nuntiata & credita fuit. Captus dolo Legatus Pontificis ſolvit obſidionem. Bavari Tutores Conradini, tanquam ſi nullus ſupereſſet, cujus tutelam gererent, pupillus, ex Sicilia diſceſſerunt.

Manfredus velut pro defuncto rem divinam faciendam atratus ipse curavit, Gazaque Panormo ad se translatâ, ac milite veterano largitionibus sibi conciliato, novoque ex Africa milite barbaro mercede conducto, quasi jam nullus Regni Siculi hæres legitimus superesset, Rex salutatur: priusque Regnum & opes firmavit, quam fieret à quoquam fides, Conradinum vivere, animis hominum errore occupatis. *Æmilius lib.* 7.

Turpior fuit dolus ille, quo Henricus X. Bojus, cognomento Superbus, Fridericum Comitem Bogium adversarium suum è medio tollere constituerat. Poscit Henricus per legatos à Friderico tempus locumque colloquendi de modo inimicitias finiendi. Fridericus consilium pacis putavit non esse respuendũ. Itaque Zwifaltense Monasterium communi consensu pro congressu deligitur. Fridericus nihil insidiarum suspicatus, candore Germanico magis quàm raro, quo cingebatur, comitatu securus erat; Henricus verò numerosiorem penès se militem habebat. Itaq; bonâ, ut apparebat, fide conveniunt, pacatè colloquuntur, convivantur, recipiunt se ad nocturnam quietem. At nocte intempestâ excitatur ad Friderici conclave tumultus, ipsum ad necem postulantium. Quid ageret in re tam desperatâ? confugit ad opem Numinis, quæ sola extremè periclitantem exitio poterat eximere. Dum omnes elabendi vias rimatur, en ipsi, velut divinitus, ostenditur inobservatum aliàs ostiolum, per quod evadit in vicinum templum, indeque in turris fastigium. Irrumpitur in cubile, excutiuntur omnes anguli, mirantur percussores, quorsum petita fera evaserit? Itur in omnes Monachorum cellas, officinas, diverticula, irritâ ubique indagine. Noctem in suâ speculâ Fridericus egit insomnem, medius inter spem

&

& timores. Interim facinoris, periculique rumor emanat ad Friderici domesticos, & ab his extra septa Cœnobii ad amicos, qui densati ad arma convolant, factoque globo parant vindictam. Jam se dies aperuerat, cùm Fridericus notavit conglobatos, animisque resumptis, Henricum è sublimi sic alloquitur: *Contra fas, bone Dux, fecisti, qui me in pace vocatum, pacis non ferens signa, inimicum te potiùs, quam amicum ostendisti. Nec ab hoc facto propriæ famæ revocavit honestas, nec carnis, quâ conjungimur, affinitas. Ne autem malum pro malo reddere videar, te tanquam amicum fideliter admoneo, ne fideles meos, quos undique adventare cerno, expectes.* Henricus, cùm facto non posset infamiam detrahere, pudore potiùs quam metu trepidus, sese mox è loco proripuit, dignus, cui ad cognomentum Superbi, etiam fraudulenti truculentiq; titulus impingeretur. *Otho Frising. lib. 1. de Frideric. c. 18.*

Anno Christi 904. Cùm in Italia res essent utcunque quietæ, Ludovicus filius Bosonis Veronæ cum Exercitu, futuri improvidus degebat, nihil minùs metuens, quàm clancularias fraudes factiosorum. Illum Adelardus Papiensis Episcopus (qui occultè Berengarii, Invasoris Italiæ, partes sequebatur) dolosè in hanc sententiam allocutus est. Quod Cœlites, tibi, ò Rex, Regnoque tuo fortunent, jam tandem es assecutus, quod multis retrò annis, omnes ex animo suspiravimus. Pacatam sine rivali obtines Italiam. Berengarius perpetuo clausus exilio, & rerum inops tam desiit timeri, quàm jam dudum fuerat odiosus. Debes tuæ virtuti, quòd ameris ab omnibus: nos cœlo debemus, quòd Regem nobis dedit, qui nostrâ gaudet libertate, qui benignitate ac clementiâ temperat imperium, gratissimus subjectis, exteris formidandus. Hoc omnium animis altè insedit, te non domina-

tionem

tionem & ſervos, ſed Rectorem & cives cogitare, nullaque re magis delectari, quàm dandâ nobis incolumitate. Crede mihi, genius noſter eſt, bonum Principem diligere, easque ſuſpicere virtutes, quæ gaudium generant & amorem. Experitis, opinor, quæ Procerum in te ſit fides, quàm ſincera charitas civitatum, quàm pronum omnium obſequium. Accepiſti plauſus vulgi, in quibus nihil eſt fucatum; audiſti acclamationes, quæ non habuêre tempus fingendi, in illo fervore popularis in te pietatis, quâ nullum habere potes firmius munimentum. Neminem enim unquam meliùs tutatæ ſunt excubiæ, vel tela circumſtantium, quàm populorum favor, qui ſibi non timent, ſed timent pro Principe. Si dicere licet quod ſentio, certè ſentio, te eſſe bis ſecurum: ſemel, quia te fortiſſimi viri circumdant; iterum, quia neminem habes, quem timeas. Aliud eſt, quod ſubtimidè quidem, ſed tamen ſine fuco dixerim, te videlicet nullo deinceps exercitu indigere, quia nec ſupereſt, quem ſubigas, nec ſubactus eſt quiſquam, qui ſe tibi ſubeſſe non lætetur. Id beneficii, ſi tuæ beneficentiæ adjiceres, ut neque cives militum contuberniis, neque hibernaculis coloni, neq; nobilitas exterorum æmulatione, premerentur, jam te univerſi, non modò ut Regem, ſed ut Numen aliquod de cœlo lapſum, amarent. Id an tuæ virtuti conveniat, & majeſtati, tuæ ſapientiæ eſt judicare. Certè poſt tot bella populi egerent aliquo levamento, & exhauſtum ſtipendiis ærarium, nullâ meliùs arte, quàm, ſublatis ſtipendiis poteſt ſuppleri. Ludovicus hiſce captus delinimentis, copias, militari Sacramento ſolutas, à ſignis dimiſit. Mox Adelardus ſociiq; conſpirationis, Berengarium, per occultos nuntios orant, obſecrantq; ne cunctando fortunam invitantem deſerat. Ille compertâ clientum mente, ex Bavaria (eò enim Ludovici armis

com-

compulſus profugerat) Italiam repetiit, & noctis ſilentio Veronam (cujus fide maximè nitebatur) noctis ſilentio ingreſſus; nonnullos compertæ fortitudinis viros, Ludovico infenſos armat, & albeſcente Die in arcem evadit, ac Ludovico, qui in D. Petri Baſilicam confugerat, exoculato; pronâ Italorum voluntate, diadema recipit. *Ex Annalibus Boicæ Gentis part. 1. lib.* 13.

Poſt doloſum Epiſcopum ſequitur doloſus Archiepiſcopus. Is fuit Hatto Moguntinus Antiſtes, cujus Pſeudopoliticâ calliditate Adalbertus Babenbergenſis bonis pariter ac vitâ exutus fuit. Res ita contigit: Adalbertus Conradum Haſſiæ Comitem prælio victum interemerat. Cujus mortem vindicaturus Ludovicus Imperator (quo poſtea ſine prole defuncto, Stirps Caroli Magni in Germania imperare diſiit) Adalbertum citat ad comitia, de nece Conrado Haſſo illatâ, aliiſque facinoribus cauſam dicturum. Adalbertus cauſæ diffuſus, ſpreto vadimonio adduci non potuit, ut ſe judicio ſiſteret. Quare hoſtis Imperii à Ludovico declaratus, & velut contumax, Ordinum ſuffragatione, bello petendus eſſe cernitur. Ille cùm tantæ ſe moli imparem ſentiret, in arcem munitam ſe recepit. Ludovicus arctè concluſum obſedit: ſed cùm obſidio extraheretur, nec ſpes eſſet propinqua, arcis rebus omnibus inſtructæ, in poteſtatem redigendæ, Imperator Hattonis Moguntini Præſulis, cujus ductum ſequebatur, inſtinctu, ad artes converſus, præ ſe tulit, ſe obſeſſum recepturum in gratiam, ſi modò bonæ frugis & vitæ quietioris ſpem oſtenderet. Adalbertus nihil ſuſpicatus doli, non detrectavit oblatum de pace colloquium. Hatto, qui conſilium dederat, ejus exequendi viſus artifex aptiſſimus. Itaque fide publicâ receptus in caſtrum, Adalberto prolixè omnia de Ludovici clementia pollicetur, ſi eam implorare voluerit;

rit; ſeque in eam rem, quantam liceret, operam allaturum. Experiretur duntaxat benevolum Regis animum, & eâdem, quâ invitabatur fide, præſentis genua prenſaret. Cum hæreret Adalbertus; Ego, inquit Hatto, in me recipio, me ſalvum te, & incolumem, quicunque tandem ſit futurus eventus, in arcem reductum. Credit aſſeveranti homo priſcæ credulitatis, ſeque accingit itineri. Paulùm ab arce proceſſerant, nondum ſoluto jejunio, cùm Hatto ſimulans eſuriem: Grave (inquit) erit, nullo cibo refectis, quod reſtat viæ ad Regem conficere: præſtaret, ſi tibi quidem videretur, jentaculo ſaltem nos recreare. Idem, inquit ille, tecum ſentio; revertamur in arcem, obſonii copiam habituri, cujus nulla eſt copia in popinis ruſticanis. Regreſſi in caſtrum, curatis corporibus rectà proficiſcuntur ad Ludovicum. Vix aulam intraverant, cùm Adalberto vincula & compedes injiciuntur. Expoſtulanti autem cum Moguntino de fraude, hic promptè reſpondens: atqui, ait, fidem tibi datam exſolvi; cùm nihil à me præterea exegeris, quàm ut te ſalvum in arcem reducerem: & reduxi quidem; Tu verò periculo tuo es me deinde ad Regem comitatus. Sed quidquid ille hominum, divumque fidem inclamaret, Majeſtatis poſtulatus, Judicum ſententiâ confeſtim ad ſecurim eſt abreptus. Ejus bona redacta in fiſcum, Babenbergenſem Eccleſiam poſtea locupletaverunt. Cæterum Annales Hattonis vaframentum, velut homine ſacro indignum, meritò deteſtantur. *Otto Friſingenſis lib.6. cap.5.*

DISCUR-

DISCURSUS TRIGESIMUS QUINTUS.

EX ETHICA.

Complectens brevem quendam totius Ethicæ Christianæ nucleum, ex variis pronuntiatis concinnatum.

Pronuntiatum I.

DUplex est animæ officium, *animare & amare*. Primum illa exercet in corpore, secundum exerceat in seipsa, & erga seipsam.

Pronuntiatum II.

Quemadmodum Solis, ita & Amoris triplex est radius: primus directus: secundus reflexus: tertius refractus. Amore directo prudens anima Deum, reflexo seipsam, refracto proximum diligit.

Pronuntiatum III.

Jactura rei parva, spei magna, animæ maxima est.

Pronuntiatum IV.

Quando Diabolo resistis, *hostis* est: quando consentis, *hospes* est. Melius est Diabolum *hostem*, quàm *hospitem* habere.

Pronuntiatum V.

Mala dæmonis suggestio malam affectionem, mala affectio delectationem, delectatio consensum, consensus operationem, operatio consuetudinem, consuetudo desperationem, desperatio damnationem infelici catena trahit.

Pro-

Pronuntiatum VI.

Malæ cogitationes sunt liberæ à contributione, se
non sunt liberæ à damnatione.

Pronuntiatum VII.

Ut quatuor venti cardinales, Eurus, Notus, Auster
Boreas, in mari procellas: ita quatuor passiones, Voluptas, Dolor, Spes, Timor, inordinatos motus in animo concitant.

Pronuntiatum VIII.

Magna vitæ pars elabitur malè agentibus; maxima
nihil agentibus, tota aliud agentibus.

Pronuntiatum IX.

Si virtutem habes, omnia habes: si vitium, ne teipsum quidem; quia servus es tot dominorum, quot
vitiorum.

Pronuntiatum X.

Sicut æternitas omne bonum facit infinitè melius,
& optabilius, ita omne malum facit infinitè pejus &
intolerabilius.

Pronuntiatum XI.

Honores fugiunt, manet *æternitas*. Aurum te deserit, manet *æternitas*. Caro dilabitur, manet *æternitas*:
& pro tam vilibus, tam sævâ *æternitas*: pro tam
fugacibus, tam longa *æternitas*: pro tam fallacibus, tam
vera *æternitas*: pro tam fragilibus, tam dura *æternitas*:
pro tam brevibus, æterna *æternitas*. O inæqualem
commutationem!

Pronuntiatum XII.

O utinam saperes & intelligeres, ac novissima provideres! saperes, quæ Dei sunt: intelligeres, quæ
mundi sunt: provideres, quæ inferni sunt; profectò
inferna horreres, superna appeteres, quæ sunt mala
contemneres.

Pro-

Pronuntiatum XIII.

Superbia est centrum, à quo egrediuntur lineæ ad circumferentiam omnis iniquitatis.

Pronuntiatum XIV.

Superbia est pondus in bilance, quo dum mens hominis elevatur, divina, humanaq; gratia deprimitur.

Pronuntiatum XV.

Proxima Superbiæ comes est humiliatio. *Chi troppo s'stima, cade sovente al basso dalla cima.* Proverb. Italicum.

Pronuntiatum XVI.

Vera humilitas nec habet oculos, quibus alienos defectus conspiciat: nec aures, quibus propria encomia audiat: nec linguam, quâ laudes suas deprædicet: nec manus, quibus excelsæ dignitatis solium sibi fabricet: nec pedes, quibus ad mundani honoris fastigium ascendat.

Pronuntiatum XVII.

Quantò plus honoramur, tantò plus periclitamur. Sæpe *fulmina* feriunt *culmina*. Sæpe utilius est *despici*, quàm *respici*. Magnorum magna ruina est.

Pronuntiatum XVIII.

Principatus est Illustrissimum nomen, sed durissimum officium: cujus miseriæ si plenè omnibus perspectæ essent, non toties uno de solio litigarent duo, sed plura essent regna, quam Reges.

Pronuntiatum XIX.

Honores sunt sicuti flores. Nam sicuti flores, cùm amœnissimè vigent, repentè messoris in falcem cadunt; ita honores, succisâ Patroni benevolentiâ, ex improviso concidunt. *Mundano honor finisce come un fior.* Proverb. Italic.

Pronuntiatum XX.

Sæpe dignior est honorandus, quàm honoratus.

Pronuntiatum XXI.

Magis tibi honorificum est, si homines mirentur te non esse promotum, quàm si mirentur te esse promotum.

Pronuntiatum XXII.

Nihil est in rebus humanis *magnum*, nisi animus *magna* despiciens.

Pronuntiatum XXIII.

Consummatæ virtutis est, honorem mereri & spernere.

Pronuntiatum XXIV.

Honor est tam grave onus, ut sine aspiratione ne quidem pronuntiari possit.

Pronuntiatum XXV.

Atlantem oportet esse eum, qui cœlum honoris & portare queat, & non succumbere.

Pronuntiatum XXVI.

Corona Regia est Peripheria, sed laborum, absque centro quietis.

Pronuntiatum XXVII.

Sæpius ima petit, melius qui scandere novit.

Pronuntiatum XXVIII.

Gloriatio vana habet flores, sed non grana: quia verbis est plena, sed factis egena.

Pronuntiatum XXIX.

Qui multum gloriatur, non multum operatur. *La pecora che più grida, hà manco latte.* Proverbium Italicum.

Pronuntiatum XXX.

Avarus tribus hominum generibus maximè nocet: Sibi, Pauperi, Heredi.

Pro-

Pronuntiatum XXXI.

Avari vivunt vitâ asinorum, & mulorum, qui aurream ferunt sarcinam, & fœnum edunt.

Pronuntiatum XXXII.

Avarus antequam aliquid lucretur, se ipsum perdit: & antequam aliquid capiat capitur.

Pronuntiatum XXXIII.

Arcula avari est sepulchrum, in quo sepelitur vita pauperum.

Pronuntiatum XXXIV.

Quod avarus congregat, heres dissipat. Quod parcus servat, prodigus ore vorat.

Pronuntiatum XXXV.

Melius est ditare, quàm ditescere.

Pronuntiatum XXXVI.

Plerùmque per divitias transitur ad delitias.

Pronuntiatum XXXVII.

Primis sæculis *Conscientia*, sequentibus *Scientia*, nunc *Entia* in pretio sunt.

Pronuntiatum XXXVIII.

Nulla in mundo res est, quæ non conficiatur *pecuniâ*: nullum scelus, quod non impetret *pecunia*; nihil tam arcanum, quod non propalet *pecunia*: nihil tam sublime & inaccessum, quò non pertingat *pecunia*: nihil tam sanctum, quod non contaminet & profanet *pecunia*. Denique omnia per *pecuniam*, ipsæ etiam portæ inferni, aperiuntur.

Pronuntiatum XXXIX.

Præstat Te esse multi pretii, quàm possidere multa pretiosa.

Pronuntiatum XL.

Paupertas dura, sed secura, & sine cura.

Pronuntiatum XLI.

Divitiarum tuarum abundantia eſt alieni deſiderii pabulum.

Pronuntiatum XLII.

Divitiæ ſunt benè utentibus pennæ, malè utentibus plumbum. Illis ad cœlum attollimur, iſto ad tartarum deprimimur. Veriſſimum eſt illud Italicum: *L' argento mena l' huomo all' inferno, e reſta fuori.*

Pronuntiatum XLIII.

Clavis aurea aperit omnes portas, etiam cœli & inferni; illas per eleemoſynam, iſtas per avaritiam.

Pronuntiatum XLIV.

Qui in hoc mundo abuſi ſunt divitiis, tam erunt in futuro ſæculo inopes, ut aquæ guttulâ cariturì ſint: tam infelices, ut eam obtinere non poſſint: tam improbi, ut obtinere non debeant.

Pronuntiatum XLV.

Non qui parum habet, ſed qui plura cupit, pauper eſt.

Pronuntiatum XLVI.

Si ad Naturam vivas, nunquam eris pauper: ſi ad cupiditatem, nunquam dives.

Pronuntiatum XLVII.

Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivamus, ſed tanquam non poſſimus ſine corpore vivere.

Pronuntiatum XLVIII.

Qui voravit uſque ad nauſeam, jejunet uſque ad famem.

Pronuntiatum XLIX.

Ubi eſt ventris ingluvies, ibi eſt morborũ colluvies.

Pronuntiatum L.

Qui amat vitam longam, amet menſam brevem.

Pro-

Pronuntiatum LI.

Qui cupit vesci cibis multis, vescatur paucis; qui enim parum comedit, multum comedit: & qui multum comedit, parum comedit.

Pronuntiatum LII.

Helluones faciunt sibi ipsis fossam sepulchralem dentibus suis.

Pronuntiatum LIII.

Infidelis secreti custos est ebrietas.

Pronuntiatum LIV.

Ex oculis, loculis, poculis cognoscitur homo.

Pronuntiatum LV.

Ex Vinolentia temulentia, ex temulentia amentia.

Pronuntiatum LVI.

Reddunt delirum femina, vina virum.

Pronuntiatum LVII.

Primum poculum sanitatis est, alterum voluptatis, tertium contumeliæ, quartum insaniæ.

Pronuntiatum LVIII.

Non facit ad multam crapula multa diem.

Pronuntiatum LIX.

Abstinentia non est substantia, & tamen tres substantias conservat, *corpus, animam, pecuniam.* Huc pertinent, quæ vulgò circumferuntur: *La cucina piccola fà la casa grande. Grassa cucina, magro testamento Agrassa cucina povertà è vicina.* Proverbia Italica.

Pronuntiatum LX.

Voluptates mundi sunt sicut Medicorum pilulæ, quæ extrinsecus auratæ & saccharatæ, intus amarissimæ sunt.

Pronuntiatum LXI.

Brevis est, & voluptas vitæ, & vita voluptatis.

Pronuntiatum LXII.

Rarò ſine dolore finitur in amore. *Amare non è ſenza amaro.* Proverb. Ital.

Pronuntiatum LXIII.

In amoris regimine non vivitur ſine crimine.

Pronuntiatum LXIV.

Quatuor abſcondi non poſſunt, Amor, Tuſſis, Ignis, Dolor.

Pronuntiatum LXV.

Amantes ſunt Amentes.

Pronuntiatum LXVI.

Amor eſt legis impatiens. *Amore regge ſenza legge.* Proverb. Italicum.

Pronuntiatum LXVII.

Libido eſt flamma, quæ ſæpe non aquâ, ſed ſanguine reſtinguitur.

Pronuntiatum LXVIII.

Amor carnalis eſt prælium, in quo qui fugit, vincit.

Pronuntiatum LXIX.

Optimo ſtratagemate utitur, qui in pugna caſtitatis non *adverſus* hoſtem dimicat, ſed *averſus*.

Pronuntiatum LXX.

Non benè *caſta* caro, ſi benè *paſta* caro.

Pronuntiatum LXXI.

Oportet caſtimoniam aſperitatibus corporis, veluti roſam ſpinis circumſepire, ut eam à defloratione Veneris conſervemus immunem.

Pronuntiatum LXXII.

Quinque ſenſus ſunt quinque fiſtulæ, per quas anima lethiferum inconceſſæ voluptatis venenum attrahit.

Pro-

Pronuntiatum LXXIII.

Oculi ſunt ſcopuli, ad quos alliſa pudicitia naufra-gatur.

Pronuntiatum LXXIV.

Specioſam *faciem* rectè *facem* dixeris; inflammat enim aſpicientes.

Pronuntiatum LXXV.

Socii corrupti ſunt ſocii corruptores.

Pronuntiatum LXXVI.

Virginitas dum tangitur, angitur: dum aſpicitur, inficitur: dum concipit, concidit: dum generat, degenerat: dum parit, perit.

Pronuntiatum LXXVII.

Tutior eſt Virginitas inter *Leones*, quàm inter *Lenones*.

Pronuntiatum LXXVIII.

Mulier eſt tactu viſcus, viſu baſiliſcus.

Pronuntiatum LXXIX.

Sicut ferrum trahit *Magnes*, ita virum trahit *Agnes*.

Pronuntiatum LXXX.

Fugite viri eas feminas, quæ dum formam proponunt, pudicitiam exponunt.

Pronuntiatum LXXXI.

Mulier ſuperbè amicta, in facie picta, in ſermone ficta, non uni vitio eſt addicta.

Pronuntiatum LXXXII.

Cavete viri à feminis. Cavete feminæ à viris. Homo Homini lupus eſt.

Pronuntiatum LXXXIII.

Liber obſcœnus omnium horarum eſt leno. Lectionem turpem turpe plerumque flagitium excipit.

Pronuntiatum LXXXIV.

Præstat libros tuos extinguendo, quàm animam tuam non extinguendo incendio ardere.

Pronuntiatum LXXXV.

Curiosus dum quærit quod non debet, invenit quod non vult.

Pronuntiatum LXXXVI.

Melius est habere bona, quibus invideant mali, quàm habere mala, quibus succenseant boni.

Pronuntiatum LXXXVII.

Meretur respectum, qui comtemnit despectûm.

Pronuntiatum LXXXVIII.

Laudatoris laudato non est laudati melioratio.

Pronuntiatum LXXXIX.

Aut vera objecit calumniator, aut falsa; Si vera, ostendit, quod emendes: si falsa, ostendit, quod vites. Ita semper per calumniam vel melior redderis, vel cautior.

Pronuntiatum XC.

Aut justa est ignominia, quâ affectus es, aut injusta; si justa, execrare causam illius, hoc est, culpam tuam; si injusta, tuâ te conscientiâ consolare.

Pronuntiatum XCI.

Aut potentior est, qui te læsit, aut imbecillior; si imbecillior, parce illi: si potentior, parce tibi. Nam irasci sine viribus, est bellare sine armis. *L'ira senza forza non vale una scorza.*

Pronuntiatum XCII.

Aut probus est, qui te injuriâ affecit, aut improbus; si probus, ergo injuriam non intulit; quia probus non est, qui injuriam facit; si improbus, ne ab hoc quidem injuriam accepisti, quia

Laudari est, homini displicuisse malo.

Pro-

Pronuntiatum XCIII.

Cùm tibi aliquis injuriam infert, noli curare, & vulnus omne curasti.

Pronuntiatum XCIV.

Duæ sunt victoriæ longè pulcherrimæ: injuriam vincere patientiâ, & beneficium beneficentiâ.

Pronuntiatum XCV.

Quò minùs iram premis, hoc magis ab ira premeris.

Pronuntiatum XCVI.

Hominis ad hominem *sympathia* est secundùm naturam, *Apathia* præter naturam, *Antipathia* contra naturam.

Pronuntiatum XCVII.

Sicuti magnum malum est, malum ferre non posse; ita magnum bonum est, vincere in bono malum.

Pronuntiatum XCVIII.

Majoris animi est injuriam non *agnoscere*, quàm *ignoscere*.

Pronuntiatum XCIX.

Dilige inimicum tuum, ne fias inimicus Christi, qui sanguinem suum profudit, ne inimicus tuus inimicus Dei maneret.

Pronuntiatum C.

Hæc quatuor pronomina, *Ego, Tu, Meum, Tuum,* sunt quatuor fontes omnium litium & discordiarum in hoc mundo.

Pronuntiatum CI.

In foro litigantibus tres facci sunt necessarii: *saccus pecuniæ, saccus chartarum, saccus patientiæ.*

Pronuntiatum CII.

Sæpe melius est tolerare, quàm litigare. *Spesso è meglio patire, che piatire.* Proverb. Ital.

Pronuntiatum CIII.

Rebus alienis uti nonnunquam, abuti nunquam conceditur. Sed aliis nunc legibus vivitur, juxta illud Italorum: *Sproni proprii, e cavalli d' altri, fann curte le miglia*, hoc est, Equi alieni, & propria calcaria faciunt curta milliaria.

Pronuntiatum CIV.

Lingua est clavis ad vitiorum omnium conclavia.

Pronuntiatum CV.

Levis sermo facilè *volat*, & facilè *violat*.

Pronuntiatum CVI.

Non in ore, sed in pectore nascantur verba oportet.

Pronuntiatum CVII.

Est tempus, quando nihil, & est tempus, quando aliquid: nullum autem tempus est, in quo dicenda sunt omnia.

Pronuntiatum CVIII.

Loqui, & non cogitare, est jaculari, & non collimare. *Parlar senza pensar, è tirar senza mirar.* Proverb. Ital.

Pronuntiatum CIX.

Ex verborum copia cognoscitur cerebri inopia.

Pronuntiatum CX.

Qui libenter ludit, sibi ipsi infortunium cudit.

Pronuntiatum CXI.

Fortuna tessellata est, quia bona malis, mala bonis interpolat.

Pronuntiatum CXII.

Ludit in rebus humanis Fortuna, & risum Democriti fletu Heracliti temperat.

Pro-

Pronuntiatum CXIII.

Sis fortunæ bonæ Rector, malæ victor.

Pronuntiatum CXIV.

Si adversæ fortunæ tela frangere non possis, cave
e ab illis frangaris.

Pronuntiatum CXV.

Felicitas mera infelicitas vera.

Pronuntiatum CXVI.

Felicitas & moderatio rarò habitant in eodem do-
nicilio.

Pronuntiatum CXVII.

Vera felicitas non fundat incolumitatem suam in
uina aliorum. Infelicissimi sunt, qui se aliorum in-
elicitate felices arbitrantur.

Pronuntiatum CXVIII.

Deus non deserit nos, nisi prius deseratur à nobis:
ò sæpe desertus non deserit, contemptus non con-
emnit, offensus non offendit.

Pronuntiatum CXIX.

Dilige alterum, ut diligaris ab altero. Diligi, nisi ipse
liligas, non potes: odio esse aliquibus, licet ipse non
oderis, potes.

Pronuntiatum CXX.

Se solus amat, qui se solum amat.

Pronuntiatum CXXI.

Humanus respectus est DEI despectus.

Pronuntiatum CXXII.

Apem propter aculeum non odisti, sed propter fru-
ctum mellis foves: cur igitur aculeatas monitoris tui,
quæ tibi prosunt, voces odisti?

Pronuntiatum CXXIII.

Fustuarium est malæ mulieris Magisterium. *Buon Ca-
vallo*

vallo vuol sperone, cattiva Donna vuol bastone. Proverbium Italicum.

Pronuntiatum CXXIV.

Mulier compta & lasciva gerit compedes in oculis quibus vinciat: gluten, quo affigat: hamum, quo inuncet: flammas, quibus adurat: sagittas, quibus confodiat, non suum duntaxat, sed etiam alienum animum.

Pronuntiatum CXXV.

Mulier levicula, quæ sæpe ingreditur alienum hortum, non rarò inde egreditur scortum.

Pronuntiatum CXXVI.

Nimia conversatio est mulierum depravatio. *Chi abevera il suo cavallo ad ogni fontana, è manda la sua Donna ad ogni festa, in breve fà una rozza, e unà puttana.* Proverb. Italic.

Pronuntiatum CXXVII.

Idcirco mulieres non habent barbas (inquit Galenus *lib. de usu partium*) quòd, cum domi continere se debeant, piloso illo contra frigus munimento, ut viri, non indigeant.

Pronuntiatum CXXVIII.

Uxor ducenda est oculis, auribus, digitis. Nam oculis de forma, auribus de moribus, digitis de dote judicatur.

Pronuntiatum CXXIX.

Qui rei amatæ qualitatem considerat in amore, amittit illam postea sine dolore. Unde si Pater diligens filium perpendat se diligere rem corruptioni obnoxiam, eo mortuo non multùm tristabitur.

Pronuntiatum CXXX.

Animus æquus est optimum ærumnæ condimentum: imò in re mala dimidium est mali.

Pro-

Pronuntiatum CXXXI.

Inventi ſunt plures,qui non riſerint,nemo, qui nunquam fleverit.

Pronuntiatum CXXXII.

Nullam Deus homini proſperitatem vendere ſolet, niſi ad pondus alicujus adverſitatis. Ubi guſtus,ibi lisjuſtus. *Nul plaiſir ſans deplaiſir.* Proverb. Gallic. *Hoggi in canto, domani in pianto.* Proverb. Italicum.

Pronuntiatum CXXXIII.

Sicut in cœlo pura & mera ſunt gaudia, in inferno puri & meri dolores; ita in terra, quæ inter cœlum & infernum media eſt, permiſcentur gaudiis dolores.

Pronuntiatum CXXXIV.

Præmiſſas mellis ſequitur concluſio fellis. Nubila poſt ſoles, poſt gaudia ſæpe dolores.

Pronuntiatum CXXXV.

Adverſarum rerum ſenſus feliciſſimo cuique acerrimus eſt.

Pronuntiatum CXXXVI.

Qui caret cruce, caret cœli duce. Nam, ut D. Auguſtinus ait, ſi exceptus es à paſſione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.

Pronuntiatum CXXXVII.

Ærumnæ hujus ſæculi patienter toleratæ,ſunt nummi aurei, quibus beatitudinem emunt, quicunque eam emunt.

Pronuntiatum CXXXVIII.

Duo ſint tibi in quavis afflictione refugia, *Deus & Amicus*: Ille pro auxilio, iſte pro Conſilio.

Pronuntiatum CXXXIX.

Ut Deus ſuccurrat nobis in adverſis, piè colendus eſt in proſperis. Si oblivіſceris Dei in proſperitate, obli-

obliviſcitur tui Deus in adverſitate. Unde illud Gal-lorum: *Qui en proſperité met Dieu en oubly, en adverſit[é] ne ſerà auſſi oüy.*

Pronuntiatum CXL.

Tota hominis vita vertitur intra duos cardines ſpem & metum. Unde canit Poëta:

Vita quid eſt hominis? ſpes & formido futuri:
Hæc inter dubii vivimus & morimur.

Pronuntiatum CXLI.

Affectus animi tui in ſtatione contine, ne limitibus virtutis egreſſi, aut omittenda, committant, aut committenda omittant.

Pronuntiatum CXLII.

Bonus Chriſtianus debet per *anguſta* ad *auguſta* tendere.

Pronuntiatum CXLIII.

Sperne mundum immundum, in quo periclitatur caſtitas in deliciis, pietas in divitiis, charitas in inimicitiis, puritas in immunditiis, innocentia in quotidianis vitiis.

Pronuntiatum CXLIV.

Quotidie cogita unde veneris, & erubeſce: ubi ſis, & ingemiſce: quo vadas, & contremiſce.

Pronuntiatum CXLV.

Melius eſt audire Socratem de moribus, quàm Hippocratem de humoribus diſputantem.

Pronuntiatum CXLVI.

Malos reprehende, tanquam laudaturus aliquando: Bonos lauda, tanquam non ſemper laudaturus. Sicut enim boni peccaturi timentur, ita mali corrigendi ſperantur. Nemo quippe tam eſt malus in *Re*, qui non ſit bonus in *Spe*.

Pro-

Pronuntiatum CXLVII.

Adoleſcentem oportet habere tria: *docilitatem* in
nente, *ſilentium* in lingua, *verecundiam* in vultu.

Non omnis tamen erubeſcentia eſt illa virtus vere-
undiæ, quam in adoleſcente requirunt ſapientes. Sæ-
e enim veſtigium mali operis eſt erubeſcentia.

Prodet te *facies*, turpia cùm *facies*.

Pronuntiatum CXLVIII.

Adoleſcens corroget, ſenex eroget.

Pigram adoleſcentiam egena excipiet ſenectus.

Veriſſimè Galli: *Qui n' eſt diligent en jeuneſſe, pauvre
ra en ſa vieilleſſe.*

Pareſſeux en jeuneſſe, ſouffreteux en vieilleſſe.

Pronuntiatum CXLIX.

Ut ſenum eſt docere quærenda ab Adoleſcentibus,
a Adoleſcentum eſt quærere docenda à ſenibus.

*Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didice-
unt à Pātribus ſuis, quoniam ab ipſis diſces intellectum.*
cclefiaſtici 8.

Apollonius Thyanæus interrogatus, cur ipſe nun-
uam aliquid quæreret? reſpondit: *Quoniam adoleſ-
ens multa quæſivi; nunc autem non quærere, ſed inventa
ocere opus eſt.*

Pronuntiatum CL.

Adoleſcens in via doctrinæ utatur ductu præcepto-
s, tanquam vehiculo: ſciendi deſiderio, tanquam via-
co: fideli memoria, tanquam ſacculo viatorio.

Pronuntiatum CLI.

In addiſcendis artibus diligentia opus eſt, nec *nimiâ*,
ec *minimâ*. Quia *nimia* Artes obſcurat: *minima* eas
nditùs evertit.

Pro-

Pronuntiatum CLII.

Illum ego adoleſcentem verè MAGNUM dixe-rim, in quo ſi aliquid quæratur non MAGNUM ſola quærenti occurrat ætas.

Pronuntiatum CLIII.

In fructibus laudatur præcocitas, in ſervitiis deſi-deratur velocitas.

Il ſervo ſia veloce, come un cervo.

Pronuntiatum CLIV.

Servire, & domino non placere, eſt ſeminare, & fructu non gaudere.

Servir ſenza gradir, è gran pena nel ſervir.
Aſpettare, è non venire;
Star in letto, e non dormir;
Servire, e non aggradire;
Sono tre coſe di morire.

Pronuntiatum CLV.

Severitas domini eſt nervus, quod continetur in of-ficio ſervus.

La briglia e il baſton fanno il cavallo buon.

Pronuntiatum CLVI.

Indurata perverſorum ſubditorum malitia non *ferenda, ſed ferienda* eſt.

Pronuntiatum CLVII.

Munera tunc maximè & *placent*, & *placant*, quando abſque antidoro conferuntur.

Temporibus noſtris quicunque placere laborat,
Det, capiat, quærat: plurima, pauca, nihil.

Pronuntiatum CLVIII.

Mutuaturus alteri pecuniam, tres ſibi conciliet pa-tronos. 1. *Juriſconſultum*, qui contra recuſantem red-dere debitum, lege agat. 2. *Theologum*, qui con-

ſcien-

ientiam debitoris exstimulet. 3. *Militem*, qui no-
ntem vi compellat ad solvendum.

Pronuntiatum CLIX.

Spiritus nationalitatis est contra rationem, quia
udat & vituperat nationem propter nationem.

Boni Viri, & boni Vini non est inquirenda origo.

*Duæ tantùm sunt nationes in mundo; una proborum,
tera improborum.* Dictum Serenissimæ Christinæ
eginæ Sueciæ.

Pronuntiatum CLX.

Risus nec sit multus, nec ob multa. Illud Levita-
, hoc fatuitatis indicium est.

Pronuntiatum CLXI.

Prudentissimus est, qui in rebus decernendis, non
am optimam opinionem putat, sed *optimam suam.*

Pronuntiatum CLXII.

Prudens consultatio sit actionum nostrarum Dux.
on comes, nec subsequa. Nota est parœmia: *Itali
piunt ante factum, Galli in facto, Germani post factum.*
u primos imitare, ne serò sapias cum secundis &
rtiis.

DISCURSUS TRIGESIMUS SEXTUS.

EX OECONOMICA.

*raduntur varia Monita, Statum Conjugalem con-
cernentia.*

PRÆFATIUNCULA.

S*Cientia Oeconomica noscitur ex objecto suo, quod est
duplex, Primarium & Secundarium. Primarium
est prudens gubernatio Familiæ in societate domesti-
, quæ triplex est:* Conjugalis, Patria, Herilis. *Pri-
a respicit Virum & Uxorem, Secunda Parentes & Li-*

beros, Tertia Herum & servos. Secundarium objectu
est prudens administratio rei familiaris.

PErspectâ naturâ contractûs, tum sponsalitii, tu
Conjugalis, instituenda est electio Conjugis, no
sine magna cautela & circumspectione; cùm sit nego
tium grave, in quo si error committatur, facilius e
malo remedium optare, quàm invenire. Porrò u
electio conjugis sit prudens & fortunata, obtemperan
dum est monitis subsequentibus.

Monitum I.

COnjugium contracturus sit Fabius, id est, cuncta
tor. Prudentia enim in hoc tam arduo negoti
principaliter requiritur. Prudentia autem habet co
mitem cunctationem, sicut imprudentia præcipitatio
nem. Statui religioso novitiatus, sive annus probatio
nis præmitti solet, secus Satui conjugali. Neque enim
si semel accepisti uxorem, venum postea eandem expo
nere poteris, & cum alia commutare, sed necesse e
habeas tecum, servesque sepulchro. Brevis est can-
tiuncula: *Tu sis mea, Ego tuus:* sed longum habet epi-
phonéma.

Monitum II.

Qui matrimonium inire desiderant, explorent mu-
tuum *Amorem, Morem, Rem:* id est: Sinceritatem af-
fectuum, Mores & Indolem, Facultates & opes.

Monitum III.

Uxor est ducenda Animo, Auribus, Oculis, Mani-
bus. *Animo*: ita ut virtutem, probitatem scilicet &
pietatem, respicias. Unde dici solet, eum invenire
uxorem bonam, qui nil nisi bonam quærit. *Auribus:*
ita ut aliorum consilia consulat. *Oculis:* ita ut venu-
statem quoque requirat; quia præterquam quòd de-
formitas corporis deformitatem animi plerumque in-
dicet, virum quoque periculo incontinentiæ expo-
nit,

nit. *Manibus* denique: ita ut etiam habeatur ratio dotis; quæ tamen in consideratione connubii postremum obtinet locum; neque enim faustum efficit connubium Dos, sed Virtus. Ideo Themistocles solitus est dicere: *Malo sponsam piam carentem dote optimâ, quam dotem optimam carentem piâ sponsâ.* Et verò unde dos ingreditur, inde matrimonii libertas egreditur.

Monitum IV.

Cæteris paribus virgo potiùs ducenda, quàm vidua. Duplex enim ei subeundus est labor, qui viduam ducit. Prior, ut dedoceat primi mariti mores, quos viduæ solent allegare: alter, ut suis sponsam moribus assuefaciat. Quod in re simili expressit Musicus quidam, qui duplicem mercedem exigebat à discipulis, qui alium habuissent præceptorem, eò quòd difficilior esset oblivionis, quàm memoriæ ratio.

Monitum V.

Dum sponsa quæritur, de forma ultimà cura sit. Ferè enim pulchritudini solicitudo adjuncta, & comes formæ metus: totque propemodum anxietatibus maritus involvitur, quot elegantias in uxore quotidianis observat aspectibus. Ita forma Saræ tantùm non Abrahamo exitio fuit, dum in Ægyptum descendens illi præcepit, ut se sororem suam diceret, sibi metuens ob illius venustatem. Quod expendens D. Ambrosius lib. 1. de virgin. *His* (ait) *docemur, non magnopere decorem quærendum conjugis, qui viro necem plerumque gignere soleat.*

Accedit, quòd species muliebris non paucos in fraudem inducat, quibus objici posset illud Danielis 13. *Species decepit te*; vel quòd de stabilitate formæ spem vanam conceperint, vel quòd putaverint, veram esse, quæ fucata & emendicata erat. Quod S. Bernardinus Eccle-

siastes religiosissimus *tom. 4. serm. 36.* festivè confi
mans, narrat puellam fuisse deformem, nanam & gib
bosam, quæ cothurnis, comis ascititiis, dentibus emiss
tiis seu exemptilibus, vestibusque suffultis, ita perso
nam immutaverat, ut in oculis proci gratiam invener
& in conjugem ignobilis à nobili adlecta sit. Quæ ub
sub vesperam se exuens, cothurnos, comas, dentes, ve
stesq; seposuisset, maritus illam breviorem cernens, atq
ingeniculantem ratus, assurgere jussit, propiusqu
intuitus, nanam, gibbosam, luscam, edentulam, to-
tumque mundum muliebrem, dimidium utique uxo-
ris suæ, super vicinum abacum repositum esse animad-
vertit, juxta illud Nasonis l. 1. de remed. *auro gemmisq;*
teguntur omnia, pars minima est ipsa puella sui. Ne & tu
sic decipiare, famam formæ, animum corpori præferre
memento: quod Ambrosius lib 1. de virg. inculcans:
Cur, inquit, *vultûs pulchritudinem magis in conjuge,*
quàm morum requiras? placeat uxor honestate magis
quàm pulchritudine. Verissimè Salomon (cui exper-
to credendum) *Fallax gratia*, inquit, *& vana est pul-*
chritudo. Mulier timens DEUM, ipsa laudabitur.
Proverb. 31.

Monitum VI.

Ducturus uxorem non respiciat primariò ad opu-
lentam dotem, ad fundos, census &c. sed potiùs ad
interiores virtutum thesauros: quibus si careat mu-
lier, oneri potiùs quam honori erit marito suo.

Intolerabilius nihil est, quàm femina dives.

Id observavit Chavassius *de vera prudentia lib. 2. cap.*
12. ubi ait: Conjux longè ditior minimâ exortâ lite ex-
probrabit alteri tenuitatem suam, & premet illum ty-
rannide. Verissimè Plutarchus lib. de educatione.
Qui, inquit, *seipsis longè ampliores capiunt uxores, non*
earum maritos, verùm dotis mancipia fecisse se nesciunt.

Pla-

lacet mihi, eſtque ad præſens inſtitutum perquam
loneum illud Martialis Epigramma:

Uxorem quare locupletem ducere nolim
Quæritur? uxori nubere nolo meæ.
Infer or matrona ſuo ſit Priſce marito,
Non aliter fuerint femina, virque pares.

Sapientiſſimum eſt illud Macrobii apophtegma:
icut ſtultus eſt, qui empturus equum, non ipſum, ſed
ænum, phaleras, ephippia inſpicit: ſic errat, qui uxo-
em ſuam ex ornatu ſuo, & mundo muliebri, atque
pulenta dote æſtimat. Et ſanè talium ſtultorum in-
nitus eſt numerus. De quo queritur Hugo de San-
to Victore in libello ad ſocium volentem nubere.
)ucuntur, inquit, *hodie uxores, non causâ fornicationis
itandæ, ſed causâ luxuriæ; non causâ prolis, ſed causâ
ecuniæ.* Unde Marci Catonis filia junior, cùm roga-
etur, cùr poſt amiſſum virum alterum non duceret: re-
pondit ſe non invenire virum, qui magis vellet ſe,
uàm ſua.

Monitum VII.

Non eſt à virò provectæ ætatis ducenda juven-
ula.

Uladislaus Bohemiæ & Hungariæ Rex, Ludovico
ilio & Annæ Filiæ quærens nuptias, Viennam ad Maxi-
nilianum I. Cæſarem profectus eſt, cum Liberis, &
igiſmundo Rege Poloniæ. Cæſar perebat, ut ne-
otibus ſuis ex Philippo Filio, Carolo aut Ferdinando,
Anna deſponſaretur & viciſſim Ludovicus ſtipulare-
ur, ſe neptem Cæſaris Mariam in matrimonium du-
turum. At cùm Anna proximè ad maturitatem acce-
lere videretur, libera Cæſari poteſtas facta eſt, ut eam is
vel ſibi copularet, vel alteri nepotum deſtinaret. Tum
Cæſar: vivam, inquit, memoriam adhuc teneo
Friderici Cæſaris parentis mei, dicere ſoliti: Si

quis honestâ ratione Senem vitâ privare velit, obtru dat ei puellam juvenem: id enim senibus præsentissimum esse venenum: quo dicto ego monitus, vald seniliter desiperem, si sciens volensque periculum mor tis adirem; deinde vehementer in puellam peccarem, brevi moriturus viduam relinquerem, non statim po Cæsarem maritum alium inventuram. Itaque place consilium, quod dedit ille puellis, qui cecinit:

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Optimè enim juveni cum juvene convenit. An nam ergo Viennæ retinuit, ut simul cum nepte Maria i eodem Gynæceo educaretur, sermonemque Germa num perdisceret, donec ambo adolescerent, sponsu & sponsa. *Dubraivus lib.* 32.

Monitum VIII.

Conjugia ineantur inter pares & similes. Ets enim inter homines disparis & inæqualis conditioni nonnunquam fausta fuerint connubia, sæpius tame funesta, quàm festa fuerunt. Conjugium itaque n contrahatur cum dissimilibus. Quemadmodum enim similitudo amicitiæ, sic & conjugii est mater.

Cæterùm variæ in conjugio vitandæ sunt diversitates & dissimilitudines. Prima est diversitas Religionis, quæ quid possit, ex Salomonis exemplo discere licet, qui profanarum convictu mulierum factus es idololatra. Constantinus Copronymus Imperato Constantinopolitanus, cum Uxore Irene semper vixi animo discordi; cùm illa idololatra, ipse iconomachu esset. *Cuspinian. in Cæsaribus*. Secunda est diversitas ætatis; ut si senex ducat juvenculam, aut juvenis vetulam. Hinc ait quidam: *Senex amator est ridiculus*; *Vetula verò juveni est purgatorium*. Tertia est diversitas opum. Si enim pauper ducat divitẽ, non uxorem, sed dominam ducit, ut supra insinuavi. Quarta est diversitas

com-

omplexionis. Sic non bene convenit complexioni nguineæ cum melancholica. Quinta est diversitas nalium status, & conditionis. Sic anno 1567. totus pe- è orbis Europæus risit Erici Regis Sueciæ cum Licto- s filia connubium. Hanc cum ille perditè adamasset, mque bis matrem geminæ prolis effecisset, etiam onjugem ducere, formæ unius tractus illecebrâ, non :ubuit. Cumque esset, qui imparitatem sanguinis, : Familiæ Regiæ dedecus inde profecturum obten- eret, eum ille protinus duci, atque interfici jussit. *Flo- imundus Remundus lib. 4. Orig. hæres. cap. 16.*

Monitum IX.

Conjugium ante ætatem conjugio aptam non con- ahatur. Apta verò censetur esse pubertas, saltem ffecta, si nondum plena & perfecta: quæ legibus omanis in masculis 14. in feminis 12. anno æstimatur. Jeque enim nupta est (inquit Labeo) quæ virum pati on potest. Hesiodus viro trigesimum annum, fe- ninæ decimum quintum connubio aptum constituit. Egyptii ante trigesimum, Lacedæmonii ante vigesi- num quintum noluerunt matrimonium iniri. So- on quintum septenarium, hoc est, annum 36. aptum sse matrimonio censuit. Germani hoc nomine laudan- ur à Cæsare, quòd sera apud illos Venus extiterit. Plato vult, ut uxorem quisque ab anno ætatis trigesi- no usque ad trigesimum quintum ducat. *Lib. 4. de Le- ibus.* Aristotelis judicium est, anno 18. feminas, viros 6. connubio jungendos esse, quòd utriusque sexûs vires tum maximè vigeant. *Lib. 7. Polit. cap. 16.*

Monitum X.

Novi conjuges, matrimonio inito & consummato, initaque nuptialis festi hilaritate, adjiciant animum ad ea omnia accuratè observanda, quæ ratio conjuga- is officii deposcit.

Porrò in conjugali ſocietate officia alia ſunt com munia, alia propria mariti & uxoris. Officia conjugur comunia continentur amore & auxilio mutuo, itemc fidelitate conjugali & patientia. Officia propria ma riti ſunt, honorificè de uxore ſentire, verecundè cum il la vivere, reverentiam potiùs, quàm metum ipſius con ciliare, eam defendere ab injuria, exorbitantem deni prudenter & diſcretè corrigere. Officia uxoris propri ſunt, eſſe domiportam inſtar teſtudinis, caſtimoni ſtudere inſtar Penelopes, diſpenſare labores dome ſticos inſtar apiculæ, eſſe Condam potiùs quàm Pro mam &c.

Monitum XI.

Conjuges, præſertim ætate provectos, in uſu con jugii decet eſſe temperantes & moderatos. Nam fre quentata Venus imminutionem ſpirituum animaliur & vitalium cauſat, ac proinde vires corporis, præſer tim in hominibus ad ſenium vergentibus, notabilite imminuit, eſtque proxima ad ſepulchrum via. Unde Pythagoras rogatus à quodam, quando eſſet congre diendum cum feminis? Cùm voles, inquit, te ipſo fieri debilior. Clinias quoque interrogatus quando coitu utendum eſſet? reſpondit, quocunque tempore maxi mè lædi cupis. Quapropter conjuges ſæpe revocent ſibi in memoriam illud Pythagoræ apud Stobæum ſerm. 15. *Ne ſæpe homo ab homine.* Quo ille ænigmate frequentem Venereorum uſum interdixit.

Cùm Anno 1513. deceſſiſſet Anna Regina Galliæ, ſummæ religionis & caſtimoniæ mulier, ſuperſtiti Lu dovico XII. Galliæ Regi deſponſata eſt Maria Henri ci VII. Regis Angliæ Soror, eximiæ venuſtatis virgo. Quâ in Galliam perductâ, Ludovicus incredibili ſum ptu, & mirâ ludorum varietate nuptias celebravit. Sed is dum ætatis & valetudinis, quæ ei tum erat tenuiſſi-

ma,

na, penè oblitus, intemperantiùs (ut ferunt) pro-
reandis liberis operam daret, correptus edaci febricu-
â, non multos post dies interiit. *Jovius in Leone X. l.3.*

Monitum XII.

Meminerint conjuges nihil perinde fœdum, ac sta-
ui conjugali magis dedecorosum, imò & periculo-
um noxiumque esse, quàm divisionem amoris conju-
alis, & affectum, concubitumque adulterinum.

Fœdus est concubinatus in matrimonio (inquit
onnemo) quia turpe est plures habere corporis sui
sufructuarias: cùm uxor sit dimidium mariti, & cor-
oris ejus proprietaria & usufructuaria, ut loquitur in
uo Basilico Jacobus Rex Magnæ Britanniæ. Noxius
st, quia si sit unius cum una, illegitimi nascuntur liberi,
ec res familiaris commodè potest augeri: Si verò sit
nius cum pluribus (qui est coitus caninus) valetudi-
em lædit, vitamq; exponit telis plurium amasiarum.

Imitatores viperarum sunt conjuges adulteri &
dulteræ. Viperæ enim adulterino cum murænis
oitu contaminari solent.

Cùm furit in Venerem, pelagi se in littore sistit
Vipera, & à stomacho dira venena vomit.
Murænamque ciens, ingentia sibila tollit,
Ac simul amplexus appetit illa viri.

Ciconia ex adverso est symbolum seu hieroglyphi-
um castitatis conjugalis, cùm hoc genus avium ab
dulterino coitu magnopere abhorreat, commissum-
que capitali puniat supplicio. Si Ciconia mas odora-
u exploret feminam adulterio pollutam esse, convo-
at vicinas ciconias, & unà cum iis evolat in pratum,
c ibi sistit adulteram. Hîc ciconiæ ream circumstant
& circumeunt, ac veluti deliberantes decernunt pœ-
nam, factoque in delinquentem impetu illam rostris
onfigunt.

Si Magistratus & Principes pari hodie severitate i adulteros & adulteras animadverterent, tam effræni adulteriorum licentia non grassaretur. Sed profect ipsi scelerum Judices & Vindices non raro in eo ips delinquunt, in quo delinquentes ab ipsis corrigend essent.

Insano alienarum uxorum amori indulgebat Augustus Cæsar: ipsis etiam maritis flagitio inservientibus Mittebat ad Senatores, quorum erant formosæ uxores, suum annulum, postulabatque, ut uxores suas in lectica annulo obsignatâ & undique clausâ ad se mitterent, simulque annulum remitterent. Expleta libidine mulieres ad maritos suos, lecticâ iterum obsignatâ & occlusâ, revertebantur. Petierat aliquando ejusmodi turpe obsequium Cæsar à viro quodam primario; qui cùm negare non auderet, suam calamitatem deplorabat. Athenodorus Philosophus, qui præsens aderat, causâ tristitiæ cognitâ, se cum stricto gladio in lecticam abdi, atque ita ad Cæsarem mitti jussit. Cæsar cùm Senatoris uxorem sibi allatam putans, januam lecticæ aperuisset, exiliit gladium strictum tenens Athenodorus: quo viso admodum territus Cæsar, cùm se, alloquio Athenodori confirmatus, rursum collegisset, juramento (adigente Athenodoro) se obstrinxit, nihil tale deinceps à se commissum iri. Porrò id factum Athenodori adeò gratum fuit Cæsari, ut convocato Senatu Athenodorum multis verbis laudaverit: addideritque se cum turpem ageret, turpem ab eo fuisse correctum. *Cedrenus in Hist.*

Monitum XIII.

Caveant sibi conjuges à nocentissimo vitio Zelotypiæ, quod sicut à Furiis infernalibus accenditur, ita non raro innocentis effusione sanguinis extinguitur.

Cu-

Cujus rei tragicum extat exemplum apud D. Hieronymum *Epistola 49. de muliere septies icta.*

Vercellæ in Lombardia Vir Zelotypus accusavit uxorem de adulterio, juvenemq; suspectum compegit in antrum aliquod horribile, simulque uxorem alio conclusit, donec ad Judicem ejusque tribunal adducti, juvenis torturæ impatiens confessus est, se fecisse quod non fecerat. At mulier post omnes cruciatus constans, suspiciens in cœlum exclamavit: *Tu testis es Domine Jesu, cui occultum nihil est, non ideo negare me velle, ne peream, sed ideo mentiri nolle, ne peccem; at tu miser homo* (ad adolescentem conversa) *si interire festinas, cur duos interimis innocentes? equidem & ipsa cupio mori, sed non quasi adultera; innocentiam meam mecum feram.* Duplicantur tormenta & Judex carnifici minatur extrema, ni à negante scelus exprimat. Crines mulieris ligantur ad stipitem, & equuleo impositæ pedibus ignis subjicitur, latera ferro scinduntur, solvuntur membrorum compages, innocente feminâ exclamante: *Cæde, ure, lacera, non feci, veniet dies, quæ veritatem in lucem protrahet.* Jam tortor suspirabat, nec erat vulneri locus, corpus quod laniaverat carnifex, ipse horrebat. Solus animus Judicis expleri non poterat, qui in has voces erupit: *Quid miramini, si torqueri malit quàm mori? adulterium certè ab uno committi non potest; & reor esse credibilius noxiam negare, quàm innocentem.* Itaque utrumque damnat ad mortem: uterque ducitur. Miserrimi juvenis caput uno ictu amputatur. Femina verò ut altera Susanna flectit genua, & nolens oculos obvelari, cœlum testem innocentiæ invocat; itaque valido percussa ictu paucas guttas sanguinis per lactea colla diffudit. Repetit ictum carnifex, sed velut rupem feriret, ensis resilit. Ergo exurgit in iras; & thoracem exutus, quò feriret expeditiùs, tertium infli-

infligit ictum, sed incassum. Jamque tentabat ferrum jugulo immergere, dum ecce gladius ad capulum reflectitur. Novus igitur ensis, novus tortor adhibetur. Illa verò repetitis ictibus percussa, tandem semianimis prosternitur, absque ulla læsione. Ad tumultum tamen sedandum corpori terra ingeritur, convolvitur in vestes, ut mortua sepelitur. Accidit autem eadem nocte alteram ibi feminam sepeliri, & hanc avibus ferisque devorandam projici. Sed illa sibi repentè restituta, oculisque apertis blandè subridens, hæc verba protulit: *O bone JESU! Spes cordis mei, tibi vivo, & posthac vivam.* Quo spectaculo adstantes attoniti, veritique ne rursus in manus Tyranni incideret, incisis capillis, habituque virili indutam, cœnobiticam vitam quietè ac sanctè eam ducere permiserunt. *Vid. Binet consolat. ægrorum c. 10. max. 2.*

Monitum XIV.

Persuadeant sibi conjuges, præcipuam conjugalis societatis energiam in amoris fideique reciprocatione consistere. Nam amor mutuus, cum pari fide conjunctus, est fundamentum felicitatis conjugalis. Est enim vinculum cordium, & condimentum ærumnarum conjugii. Oportet autem hunc amorem esse mutuum? licet enim amor solus nasci possit, solus tamen crescere non potest: quo pacto videmus uno ligno flammam non foveri in foco. Amor non est unius, sed duorum. Quare nisi adsit reciprocatio flammæ conjugalis, omnis affectus in fumum & vapores abit.

Oportet item amorem fidemque conjugalem non in prosperis tantùm, sed etiam in adversis elucescere. Adversitas enim est Lapis Lydius, quo conjugalis amoris sinceritas integritasq; probari solet, fuitque probata semper, ut illustrissimis exemplis mox docebitur.

Da-

Darius Rex Perſarum duplici prælio victus ab Ale-
andro M. magnaque Imperii parte exutus, nullum tri-
titiæ ſignum edidit: at morte conjugis auditâ, manum
oculis admovit, nec potuit lacrymas cohibere. *Sabelli-
us lib. 3. Exemplor.*

Cùm Nero Senecæ ad mortem condemnato, genus
nortis eligendi poteſtatem feciſſet, iſque diſſectis in
alneo venis effuſionem ſanguinis elegiſſet, Paulina
xor, ut ſuum marito amorem conteſtaretur, ſibi quo-
ue venas in tepenti balneo incidi juſſit, certa ſimili
nortis genere è vivis excedere: invito licet Senecâ, &
epugnante Nerone: cujus juſſu ſanguis à fluxu cohi-
itus, & ipſa in vita retenta fuit. Cùm verò jam mul-
um ſanguinis effuſum eſſet, pallida ſemper manſit, at-
ue in vultu conjugalis amoris ſigna per omnem vitam
ircumtulit. *Baptiſta Fulgoſus lib. 4.*

Memoriâ digniſſimus eſt amor conjugalis, quem
Catalufius, qui Lesbi rerum potiebatur, erga uxo-
em ſuam oſtendit; quæ cùm in lepram incidiſſet, virum
eque odoris gravitas, neque contagionis periculum
eterruit, quò minùs uxori tam in menſa, quàm in
ecto ſocietatem præſtaret. *Fulgoſus ſupra citatus.*

Cùm quidam in Regno Neapolitano agricola
grum ſuum coleret juxta mare ſitum, ejuſque uxor ali-
uantiſper ab illo disjuncta; à Piratis Mauris, qui in
tus prędatum deſcenderant, capta eſſet, ſtatim ut uxo-
em non apparere, piraticamque triremem non procul
ide anchoras jeciſſe conſpexit, arbitratus id quod
at, in ea uxorem eſſe, ad triremem velocitér adnata-
it, atque ejus gubernatore vocato, dixit ſe ideo veniſ-
, quòd uxorem ſequi ſtatuiſſet. Quam rem cùm
lauri non ſine ingenti admiratione percepiſſent,
mq; poſtea Tunetano Regi narraſſent, tantâ homi-
is charitate motus Rex, & virum & uxorem liberos
eſſe

esse jussit, atque inter Regiæ custodiæ milites virum adoptavit. *Fulgosus citatus.*

Ardentioris amoris specimen edidit quædam Regina Angliæ, quæ intelligens Regem conjugem accept in brachio vulnere, quod nescio quis ense venenat inflixerat, certissimæ morti obnoxium esse, nisi qu vulneris pus cum pari mortis periculo exsugeret; v densque eum certum potiùs mori, quàm aliena mort periculum suum redimere; nocte decumbentem in le cto Regem suspenso gradu, ne expergefaceret, accessi & illius brachium leniter prehensans, obductam pla gæ fasciolam religavit, admotoque vulneri ore, anim plus quàm virili, pus exsuxit, vitamque Regi, morter sibi, triumphum amori eò clariorem peperit, quò de bilior sexus, Regiisque deliciis fractior, mori potu amore. Memorat hæc Georgius Viviennus *l. 2. de of ficio Patrisfamilias cap. 13.* Quibus similia narrat Ro dericus in Historia Hispaniæ part. 1. cap. 4. de fili Regis Hispaniæ nupta Eduardo Regis Primoge nito.

Conradus III. Rex Romanorum, contra Ducem Ba variæ Welfonem tyrannidem affectantem bellur gerens, Winspergam oppidum Sueviæ præmissâ ob sidione in deditionem accepit, & ex gratiâ Matroni concessit, ut quæcunque humeris portare possen efferrent. Illæ neglectâ supellectile suos singulæ mari tos humeris extulerunt. Et licet Fridericus frate Conradi contra pacta illas facere exclamaret, Impera tor tamen prudentiâ & pietate illarum collaudatâ, in columes cum suis abire jussit. *Æmilius lib. 7. & ali* Hoc memorabili facinore sic delectatus est Laur. Medi ces Florentinus Princeps, ut ejus Lectione à morb gravissimo convaluerit.

Simili astu usæ Mulieres Cremonensium, cùm à Fri

de

lerico Barbarossa ob rebellionem oppugnarentur, ilios, Parentes, cognatos exportarunt.

Quin etiam eo bello, quod anno 1499. Suevi confœderati contra Helvetios Maximiliani I. Cæsaris auspiciis gessêre, cùm Helvetii Blumenfeldam oppidum n potestatem redegissent, potestate obsessis factâ, ut efferrent, quantum singuli humeris efferre possent: Uxor Roseneggii sciens eum maximè ab hoste peti, quòd Præfectus oppidi esset, & præ cæteris deliquisset, Maritum suum in humeros elatum exportavit. *Urstisius lib. 6. hist. Basilæ.*

Simile charitatis obsequium frater sorori præstiit.

Anno 1168. cùm Fridericus I. Imperator gravissimâ bsidione premeret Mediolanum, cives ad extremam amem perducti, deditionis fecêre mentionem, promissâ incolumitate civium. Cæsar unum excepit rebellionis Auctorem. Id ubi comperit Abbatissa loci, in uo ad venerationem servabantur tria corpora SS. Regum, sive Magorum, germana soror ejus, qui Rebellionis Auctor habebatur, pacta est cum Reinoldo Archiepiscopo Coloniensi vitam fratri (sciebat enim Cives xtremâ fame pressos necessitati cessuros) & pro muere pollicita est sanctas illas Reliquias trium Regum. Archiepiscopus sciens indignationem Cæsaris, honestâ fraude illum circumveniendum putavit, pro munere deposcens, quod Abbatissa exportaret. Cæsar ndulsit. Illa fratrem humeris, ut potuit, exportavit. Sic ille servatus est, & Archiepiscopus sacras Reliquias x pacto accepit, & Coloniam misit. Dudum llæ venerant è Parthia Constantinopolim, & inde Mediolanum, ubi annis 671. feruntur quievisse. *Cranzius lib. 6. Saxoniæ.*

Montignius frater Philippi Comitis Hornani, An-

no 1566. è Belgio in Hispaniam profectus est, sua
comprobaturus Regi innocentiam; verùm cùm aur
Regias æmulorum voces penitùs obsedissent, custo
diæ mancipatur; quo nuncio accepto uxor hanc ra
tionem mariti liberandi, ut novam, sic ingeniosissima
excogitavit. Quatuor ablegantur Belgæ, linguarur
periti, qui peregrinationis Compostellanæ prætextu i
Hispaniam proficiscantur, stipis emendicandæ speci
chelym quisque secum ferentes; in quorum instrumen
torum Musicorum maximo, quod Bassum vocant
omnis generis ferramenta, ad perfringendos carcere
oportuna, affabrè conclusa erant. Ubi ad arcem ven-
tum est, in subjecto vico specimen artis edunt. Admi-
rantur omnes peregrinorum ingenium. Præfectus arci
eos advocari jubet, Dominum Montignium Musice
amantem exhilarandi causâ. Vocati parent, nec mo-
dò fidibus, sed etiam voce, Gallicè, Italicè, Hispanicè
suavissimè modulantur: ad extremum etiam linguâ
Belgicâ, quam, ut exploratum habebant, nemo custo-
dum intelligebat. Hac autem cantilenâ Belgicâ de-
cantant, cujus rei causâ advenerint, modum expo-
nunt, quo è carcere se expedire queat; emeret nimirum
hæc artis Musicæ instrumenta quovis pretio, ipsis
dissimulanter reluctantibus, in Basso reperturum fa-
brilia, quibus clathros carceris perfringat. Hacte-
nus omnia feliciter, nec surdo canebant; at unum de-
fuit, nescio quo errore factum sit, ut versum illum,
quo bassum citra læsionem, arcano stylo aut clavo ex-
empto, aperire & claudere posset, ne perfracto illo
fraus deprehenderetur, concinere omiserint. Mon-
tignius ad voces has animum advertens, sed vultu pro-
bè dissimulans, ad Præfectum arcis conversus: Egre-
gios me hercle musicos, inquit: contendere tamen au-
sim vel te judice cantionis Belgicæ harmoniam cæteris
lon-

ongè suaviorem fuisse. Adstipulante itaque Præfecto, antilenam de industria repeti jussit, sed idem error, qui riùs contigit. Montignius artem illorum laudans, nstrumenta Musica ab iis diu multumque reluctantibus tandem numerato pretio obtinuit. Peregrini am digressi, erroris à se commissi memores, novo astu um emendare student; observant puerum à vicino istore in Comitis usum petere panem, cui schedam, ersum illum omissum continentem, inserunt. Incommodum autem accidit, tum temporis Præfectum rcis cum captivo Comite prandere, in cujus manus ic fatalis panis incidit, ac dolo detecto spes omnis bertatis Montignio præcisa est.

E tenui pendent magnarum pondera rerum.

Hanc historiam Beyerlinck *in Theatro tit. Prud...ia*, sequentem Xenophon *lib.3. de Instit. Cyri* com...nemorat.

Cyrus Rex Persarum Tigrani Regi Armeniæ bellum intulit, eumque devictum unà cùm uxore in captivitatem duxit: cùmque non levia amoris indicia dverteret Cyrus, quibus Tigranes in conjugem suam erebatur, aliquando peramicè illum percunctatus est, uod lytrum pro libertate uxoris suæ offerret, si quod fferendum haberet; Cui confestim Tigranes: interrum ait regnum, ô Rex, si haberem, quod cùm sors bstulerit, libens sanguinem & vitam offero. Quo esponso mirificè captus Cyrus, ambos libertati, Regiæque dignitati restituit. Jamque solo ac solio redditus Tygranes, perquam familiariter uxorem interogavit: ecquid de Cyri humanitate, deque Regia ejus Munificentia videretur? Num omnem aulæ apparatum satis observasset? Cui illa: ex quo tecum, inquit, n vinculis fui, ita me devinctam habuisti, ut nunquam oculos, aut mentem in alium defixerim, quàm in e ım,

qui me sanguinis sui impendio redimere parat erat.

Monitum XV.

Proprium officium Mariti erga uxorem consistit *favendo* & *fovendo*. In *favendo*, id est, complecte do uxorem amore, sed maritali, hoc est, virum dece te. Habeat igitur illam non pro fæce, aut serva, s pro corde; adeoque eam non solùm amet, sed & r vereatur. Uniones aceto corrumpi, Physiologoru est pronuntiatum. Uxor unio est: acri severitat despoticæ aceto non melior fiet, sed deterior. In *f vendo* consistit officium protectionis & sustentatio nis. *Protectio* requiritur, quia maritus est caput. N que tamen est, quòd maritus sibi persuadeat, se uxor superiorem esse, uti est Princeps subditis, aut pastor ov bus superior; sed sicut anima corpore superior est, cu quo naturali quadam benevolentia est conjuncta. No igitur imperabit uxori despoticè, sed politicè, ut reve rentiam potiùs, quàm metum conciliet. Uxor enim præcipua post maritum domus pars est. Unde S *Ambros. de paradis.* ait: Sicut vir externis & politici rebus, ita uxor domesticis est destinata. Officium *sustentationis* est, quo vir prospicit uxori de rebus ne cessariis. Vix enim conjugium fuerit felix, in quo mari tus mulieris quadrâ vivere cogitur. De rebus autem necessariis, non superfluis prospiciat conjugi maritus ne eam aut abundantiâ superbam, aut indigentiâ im pudicam faciat. Quare non indulgebit phantasia Uxoris in quovis ab ea desiderato corporis ornatu.

Monitum XVI.

Maritus identidem cogitet, mulierem ex viro fuis se sumptam, eandemque non ex capite ipsius pro diisse, ut viro dominetur, neque ex pedibus, ut ab ipso calcetur, sed ex latere, quæ cordis sedes est, ut eam ex

cor-

orde non secus ac seipsum amet. Permittat itaque
xori imperium, sed restrictum & limitatum.

Monitum XVII.

Quemadmodum Sol stellarum Dominus absque
ercurii societate cursum non perficit; ita & maritus
perium suum non nisi sapientiâ comite exercere de-
t.

Monitum XVIII.

Observatum est à Curiosis, viros fortissimos plerum-
e esse uxorios, suisque uxoribus dominatum per-
ttere. Ejusmodi fuisse Herculem, Themistoclem,
riclem & Spartanos, commemorant Historici. Cu-
rei hanc aliqui allegant causam, quòd Heroes
opter abundantiam sanguinis ac spirituum, sint ar-
ntiores mulierum amatores.

Sed profectò non leviter delinquunt, tum viri, tum
ilieres, si hæ in illos, jugum femineum non excu-
ntes, imperium exerceant: quod vitium erat olim
modum familiare in urbe Romana. Unde Cato
omanus dicere solebat: *Nos omnibus totius orbis ho-
nibus imperamus, & uxores nostræ imperant nobis.*
modum deforme hoc est & contra naturam; quia
or imperitans marito, est corpus sine capite, & cur-
sine auriga ab equis tractus. Atque ideo non ma-
, sed maritelli vocandi sunt, qui sic ab uxoribus tra-
ntur. Cogitent uxores, se coruscare radiis marito-
n, non maritos radiis uxorum:

Solis ergo viris debetur gloria sceptri.

Hæc est via juris, cui multis in locis contraria est
facti: arripientibus passim dominatum mulierculis,
opprobrium sexûs dignioris.

Adducere libet non minùs ridiculum, quam in-
num feminæ viro dominantis exemplum.

Virilis animi femina maritum suum imbellem ac m
riculosum plagis affecerat, quòd unum de pullis ga
linaceis, quos abiens ei servandos commendavera
milvus abstulisset. Quamobrem absente rursus ux
re, ne quem pullum avis rapacissima posset abripe
universos eodem filo colligatos diligentiùs servab
Sed cùm ex improviso irruens milvus unum unguib
correptum auferre conaretur, factum est, ut omn
simul raperet in sublime. Infelix maritus, memor
ob unicum pullum malè à conjuge habitum, lon
graviora formidabat, abreptis omnibus. Quare m
ri, quàm suæ dominatricis mulieris iram denuò exp
riri maluit. Ficus melle & aromatibus optimè cond
tas vasculo illa condiderat: marito, cujus gulam fo
midabat, præmonito, ne quid inde lingeret, propter
quòd præsens illic venenum lateret. Is ad vita
dam uxoris indignationem mori cupiens, ficus ablig
rivit universas. Reversa domum uxor, cùm pull
omnes à milvo abreptos audivisset, virum ut cust
dem negligentissimum fustibus delumbare decrev
jamque fustem manu tenebat: cùm fatuus, ah noli, i
quit, uxor mea, noli me jam moriturum verbera
quandoquidem quantum quantum erat in vascu
veneni, id omne devoravi, ut tanti delicti pœnas ti
persolverem. Hîc mulier in risum effusa stupic
ignovit.

Monitum XIX.

Maritus memor mansuetudinis Christi, qui e
Sponsus animarum nostrarum, non sæviat in conj
gem suam, neque sit *quasi leo in domo sua, evertens d
mesticos suos*, ut loquitur sacer Textus *Eccl.* 4.

Accommodatus ad rem præsentem est muris & le
nis apologus: quorum ille abroso leonis capti laque
in præmium gratitudinis rogavit, ut filiam suam
ux

orem acciperet. Annuit leo, sed nova nupta ad vi-m accedens, cùm eam ipse propter corpusculi par-tatem non observasset sibi obviam procedere, casu ede leonis contrita est. Quam fabulam quotidiana perientia verissimam comprobat, dum non una filia udet se matrimonio copulari cum juvene opulen-, qui postea quasi leo dominatur in domo sua, uxo-m teneram, timidam, mitem, benignam veluti un-e leonino premens, & pessumdans, vix eam respi-re sinit.

Monitum XX.

Rectè Marcus Aurelius Imperator, uxor, inquit, ad-onenda persæpe, reprehendenda raò, violentis mani-us tractanda nunquam: nisi videlicet summa id exi-t necessitas. Imò Chrysostomus *homil.* 28. *ad Corinth.* xtrema, inquit, viri ignominia est, uxorem verbe-re. Et Plutarchus in Catone Censorino ait, uxorem erberans quasi in sanctissima Deorum simulachra anum inferens, à magistratibus est coërcendus. Po-st maritus esse severus, sed non sævus. Imitetur Jo-um & Socratem, qui patienter tulerunt vitia uxorum arum, non crudelem Neronem, qui dilectissimam onjugem Poppæam, quam Octaviæ superinduxe-t, gravidam ictu calcis peremit, quòd ex nocturna rigatione tardiùs domum veniens, ab ea jurgio ex-eptus esset.

Monitum XXI.

Viri prudentes nulla suis uxoribus revelant arcana, uia hoc ipso arcana esse desinunt. Lepidum est, uod de Senatore quodam commemorat Plutarchus, uem cum uxor importunè interrogaret, quid ageretur Senatu (rumor enim erat aliquid agi rei seriæ) nul-imque faceret flagitandi finem: Dicam, inquit, si ossis tacere. Quâ silentium promittente, visa est (ait

Senator) aquila prægrandis transvolare civitate accincta gladio magno. Hoc ostentum quid sibi ve lit, consultatur in Senatu. Videtur enim aliquo grande malum portendi civitati. Hæc Senator: q antequam pervenisset in forum, jam concurrerat po pulus disputans de ostento aquilæ gladio accinctæ. S natui demiranti quid sibi vellet concursus populi, S nator retulit fabulam de uxoris silentio.

Monitum XXII.

Maritus uxoris suæ pulchritudinem ne in pictu quidem ostentet, aut alienis oculis spectandam exh beat. Hinc impudentissimè pariter & stultissimè eg Candaules Rex Lydorum, qui uxorem suam formos simam omnibus prædicabat, eamque nudam soda suo Gygi ostendebat: qui eâ visâ sic exarsit, ut ser cogitaret, quo pacto amore illius potiretur. Uxor æg ferens insanum Candaulis amorem, eum adulte occidendum permisit, cui postea se regnumque tr didit.

Multò prudentior fuit Maritus ille anonymus, q cùm speciosam haberet uxorem, nobilis quidam mi ad domum illius pictorem, à quo forma uxoris del nearetur. At superveniens maritus, pictorem è ve stigio non sine stomacho exturbavit è domo, dice nimis pronum esse, ut post copiam seu ectypon, ipsi etiam originalis & prototypi cupiditas nobilem ince deret, atque uxor etiam sui copiam faceret. *Caspa Ens l. 2. pag. 307. Epidorp.*

Monitum XXIII.

Illustrissimum uxoris ornamentum est modest animique demissio. Quàm rara tam clara est muli humilis nulloque fastu turgescens.

Id probè perspectum habuit teste Avila *epist. 53. a* 2. Vir quidam prudentiâ, divitiis & prosapia ill

stri

is, qui pauperculam duxit è casa rustica & tuguriolo
etitam, non cæco amoris impetu, sed destinato con-
io, ut uxorem haberet, cui non solùm suus in vultu
ecor, sed & in animo virtus atque insignis demissio
set; quam ut intra limites modestæ demissionis con-
neret seros in annos, curavit vestem illius, quâ pri-
ùm suo in rure usa fuerat, vestem inquam rusticanam,
lem, pannosam, detritam, eo loco appendi, un-
e ferè continuò incurreret in oculos uxoris, mone-
tque primæ sortis ac conditionis; ne scilicet in seri-
a toga, in purpura, in auro superbiret, pristinæ pau-
ertatis immemor; sed potiùs in altissima fortuna se-
psam noscens, animum servaret humilem, & viro ob-
equentem.

Monitum XXIV.

Abstineat uxor ab ornatu corporis superfluo & im-
modico, qui non solùm est gangræna rei familiaris,
sed etiam illex pravæ concupiscentiæ.

Matronis luxui vestiario deditis ad imitationem
propono matronam quandam nobilissimam, quæ Anno
1624. non sanguine tantùm & opibus, sed & ingenio
florens, novum vestimenti genus invenit, tantæ con-
cinnitatis & elegantiæ, ut omnium oculos in sui spe-
ctaculum raperet. Mirabantur aliæ feminæ non so-
lùm vestis pretium & artificium, sed etiam felicitatem
ingenii, quæ hoc artificium excogitasset. Palla erant
perquam spatiosa è purpura serica: hanc acu pinxerunt
ex auro tres Phrygiones, qui annum & ampliùs huic
vesti assiduam operam impenderant. Ad cycladem
hanc seu pallam additus thorax, feminæ habilis, ex eo-
dem purpureo serico, aureis filis pictus. Primo aù-
tem die, quo Matrona vestem illam induerat, obser-
vavit nimiùm in se oculos convolare, timuitq; ne aliæ
atq; aliæ novi artificii curiositate ductæ, imitari vel-
lent.

lent. Itaque ne facere cogeretur, quod recusare vi
posset, hortante vehementer conscientiâ, vestem illa
unico die spectatam, & semel exutam, nunquam in
duit ampliùs, sed pio consilio, quod superbiæ fuerat in
strumentum, religiosæ liberalitatis & eleemosynæ or
namentum esse voluit, atq; omnem illum mundũ mu
liebrem S. Mariæ Magdalenæ in templo quodam obtu
lit & sacravit. Porrò ex hac una veste altari frontale se
pallium (vulgò antependium vocant) Sacerdoti sa
crum indumentum, calici velum, libro missali tegu
mentum, sanctissimæ Eucharistiæ amiculum confe
ctum est. *Drexel. Trismegist. l. 3. c. 10.*

Monitum XXV.

Quod inter apes est fucus, hoc inter honestas ma-
tronas est mulier, quæ fuco utitur.

Divus Cyprianus adversùs Matronas, quæ facien
fuco adulterant, Deum ipsum sic loquentem facit
Non metuis, oro, quæ talis es, ne cùm resurrectioni
dies venerit, artifex tuus te non recognoscat, & à sui
præmiis promissisque removeat & excludat, atqu
increpans vigore censoris & Judicis, dicat, opus ho
meum non est, neque imago hæc nostra est. Cutem
falso Medicamine polluisti, crinem adulterino color
mutasti, expugnata est mendacio facies, figura cor-
rupta est, vultus alienus est, Deum videre non pote-
ris, cùm oculi tibi non sint, quos Deus fecit, sed quos
Diabolus infecit. Illum tu sectata es, rutilos atque
depictos serpentis oculos imitata es, de inimico tuo
compta, cum illo pariter arsura. *Hæc D. Cyprianus.*

Monitum XXVI.

Uxorem non oportet esse moribus asperam, sed co-
mem & humanam. Nam mores uxoris suavitate

qua-

uadam conditi, ſunt potentiſſimum maritalis amoris licium, ſunt funiculi charitatis, quibus uxor cor viri ctiſſimè ſibi devincire poteſt. Aſperitas ne quidem nomine uxoris, nedum in moribus à viris æquo nimo toleratur.

Francorum annales referunt, Legatos à Rege Gallæ Philippo I. ad Alphonſum II. Caſtellæ Regem miſos, ut Delphino alterutram ejus filiam jam nubilem epoſcerent. Obtulit Alphonſus primogenitam, formâ præſtantem, Urracam nomine. Perculit Legaos aſperitas nominis, Delphino, ut ajebant, diſplicitua; quærunt itaque de altera, ecquod ei nomen foret? eſpondit Parens, Blancam nuncupari. Placuit nomen Legatis. Urraca, inquiunt, Francis terrori, Blana amori futura eſt. Sed Blanca, inquit Pater, eſt ninùs formoſa: Nomen, inquiunt illi, ſupplebit. Ducta ad ſponſum ſolo nomine placuit, atq; in Reginam adlecta D. Ludovici Galliæ Regis mater effecta eſt.

Monitum XXVII.

Magnum uxoris decus eſt ſilentium & taciturnitas. Non equidem verba prohibentur mulieribus, ſed veroſitas. Ubi uxor eſt loquacula, ibi volant convitiorum jacula. *In quella caſa è poca pace, ove la gallina canta, e' l gallo tace.*

Feſtivum eſt quod ſubjungo, & documentum continet cunctis loquacibus ac litigioſis feminis, ſi uſurpare voluerint, utiliſſimum.

Femina quædam prudenti viro querebatur, maritum ſuum ferè quotidie eſſe ebrium, & omnia ſuſque deque rotare, ac domum miſcere. Querelas benignis auribus vir accipiens, arbitrabatur id quod res erat, inſanam viri crapulam ſolutâ uxoris linguâ mirè ſtimulari. Remedium ergo non modò ſpondens, ſed

etiam in manus trandens: En ajebat, ô bona mulier, hanc tibi in lagenula aquam cape, & ubi maritus tuus benè potus domum venerit, tu hunc ipſum liquorem (erat aqua è proximo fonte hauſta) quàm primùm ſorbe, eumque in ore contine, dum in lecto virum compoſueris. Quantarum ſit virium hæc aqua, res ipſa loquetur: experieris conjugem non multa turbaturum. Dicto audiens fuit mulier, comperitque ſpei ſuæ omnino reſpondiſſe tam arcanæ virtutis pharmacum. Hîc femina ſollicitè quærere, & quæ obſecro hæc aqua eſſet, & quo pretio comparari poſſet; O bona, inquit ille, è proximo fonte illam petere licet ſine ullis impendiis; quod enim liquori tribuiſti, hoc ſilentio tuo adſcribendum eſt. Quiſquis garrulam & contentioſam ſibi ſentit eſſe linguam, emat hanc aquam, eamque ore clauſo contineat. Hoc certè Hebræus ſapiens *Proverb.* 27. appoſitè monet: *Qui dimittit aquam, caput eſt jurgiorum.* Cui congruit illud S. Gregorii *lib.* 5. *Moral. c.* 11. ubi ait: *Aqua dimittitur, cùm linguæ fluxus effunditur.*

Monitum XXVIII.

Prudens & modeſta uxor lunam imitatur. Sicut enim illa cùm abeſt à Sole, lucidiſſima eſt, at ei admota non conſpicitur; ita prudens & benè morata uxor præſente marito graviora negotia, quæque viro ſunt propria, non attingit.

Monitum XXIX.

Cum omnis thori maritalis violatio non modò fœda, ſed etiam admodum periculoſa ſit, tum ſane ea, quæ culpâ uxoris accidit, longè eſt turpiſſima & periculoſiſſima. De quo argumento tragicam commemorat hiſtoriam Gramondus *in lib. hiſt. Gall.* Non longè à civitate Montauban Caſtrum quoddam

inco

ncolebat nobilis Francus, Reynesius nomine, qui
n uxorem duxerat Panatiam venustissimam virginem.
Et ecce quidam Paulinus Vice-Comes in eam exarsit,
quam variis munusculis sibi devinxit: & quò tution
esset accessus, jam formâ hortulani, jam pictoris, jam
liâ in castrum sese penetrabat. Tandem frequenti
Vice-Comitis cum Panatia commercio id effectum
est, ut amor erga conjugem Reynesium in animo Pa-
natiæ penitus refrigesceret: qui rem subodoratus,
omnem movit lapidem, ut Paulinum in flagranti de-
icto deprehenderet. Interea unum ex Ephebis Rey-
nesius pecuniâ corruperat, injuriâ à Domina pridem
effectum; à quo cùm scelus adulterii sæpius cum Paulino
perpetrati intellexisset, simulat se peregrè negotii
causâ proficisci. Uxor illi crocodili lacrymis valedi-
cit, quibus infames ignes contegat. Die insequenti
adest Paulinus cum germano Panatiæ similis farinæ,
jam sine ullo metu fruiturus cupitis amplexibus. Di-
es & Vesper in epulas, nox detestandæ libidini de-
stinatur. Reynesius, qui ante discessum omnia pes-
sula ostiis amoverat, jam certus adulterum intus esse,
armatâ militum manu concubiâ nocte castrum in-
vadit, penetrat in cubile, ubi Paulinus cum conjuge re-
pertus, qui tumultu excitus sclopum arripit, in Rey-
nesium explodit, sed ictu irrito; Paulinus verò va-
riis vulneribus confossus occubuit ante pedes Pana-
tiæ. Frater dum per fenestram fugâ sibi consulere
conatur, à satellitibus infernè collocatis hastâ trajici-
tur. Jam nobilissima fera supererat, infamis adulte-
ra, quæ se subduxerat, & in latrina (sit venia verbo)
absconderat. Inde protracta jam veras lacrymas da-
bat, ruensque in amplexus conjugis, vim ac technas
Paulini exaggerabat, omnemque deinceps fidem per
sacra & profana spondebat. Inserit se medium, ac pro
ma-

matre intercedit filius; qui jam patrem exarmaverat sed dum ab ephebo ad vindictam sceleris incitatur obtruncat uxorem. Cadavera per triduum jacuêr inhumata. Hoc est frui cupitis amplexibus, dum vi in domo non est.

Monitum XXX.

Vidua post mortem viri sui frequenter meminerit illius effati Ambrosiani lib. de viduis prope finem: *Viduitas est Magistra fidei, Magistra castitatis*; & ab hac Magistra discant Jura castimoniæ vidualis servare intemerata. Ad rem præsentem spectat lepida quædam historia, quam subjungo.

Vidua quædam locuples à tribus procis amabatur. Quorum insanum amorem cohibitura, consilio Matronæ & castæ & prudentis usa, talem dolum comminiscitur. Singulos singulis horis ad se venire remotis arbitris jubet. Et cùm vicini sui cadaver in proximi cœmeterii cripta, ubi ossa mortuorum asservantur, in loculo reconditum esset, primo imperat, ut amoris declarandi causâ ipse in loculum, cadavere exempto, ad matutinas usque preces descendat. Eo jussa faciente (quid enim amatore stultiùs?) secundum ad se vocatum Angelicis indutum vestibus, ad loculum custodiendum cum cereo ardente dimittit. Tertius paulò post superveniens, furiali habitu è pheretro mortuum eximere, & ad se deferre jubetur. Qui cùm jussa exequi vellet, assidentem loculo Angelum conspicatus, metu primùm, mox religione motus fugam parabat: verùm amoris stimulo agitatus, Angelum aggreditur, qui se cereo ardente defendit. Is verò, qui in loculo latebat, per rimam Angelum, & diabolum sui causâ concertantes conspicatus, ne forte vivus loco mortui ab utrovis raperetur, è feretro magno impetu prosiliit. Tum duo illi inopinatâ mortui resur-

rectio-

ectione territi, qua data via ruunt, & fugâ discrimini e subducunt. Hoc astu stultos amatores ingeniosa epulit mulier. *Joannes Paulus in Spudopædia.*

Monitum XXXI.

Vidua post excessum mariti è vivis sit accurata & fidelis executrix eorum, quæ à viro ipsi commendata fuêre, neque imitetur viduam illam, de qua lepidum commemorat exemplum Robertus Holcot sacrarum iterarum laudatus interpres.

Fuit (inquit ille *sect. 3. in lib. sapient.*) Maritus quidam non magnarum facultatum, qui cùm mortem sibi imminere persentisceret, & ideo piâ quapiam largitione animam suam expiare vellet, evocatæ ad se uxori dixit, velle se bovem, quem in stabulo aleret, vendi confestim post obitum suum, & illius pretium erogari in pauperes. Annuit sic jubenti viro perversa mulier; at illo extincto fraude est usa, quæ risu an ira dignior fuerit, ut arbiter esto. Bovem, uti promiserat, venalem fecit, sed non solum: felem cum eo sic conjunxit, ut qui bovem emere vellet, idem & felis emptor esse deberet: & hanc quidem auri marcâ, illum verò non nisi nummulo unico mercaretur. Reperit tandem fraudulenta hæc feminæ licitatio emptorem aliquem, qui & bovem & felem sic emit. Tum illa nummulum, bovis pretium, in pauperes pro anima viri erogavit; felis autem pretium, auri scilicet marcam, in suos usus retinuit.

Monitum XXXII.

Ad secunda vota non temerè veniendum est; quia nuptiæ secundæ raró solent esse secundæ, idque duas ob causas. Tum quia amor non est ita magnus in secundo conjugio, ut in primo. Unde dici solet: *Amor in primis nuptiis est aureus in secundis ligneus.* Tum

quia

quia periculum contentionis metuendum eſt, ſi ad ſint liberi; cùm vitricus dici ſoleat pater vitreus, & no verca prioris uxoris liberis eſſe ſoleat infeſta & in juſta.

Sigiſmundus Burgundionum Rex ex priore con jugeſua, filia Theodorici Regis Italiæ, filium habeba Sigericum. Deinde aliam duxit uxorem, quæ Si gerico verè Noverca fuit duriſſima. Solemni igi tur die quapiam, cùm puer videret eam induere veſti menta defunctæ matris ſuæ, novercam illis indignam eſſe dixit. Quid illa? mox viro ſuggerit falsò filium machinari necem patri, ut Regno potiatur. Credidit Sigismundus mendaci feminæ, & puerum vino ſomnoque ſopitum ſtrangulari juſſit. Ita *Baronius ad annum Chriſti 526. num. 44.*

Et quamvis Novercæ plerumq; in vitam privignorum & privignarum non ſoleant graſſari ferro, veneno, laqueo, communiter tamen malevolum in eos animum, & occaſione datâ nociturum circumferunt. Hinc veteres Romani tranſitum ad ſecunda vota vehementer improbabant (neque tamen vitabant, quod improbabant) ſolebantque eam feminam coronâ pudicitiæ honeſtare, quæ uno contenta matrimonio, perpetuâ viduitate incorrupti animi ſinceritatem teſtabatur. Talis fuit Valeria uxor Servii, quæ, cùm à propinquis rogaretur, cur amiſſo marito non nuberet alii, reſpondit, ſibi virum ſemper vivere Servium. Putabat enim ſibi eum vivere virum, quem in animo affectuque geſtabat. Et ſanè conjugium non corporis illecebris, quæ momentaneæ ſunt, ſed animi affectu, qui debet eſſe perpetuus, metiri oportet.

DISCUR-

DISCURSUS TRIGESIMUS SEPTIMUS.

EX OECONOMICA.

De Administratione rei familiaris.

CAPUT I.

Variæ Observationes administrationem rei familiaris concernentes.

Prima.

PRognostica secuturæ pluviæ sunt 1. Fumus per camini gulam spissiùs subvolans. 2. Crebriores atro- coresque morsus pulicum. 3. Muscæ & vespæ equos criùs compungentes. 4. Canes gramina comeden- es. 5. Sal humescens. 6. Puls ad ollam intus adhæres- ens. 7. Mulierum dentes prurientes. 8. Nubes com- lures, uti vellera, ab Oriente sparsæ. 9. Grues silentiò er alta cœli involantes. 10. Boves aërem olfactantes, que contra pilum lambentes. 11. Hirundo lacum rcumvolitans, summissisque alis superficiem aquæ erberans. 12. Ranæ insuetum coaxantes. 13. For- icæ è cavernulis ova efferentes. 14. Corvi & cor- ces crocitantes. 15. Terrestres volucres adversùs quam clangores edentes seseque perfundentes. 16. una crescens obscurior. 17. Sub ortum Solis nigræ ubes, rubentibus intervenientes. 18. Nubes, ante- uam Sol emerserit, rubescentes. 19. Carbo ad ollas blatas adhærens. 20. Coopertus ignis ex se favillam iscutiens, scintillamve projiciens.

Secunda.

Si Sole occidente pluat, aut radii in se nubem tra- ant: aut sub exortum nubes conglobentur, in

proxi-

proximè fecuturum diem afpera tempeftas expectetu
Graves etiam tempeftates minatur, repente, fine nu
bilo caligineque ftellarum fulgor obfufcatus.

Tertia.

Marí tranquillo fonitus, fpumæ difperfæ, aquæ bul
lantes, venturæ tempeftatis indica funt.

Quarta.

Sol pridie ferenus occidens, & poftrídie ferenus ex
oriens, certiffimam ferenitatis fidem facit. Idem dixe
rim de rubefcentibus ad occafum nubibus.

Quinta.

Autumni ferenitatem plerumque hyems ventofa ex
cipit.

Sexta.

Autumnus ficcus & ferenus ver fecuturum mode
ratè calidum denotat.

Septima.

Si folia amygdalorum à floribus fuperentur, fert
litas erit: fin contrà, fequetur fterilitas, & in fegetibu
culmorum palearumque plus, quàm granorum erit.

Octava.

Greges avium nemoribus relictis, agros, villas, ur
bes petentes: graculi turmatim fylvis valedicentes
verni flores & fructus uberiores, quam confueverir
effe: pluviæ diuturnæ; quercûs & ilicis fœcunditas: lo
cuftæ, vermes, erucæ, &c. Hæc omnia futuram an
nonæ difficultatem fignificant.

Nona.

Ruftici folent prognofticon anni defumere ex Ca
lendis Januarii, five ex diebus feptimanæ, in quos il
læ incidunt: putaturque hujus prognoftici aucto
èffe Venerabilis Beda. Res ita fe habet. Si Calend
Januarii incidant in diem Dominicum, hyems er
tran

tranquilla, ver procellosum, æstas sicca, vindemia larga. Si in diem Lunæ, hyems erit mixta, ver bonum, æstas sicca, tempestas turbulenta, vindemia difficilis. Si in diem Martis, hyems erit nubila, ver imbriferum ac procellosum, æstas sicca, vindemia parva. Si in diem Mercurii, hyems dura erit & aspera, ver difficile ac turbulentum, æstas grata, vindemia larga. Si in diem Jovis, hyems erit placida, ver importunum, æstas sicca, vindemia bona. Si in diem Veneris, hyems erit mutabilis, ver bonum, æstas sicca & bona, vindemia copiosa. Si in diem Sabbathinum, hyems erit horrida, ob turbinum sævitiam, ver turbulentum & fruges vitiosæ.

Decima.

Clara dies Vincentii copiosam vindemiam pollicetur.

Undecima.

Clara dies Pauli (conversionis S. Pauli) bona tempora denotat anni. Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæque. Si nix, aut pluvia, tum fient tempora cara.

Duodecima.

Circa diem Purificationis Deiparæ hyems solet esse asperior: & si dies illa sit clara, solet copiosior nix quàm ante decidere, juxta rhythmum:

Sole micante, die purificante,
Nix erit major quàm antè.

Decima tertia.

Si frigus incidat die Cathedræ S. Petri, solet illud durare 14. dies.

Decima quarta.

Aspera si non sævit hyems in mense secundo (hoc

eſt, in Februario) crede mihi in ſancto Paſchate frig
erit.

Decima quinta.

Circa Æquinoctium utrumque Auſtri plerumqu
perflant, circa Solſtitia Aquilones.

Decima ſexta.

Si nix in Martio cadit, ſegetibus eſt periculoſa.

Decima ſeptima.

Uſitatum eſt Colonis, prædicere tot tempeſtate
pluviaſque æſtate oborituras, quot dierum in Marti
nebuloſa fuerit conſtitutio: totque Paſcha conſecu
turas pruinas, & Auguſto menſe effumaturas nebula
quot in Martio rores ceciderunt.

Decima octava.

Noctua in imbre garrula ſerenitatem, ſereno tempo
re tempeſtatem præſagit.

Decima nona.

Cùm ſiccus fuerit, bona tempora denotat anni
Martius, & frugum fertilitate beat.

Vigeſima.

Martius ſiccus, Aprilis humidus, Majus frigidulu
cellas & horrea replent.

Vigeſima prima.

Quemadmodum ceraſa florent, ita judicium ſu
munt, vel potiùs conjecturam capiunt de futuro vi
flore.

Vigeſima ſecunda.

Moro vireſcente nullum vehemens & nocivum fri
gus arboribus & ſegetibus eſt metuendum.

Vigeſima tertia.

Exiſtimant Coloni, frigus in primam diem Maji in
cidens magnopere obeſſe ſegetibus.

Vige

Vigesima quarta.

Sunt, qui sibi persuadeant, si pluerit mense Majo, exiguum fore vini proventum.

Vigesima quinta.

Si fuerit clara dies Urbani, rustici optima quæque sibi de vino pollicentur.

Vigesima sexta.

Ex aëris constitutione, quæ fuerit circa festum S. Medardi, de tota messis tempestate conjectura fieri solet.

Vigesima septima.

Baptistæ fuerit cùm lux pluviosa Joannis
Ingrati messis plena laboris erit.

Vigesima octava.

Cùm calor & pluviæ coëunt æstate frequentes,
Agricolæ tacitâ gaudia mente fovent.

Vigesima nona.

Pluviam incidentem in festum Visitationis Deiparæ 40. alii dies pluviosi subsequuntur.

Trigesima.

Si ante ferias Jacobi Apostoli triduana fuerit serenitas, frumenta bonitatem retinebunt: sin minùs, fient ...ida.

Trigesima prima.

Maximam ubertatem sequitur plerumque sterilitas; exhaustæ sunt enim agrorum & arborum vires.

Trigesima secunda.

Assumptio MARIÆ clara promittit suavia vina.

Trigesima tertia.

Bartholomæus est primus Sanctus Autumnalis, cujus dies si clara fuerit, subsequetur bonus Autumnus.

Trigesima quarta.

Si clara fuerit dies Ægidii, quâ Cervi libidinis æstu agitari incipiunt, venatores integrum illum mensem serenum enuntiant, & eousque, donec cervi venerem dimiserint. Aliquando cervi tardiùs ad libidinem excitantur: quod hyemis tardioris est indicium.

Trigesima quinta.

Grues migrantes clangore suo hyemis initium designant.

Trigesima sexta.

Aucupium mense Septembri est felicissimum, nisi æstas pluviosa fuerit. Tum enim pulli avium in nidis suffocantur mole imbrium.

Trigesima septima.

Si mense Octobri arboribus folia non deciderint, perfrigida hyems subeunda erit, aut frequentes erunt postmodum erucæ.

Trigesima octava.

Quando in sylvis est bona saginatio, & proventus glandium uberior, multæ nives hyemsque aspera futura existimatur. Multæ autem nives fœcundam messem prænunciant.

Trigesima nona.

Mense Novembri inspice æsculum: si lignum inveneris siccum, hyemem tepidam; si humidum, algidam fore puta.

Quadragesima.

Si dies Martini fuerit nubilus, turbida sequetur hyems: si verò frigida, erit hyems sicca.

Quadragesima prima.

Os pectoris anseris circa diem Martini album significat nives: nigrum pluvias.

Qua-

Quadragesima secunda.

Porcelli, qui educuntur in lucem mense Novembri (uti & vituli circa festum S. Jacobi) rarò ad maturitatem perveniunt, aut educantur, propter instans frigus & gramen marcescens.

Quadragesimâ tertia.

Natalis Christi mitis dat Pascha nivale.

Quadragesima quarta.

Si Natalis Christi venerit Lunâ incrementum capiente, annus optabilis promittitur: si decrescente, inimicus.

Quadragesima quinta.

Si ligna cædas duobus diebus anni postremis, & primo Januarii, novâ Lunâ, non sentient cariem, & magis magisque vetustate durescent.

Quadragesima sexta.

Fridericus III. Elector Saxoniæ, de numero hybernarum nivium conjectare fuit solitus ex numero dierum, qui à prima nive ad proximum superessent novilunium: idque ex vetustis, & sæpè comprobatis attentorum venatorum annotationibus.

Quæ hactenus allatæ sunt observationes, etsi non certis & infallibilibus rationum momentis firmentur, sed experientiis tantùm, iisque non semper evenientibus nitantur, suo tamen non carent usu, poteruntque Oeconomo ad rei familiaris administrationẽ deservire.

CAPUT II.

Dictamina & Præcepta practica ad Oeconomiam pertinentia.

Primum.

MEnse Januario diffundenda sunt vina, & frumenta vertenda in lacunaribus.

Secundum.

Scrofam Menſe Januario aut Februario verri ſub mitte, ut in Aprili aut Majo pariat, cùm & tellus jan herbeſcat, & lacti ſit firmior maturitas.

Tertium.

Menſe Februario paranda eſt farina; hæc enim mul to tempore conſervari poteſt.

Quartum.

Menſe Februario lupulus terræ commendandus & tempore Paſchatis fuſtibus alligandus eſt.

Quintum.

Menſe Februario ſtercorandi agri, ligna cædend ſentes recidendæ ſunt.

Sextum.

Menſe Martio transplanta arbores tempore ſeren & ſicco, Lunâ decreſcente: & ita transplanta, ut a quam priùs collocatæ erant partem, eam ipſam dein ceps retineant, juxta illud Virgilii 2. *Georg.*

Quin etiam cœli regionem in corticeſignant,
Ut quo quæque modo ſteterit, quâ parte calores
Auſtrinos tulerit, quâ terga obverterit axi,
Reſtituant -------

Septimum.

Si ramis onuſtæ ſint arbores, eos menſe Martio r ſeca.

Octavum.

Cùm arbores tranſponis, lapides in ſuperficie ter remove. Nam æſtate adurunt à Sole calefacti, & hy me refrigerant: contrario planè modo iis, qui in fund exiſtunt, aut in ſcrobibus collocantur. Hi enim ſtate refrigerant, hyeme calefaciunt.

No

Nonum.

Arbori laboranti veteris vini fæces aquæ miſtas aſ-
[f]unde: urinamque hominis aliquot menſibus vetera-
[t]am adde.

Decimum.

Salices Lunâ creſcente plantandæ, decreſcente am-
[p]utandæ.

Undecimum.

Sere omnia creſcente Lunâ in Piſcibus, Cancro &
[V]irgine, diebus tepidis, non frigidis: nam tepor pro-
[d]ucit, frigus enecat.

Duodecimum.

Quæ vitio carere cupis, interlunio lege.

Decimum tertium.

Omnia quæ cæduntur, carpuntur, conduntur, in-
[n]ocentiùs decreſcente Lunâ fiunt, quàm creſcente.

Decimum quartum.

Abietes, pineæ & piceæ è ſemine projecto germi-
[n]ant felicius, & citiùs, quàm quæ transponuntur. Id
[c]ontrà fit in malis & pyris.

Decimum quintum.

Menſe Martio ſere hordeum & avenam. Sed con-
[s]uetudo loci & qualitas ubertaſque ſoli in ſationibus
[a]c plantationibus eſt obſervanda.

Decimum ſextum.

Sciat Oeconomus, ſemen optimum eſſe anniculum;
[b]imum deterius, trimum peſſimum; quod ultrà eſt,
[s]terile. Cæterum illud inter bona cenſetur optimum,
[q]uod eſt graviſſimum.

Decimum ſeptimum.

In Martio ſerenda piſa, cæpæ, petroſelinum & reli-
[q]ua ſemina ac olera.

Decimum octavum.

Mense Martio rosas, frutices, & herbas in hortis transpone.

Decimum nonum.

Accipitres omnis generis circa finem mensis Martii cape, & usibus tuis educa, hoc est, aucupiis assuefacito.

Vigesimum.

Ab æquinoctio verno statuitur commodum tempus admissuræ equorum. Ita enim pulli undenis mensibus in utero materno gestati, duodecimo, vernante tempore gignuntur & in lucem eduntur.

Vigesimum primum.

Castrandi sunt sues bimestres verno & autumnali tempore: ut videlicet neque à frigore, neque ab æstu ipsis periculum creetur.

Vigesimum secundum.

Ova incubantibus gallinis supponenda sunt lunâ crescente.

Vigesimum tertium.

Si quæ vis mandare semina terræ, plantare herbas vel frutices, transponere arbores, inserere surculos, amputare frondes & ramos, ac si quid præterea ad diligentem hortorum culturam pertinet, illud omne fieri debet Mense Martio, Aprili & in principo Maji, in Septembri item & Octobri. Quam autem conserere volumus terram tempore verno, eam præparare ac fodere oportet in autumno, & vice versâ. Si enim terra ista utrimque bene percocta, tum æstivo solis calore, tum hyberno frigore, votis agricolæ optime respondet.

Vigesimum quartum.

Mense Aprili seratur hordeum & avena, si mense præterito non licuit.

Vige-

Vigeſimum quintum.

Menſe Aprili ſis memor hujus versûs Oeconomici:

Sparge fimum pinguem & multâ memor occule terrâ.

Vigeſimum ſextum.

In Aprili apes alveariis ſuis exire ſolent. Quare mella ipſis danda ſunt.

Vigeſimum ſeptimum.

Agni caſtrandi ſunt ante feſtum Paſchatis. Saltem ita uſu & conſuetudine receptum eſt.

Vigeſimum octavum.

Menſe Aprili caſtrato boves, ut aratro ſint aptiores, & utiliter ſaginari poſſint. Saginantur autem & pingueſcunt tum bonitate pabuli, tum lotione calidæ aquæ.

Vigeſimum nonum.

Menſe Aprili ſere cannabim, linum, cucurbitas & id genus alia. Eodem tempore ſalices reſeca & terræ commenda. Cæterùm quarto quolibet anno hæc arbor cædi ſolet.

Trigeſimum.

Menſe Aprili anguillas, cùm alni folia producunt, in ciſtis cape. Sturionem verò ab hoc menſe uſque ad Junium cape.

Trigeſimum primum.

Anſeres depluma tribus vicibus: Menſe Aprili, deinde in æſtate, ultimò in autumno.

Trigeſimum ſecundum.

Apiaria vetera menſe Aprili purganda ſunt.

Trigeſimum tertium.

Circa tempora Paſchatis, Lunâ decreſcente caſtrandi ſunt verres, hœdi, arietes &c.

Trigesimum quartum.

Mense Majo equus equæ admittitur. Eodem tempore fit admissura in genere boum. Ita enim vaccæ, cùm decem menses fœtum gerant, parient quando virebunt gramine campi, & pabula grata subministrari poterunt.

Trigesimum quintum.

Circa initium Maji prima ovium tonsura inchoanda est: in qua tamen optimum est, cœli temperaturam observare; ne aut frigore lædantur tonsæ aut intonsæ calore.

Trigesimum sextum.

Circa finem mensis Maji sere raphanos, carduos altiles, & rapas: quarum satio & Augusto mense non est incommoda.

Trigesimum septimum.

Cùm arundines piscinis valdè inimicæ sint, dabit operam bonus Oeconomus, ut solstitio æstivo sub aquis falce incidantur. Alioqui in usum tectorum rusticorum tempore hyberno supra glaciem demetendæ erunt.

Trigesimum octavum.

Circa festum Corporis Christi volitant examina apum, quæ circa illud tempus ab Oeconomo observanda sunt. Horâ octavâ ante meridiem usque ad tertiam aut quartam post meridiem emittunt examina; idque durat quinque septimanis.

Trigesimum nonum.

Circa festum Assumptionis B. Virginis mella apibus demenda sunt.

Quadragesimum.

Galli gallinacei mense Augusto commodissimè castrantur.

Qua-

Quadragesimum primum.

Ova mense Augusto gallinis ne supponas. Frigus enim pullos, qui serò nimis prodeunt, enecat. Optima fœtura est ante vernum Æquinoctium.

Quadragesimum secundum.

Ova mense Augusto, decrescente Lunâ colligantur & serventur; nam servata durabunt.

Quadragesimum tertium.

Circa medium Septembris Lunâ decrescente, & infra horizontem versante cedantur ligna; sic enim cæsa durabunt.

Quadragesimum quartum.

Si voles anni futuri statum præscire, circa festum S. Michaëlis glandem apertam inspicito. Quòd si araneolum intus inveneris, infelix omen, quia infelix annus erit: si vermiculum, gratum omen, quia bonus annus & ferax erit: si nihil, lues per corpora grassabitur. *Hoc est prognosticon rusticum.* Cui addo aliud non absimile: Si in globulis gallarum reperiantur vermiculi, ubertas frugum promittitur; si muscæ, bella portenduntur; Si aranei, pestis significatur. Quod prognosticum hoc nititur fundamento, quòd vermiculi ex putrefactione nati designent constitutionem cœli calidam & humidam, quæ fœcundat terram; Muscæ verò urentem cœli siccitatem arguant, quâ inflammantur corpora, & velut ustulata implentur fervidis acribusq; humoribus; Aranei denique ex venenata, contagiosa atque impura putredine nascantur, quæ solet gignere pestilentes febres.

Quadragesimum quintum.

Mense Septembri lunâ decrescente transpone quercus, malos, pyros, & similes arbores frugiferas, radicique earum vinum adhibe. Surculos superfluos ab arbo-

arboribus reſeca, cùm plus habeant menſe Septembri, quàm Martio humiditatis.

Quadrageſimum ſextum.

Octiduum circa feſtum S. Michaelis eſt optimum pro ſatione hyemali tempus. Obſervetur autem hæc regula Plinii: *Sementis feſtinata ſæpe, ſerotina ſemper decipit.*

Quadrageſimum ſeptimum.

Poma & pyra collige ſereno cœlo, & poſt meridiem, nec ante 16. Lunæ.

Quadrageſimum octavum.

Uvas lege tempore ſicco: aliàs vinum fit aquoſum. Sed muſtum Lunâ ſub terra exiſtente conficito.

Quadrageſimum nonum.

Menſe Octobri arbores tranſplantentur, ſerantur & amputentur: arietes ovibus, & hirci capris admittantur; ut fœtus fundant tempore verno.

Quinquageſimum.

Prudentes Oeconomi porcos ſaginatos tempeſtivè mactant aut vendunt: nam plerumque poſt ſaginationem moriuntur.

Quinquageſimum primum.

Circa feſtum Nativitatis Chriſti arbores optimè tranſponuntur; tum enim Natura circa inferiora magis operatur, ſicuti verno tempore circa ſuperiora. Hinc arbores tranſpoſitæ Martio & Aprili minùs firmi ſunt roboris, quàm quæ in Decembri tranſpoſitæ fuêre.

Quinquageſimum ſecundum.

Menſe Decembri magna copia farinæ paretur, & ex ea multi panes, obſeſſis aut navigantibus in Oceano deſervituri pinſantur; hujuſmodi enim panes ſeptem menſibus conſervari poſſunt.

Quin-

Quinquagesimum tertium.

Mense Decembri stercora agros. Nam sic
Absorbet liquidâ cum nive terra fimum.

Quinquagesimum quartum.

Mense Decembri cædenda sunt ligna; tum pro culina & focis, tum etiam pro ædificiis defervitura; illa quidem lunâ crescente, hæc verò decrescente.

DISCURSUS TRIGESIMUS OCTAVUS.

EX MEDICINA.

De Rebus ad sanitatem corporis spectantibus.

PRÆFATIUNCULA.

MEdicina est ars bene curandi valetudinem corporis, præsertim humani. Ejus variæ sunt species. 1. Physiologica, quæ versatur circa media sanitatis naturalia. 2. Diætetica, quæ differit de mediis sanitatis non naturalibus. 3. Semeiotica, quæ agit de signis Medicis. 4. Pharmaceutica, quæ est doctrina de Medicamentis. 5. Hygiastica, quæ tractat de modo sanitatem conservandi. 6. Prophylactica, quâ sanitas in morbos prona erigitur. 7. Terapeutica, qua sanitas amissa restituitur. 8. Chirurgica, quæ medicâ & artificiosâ manu morbos externos ab homine depellit.

CAPUT I.

Medicè, hoc est, modicè, sive sobriè ac temperanter vivendum esse.

VUlgò jactari solet: *Medicè vivere est miserè vivere.* At hoc non hominum sapientum, sed desipientis plebeculæ diverbium est. Etenim vita *Medica*, sive

ſive *Modica* & ſuperfluitatem excludens, eſt vita ſana deliciosa, ægritudinis expers, ac diuturna, ac proinde fortunata, & votis omnibus expetenda eſt.

Huc pertinet narratiuncula quædam non illepida, de quodam natione Vaſcone, peregrè iter faciente. Hunc ſerus veſper fatigatum ad tabernam inopem deduxit. Appoſita eſt cœnula hoſpiti, ſed omni ex parte olitoria, ex meris herbis compoſita: cui quidem vinum additum, ſed dilutiſſimum; & à quo nulla ſanè intemperies cerebro metuenda eſſet. Ita cibus, panis, potus, omnia quàm parciſſimè ſubminiſtrata. Ubi finem habuit hæc cœna, quæ penè principio caruit, ingenioſus diverſitor cauponem ad ſe accerſens: Obſecro te, inquit, Medicum mihi voca. Mox caupo: Ecquid malum, inquit, in agreſti viculo poſcis medicum; hoc genus hominum nobis hîc ignotum. Cui ſubridens hoſpes: Num ô bone teipſum ignoras; cœnam mihi planè medicam appoſuiſti; agnoſco valetudini eâ in re inſigniter conſultum: ut igitur merces operæ reſpondeat, cape Medici, non cauponis pretium.

Menſa *modica*, menſa *medica:* Menſa parca & ſobria, medicina omnium præſtantiſſima. Quâ in re nonnunquam pecudes plus quàm homines ſapiunt. Serpens, cùm ſenectus gravior obrepit, ut vetuſtam pellem exuat, diebus pluribus jejunat. Leo & lupus nimiùm ſaturi, ut morbum caveant, *medicè* ſeu *modicè* vivunt, & vix quidquam guſtant. Ita vel à brutis animantibus humana eruditur gula.

CAPUT II.

Quæ ſint bonæ valetudinis fundamenta?

SI quis compendio noſſe cupiat prima valetudinis fundamenta, tres maximè præceptiunculas obſervat.

Prima eſt, omne genus pomi fugere.

Se-

Secunda, corporis motum non negligere, & quotidie unam horam minimùm (quod Alexander Severus fecit) obambulare.

Tertia, vinum cibarium probè dilutum, ſimulque moderatum victum, tutiſſimum ſanitatis cuſtodem, magni facere.

Præceptionem hanc triplicem Poëſis priſca hoc triplici verſiculo complexa eſt.

Ut tibi non malè ſit, fuge quidquid in arbore creſcit,
Servares vires, ſi rura frequenter obires,
Bacchus amet Glaucum, victum quoq; ſumito paucũ.

Huc ſpectat, quod teſtatur Palladius *cap.* 113. apud Rosweidum *p.*770. de Philoromo Presbytero, eum triginta duobus annis nullos fructus attigiſſe. Sed & Galenus Medicorum Princeps ſapienter & utiliter abſtinuit à fructibus.

His tribus valetudinis fundamentis adjungo tria alia ſaluberrima monita, prioribus non abſimilia, quæ ad tuendam ſanitatem Germani veteres ſapienti diverbio tradiderunt.

Primum monitum. Vis ſanus permanere? horis omnibus exercere.

Secundum monitum. Curſum canis non æmulare.

Tertium monitum. Modico cibo utere.

Primo monito docemur corpus habere exercitatum, ſi velimus habere ſanum.

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus.
Ut capiant vitium, ni moveantur aquæ.

Aſſiduè ſedere, libris aut lecto ſemper inhærere, cubiculo nunquam exire, valetudinem tacitè corrumpit.

Alterum monitum innuit, ut corporis exercitium ut ſanum, non debere eſſe violentum. Ambulare, equitare, navigare, labores aſſumere, etiam currere con-

conducit, sed usque dum incipiat sudor erumpere, no[n] tamen ubertim fluere. Nam Medicorum Senatus ex ercitia violenta improbat, tanquam minùs salu bria.

Tertium suadet temperantiam in cibo; nam sanita tis mater est abstinentia.

CAPUT III.

Consuetudo, quæ in regimine sanitatis vel illauda bilis, vel minus laudabilis est, nonnunquam tolerari potest.

Cùm consuetudo inveterata sit acquisititia quædam natura, quæ ingenitæ nostræ naturæ per continuum usum facta est familiaris: prudentis erit, eam nonnun quam, velut minus malum, tolerare. Satius enim e[st] consueta retinere, quàm insueta cum periculo adh[i]bere. Unde Hippocrates aphorismo 50. ait: *Quæ e[x] longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sint, insuet[is] tamen minùs molestare solent.*

CAPUT IV.

Vita sessilis non caret suis commoditatibus: debe[t] tamen exercitiis corporalibus interpolari.

Vitam sessilem suas habere commoditates, exem plo suo comprobant damnati ad triremes, qui so lent esse pingui, & velut bene habito corpore.

Ratio est, quia sessilis vita stomachum aliquo mod[o] supportat, quem vita stataria & crebri incessus pens[i] lem faciunt. Accedit etiam in remigantibus frequen[s] exercitium corporis, quod homines facit robusto[s] maximè si sessio conjuncta fuerit. Unde ad prolon gandam vitam ea proderit deligere exercitia, quæ a[r] tus magis, quàm stomachum aut abdomen moven[t],

cuju

cujusmodi sunt sedendo remigare, aut serram reciprocare.

CAPUT V.

Quanti ad sanitatem tuendam momenti sit exercitatio corporis?

GAlenus *lib. 1. de tuenda valetudine* ait cunctos homines ad Musicam atque Gymnasticam seu exercitationem corporis propensos nasci, nec quidquam reperiri, quod corpus animumque magis componere, & d bonam frugem inducere queat, quàm prædicta duo.

Unde etiam exercitationis utilitas elucescit. Illa nim in corpore sano bonum habitum generare, eumue tanquam sanitatis vel partem, vel causam conserantem retinere conatur. Certè Galenus infinitos rope imbecilles ad bonum habitum se revocasse, & numeros item alios, ne in morbos laberentur, solâ rporis exercitatione se conservásse gloriatur.

Galeno adstipulátur Quercetanus nobilis Medicus *2. diætetici historici c.11.* ubi sic scribit: Inter alias maxiè utiles, summèque necessarias vias ac rationes, ad imani corporis integram sanamque constitutionem nservandam, plurimósque ejusdem languores & firmitates præcavendas ac propulsandas, in quas às homo ex nimio otio & quiete facilè præcipitarer, exercitium primum sibi locum jure vendicat. Est im illum nostri caloris innati verum fomentum, & liginosarum superfluitatum in corporibus reduntium, aptum remedium: omnis plethoræ seu plenidinis inducendæ obstaculum ac impedimentum; agiatis ac promptitudinis corporis comparandæ inamentum: nervorum & juncturarum corroboranrum idoneum & oportunum auxilium: nec non æcipua ac primaria causa apertionis pororum

ac meatuum, per quos fuliginosa illa & superflua san
guinis & spirituum, qui aliàs vitæ nostræ fomites ac su
stentacula sunt, materia foras propellitur ac dissipatu
Unde fit, ut singulæ corporis facultates corroboren
tur & instaurentur: omnium sensuum, tam interio
rum, quàm exteriorum actiones promptiùs & rectiù
perficiantur: liberior fiat pulmonum inspiratio & re
spiratio: cordis robur ac vigor restituatur: parte
quoque nutritioni deservientes meliùs concoquan
digerant & assimilent alimenta eorumque excretio
nem citiùs absolvant.

Porrò exercitium corporis oportet esse modera
tum; si enim fuerit immoderatum, laborque nimius
citò adducet senectutem & mortem. Licet enim mo
derata quædam & oportuno tempore suscepta exe
citatio ad sanitatem vitamque conservandam mul
tùm conferat, dum & nativum calorem excitat, & ex
crementa secernit & purgat, atque meatus corpori
viasque aperit, quibus corpus perspiret, noxii humore
& excrementa pellantur, atque alimentum per parte
corporis faciliùs distribuatur: immoderatus tame
& nimius labor siccat corpora, tum nimiâ humectan
tis spiritûs consumptione, tum calore illo, qui ossium
musculorum & membrorum omnium motu & con
fricatione excitatur; quo fit, ut post labores hu
morem consumptum & membra omnia penè ex
hausta sentiamus.

CAPUT VI.

Regulæ quædam in exercitatione corporis obser- vandæ.

R*Egula prima.* Corpora sana, quoniam quotidi
comedunt atque nutriuntur, necessariò multa ex
crementa generant: quæ proinde continuò à corpo
pe

per exercitationem educenda ſunt; quia aliàs pravas diſpoſitiones generant.

Regula ſecunda. Pingues & obeſi, quantò magis exercentur, tantò proſperiore utuntur ſanitate. Et licet exercitationes ſint vehementes & acutæ, nihil tamen nocebunt. Contrà graciles in conſummata ferè quiete detineri poſtulant.

Regula tertia. Qui inter pingues & graciles ſunt intermedii, hoc eſt, quadrati, vel qui parum ad alteram partem declinant, ſi mediocriter, aut etiam vehementer, modò non immodicè exerceantur, utilitatem inſignem percipiunt.

Regula quarta. Qui parum comedunt, parum exerceantur: uti & illi, qui multum vigilant; contrà qui multùm comedunt, & multum vel profundè dormiunt, multùm exerceri debent.

Regula quinta. Qui ſicci ſunt, vel nihil omnino, vel lentè, & minimè laborioſè exerceantur. Calidi quoque, & præſertim acri mordacique calore præditi, exercitationes modicas requirunt.

Regula ſexta. Corpora frigida vehementer exercenda ſunt, uti & corpora humida; utraque enim excrementis abundant.

Regula ſeptima. Quæcunque corpora calida ſimul & ſicca ſunt, nullo modo exerceri convenit; quæ verò calida ſunt & humida, exercitationem admittunt, at moderatam, non vehementem, nec citatam.

Regula octava. Corpora frigida & ſicca ratione frigiditatis exercenda ſunt: ratione autem ſiccitatis, neque celeres, neque validos requirunt motus, ſed moderatos & potiùs lentos.

Regula nona. Corpora frigida & humida omnium maximè exercitationibus vehementibus & velocibus juvantur; quippe quæ ſupervacaneam humiditatem

absumunt, & calorem nativum excitant, atque augent.

Regula decima. Homines convalescentes à morbo, inter cætera remedia ad recuperandam ex integro sanitatem pristinam accommodata, utantur præcipuè exercitatione corporali. Per hanc enim membra firmantur, humorum reliquiæ absumuntur, calor nativus excitatur, & denique totus corporis habitus restituitur. Magnopere tamen providendum est, ut à principio lenes, tardi ac remissi motus existant: deinceps pro augmento virium augeri poterunt exercitia.

Regula undecima. Senibus magnum afferunt emolumentum corporalia exercitia; quia ipsorum ætas plurimam, ob caloris defectum, excrementorum copiam coacervat. Habenda est tamen ratio virium, quæ cùm in senibus imbecilles sint, mitiores & moderatiores deposcunt exercitationes. Cæterùm sunt quædam corporum senilium vitia, quæ quasdam exercitationes respuunt: verb. grat. vertigo, morbus comitialis, gravis ophthalmia, auditûs imbecillitas, respuunt exercitationes caput offendentes.

Regula duodecima. Locum, in quo fit exercitatio, ab optimis ventis perspiratum, & à pravis obtectum esse oportet. Unde ad septentrionem & orientem sita loca cæteris aliter sitis præferuntur.

Regula decima tertia. Locus, in quo fit exercitium, sit apertus, non conclusus, nec opacus, quoniam ubi liberior existit aër, minusque constipatus, corpora in ipso exercitata redduntur agiliora & vividiora, quàm si in crasso, denso & concluso exercerentur.

Regula decima quarta. Providendum est, ne à finitimis locis ad locum exercitationis ulla labes emanare queat, quæ aërem inficiens, mox corpora exercitata, spongiæ instar quidvis recipientia, labefactet. Talia

so-

ſolent eſſe loca illa, quæ prope paludes: ſtagna, ſpecus, cloacas ſita ſunt. Itaq; exercitationes omnes fieri debent in loco ſalubri & aëre puro, ut bene Aëtius *lib.* 3. *cap.* 17.

Regula decima quinta. Si quando cogantur homines ſeſe in loco à ſole percuſſo exercere, magnopere cavere debent, ne unquam ſedeant vel quieſcant: ſiquidem Ariſtoteles ſcriptum reliquit in *Problem.* qui ſe exercent ſub ſole, illos magis uri dum ſedent, quàm dum moventur; quoniam cùm in motu ſunt, aërem agitant, quaſiq; ſpiritu ventilantur: cùm verò ſedent, quia aër immotus permanet, vim ſolis acriorem experiuntur.

Regula decima ſexta. Corporibus ad aliquam intemperiem declinantibus, eligantur in exercendo locus, & tempus intemperiei contraria. Sic frigida corpora exerceantur tempore calido, ut æſtate: calida frigido, ut hyeme: humida ſicco, & ſicca humido.

Regula decima ſeptima. Corpora moderata tempore temperato exerceri poſtulant, nempe verno.

Regula decima octava. Exercitatio tempore verno, hyberno & frigido ſit major, quàm æſtivo, autumnali & calido. Calor enim in æſtate eſt in corporibus hominum languidior, quàm in hyeme. Itaque tempore æſtivo plura colliguntur in corpore excrementa ſuccedente poſtea hyeme per competentem exercitationem expellenda ſunt.

Regula decima nona. Manè ante cibum à quibuslibet ſanis uſurpanda eſt exercitatio. Nam quando hæc cibos præcedit, duplex, ac utraque inſignis ſuccedit utilitas: altera, quòd calor nativus excitetur, augeatur, & ad futuram concoctionem perbellè præparetur: altera, quòd ſuccos utiles in univerſum corpus, prout à natura deſtinati ſunt, optimè diſtribuat & ex-

excrementis faciliorem exitum præbeat. Ex adverso si post cibum quis exerceatur, non solùm universi corporis habitui innumeræ cruditates ingeruntur, sed etiam universalis succorum concoctio impeditur. Exiguum tamen à cibo motum probant Sapientes, quòd ille ventriculum magis accommodet, præsertim quando mox dormiendum est.

Regula vigesima. Nullus exercitationem incipiat, nisi priùs excrementa per nares, os, alvum & vesicam expulerit, cibusque hesternus apprimè concoctus sit; quia aliàs crudis humoribus variisque recrementis corpus replebitur. Cognoscetur autem cibum jam concoctum esse, tum ex eructationibus, tum ex urinis; quæ dum albidiores sunt, abstinendum à motu demonstrant; dum verò ex albidis flaviores evaserunt, jam tempus exercitii suscipiendi adesse demonstrant.

Regula vigesima prima. Stomacho immodicè vacuo, ac planè esuriente, exercitatio ne suscipiatur; nam aliàs cibus ingestus, necdum à stomacho concoctus, à membris valde famelicis avidè nimis rapietur; ex quo cruditates & obstructiones plurimæ orientur.

Regula vigesima secunda. Ne statim post exercitationem cibus assumatur, sed aliqua interponatur mora, quousque agitatio corporis jam sedata appareat.

Regula vigesima tertia. Tempore verno eligatur pro exercitio corporali hora meridiana, quando aëris status moderatior existit: æstate matutina; ut diei æstus, quantum fieri potest, evitetur: autumno & hyeme, vespertina; quia cùm dies tunc sit brevior, cibus manè sumptus non potest nisi vespere concoctus esse: quam ad rem plurimùm conducit exercitatio. In universum tamen nulla est oportunior hora, quàm matutina, paulò ante cibi sumptionem. Tunc enim cor-

corpora sunt leviora, & ab excrementis magis libera, magisque ob somnium prævium valida.

Regula vigesima quarta. In exercitatione corporis omnes illæ temporum constitutiones evitandæ, in quibus venti vehementissimi & pessimi spirant: cujusmodi sunt australes & aquilonares plurimi.

Regula vigesima quinta. In omni exercitatione corporis memento moderationis & aureæ mediocritatis. Immodica enim exercitatio omnibus nocet: pueris quidem, adimendo illis incrementum, & membra eorum colliquando: viris verò, inæquales temperies in eis gignendo: senibus denique, immodicam lassitudinem, siccitatemque ipsis afferendo. Porrò immodicæ exercitationis signa sunt, si universum corpus præcalidum & aridum ac inæquale appareat: si labor coactè & non spontè dimittatur: si post sudorem pallor succedat: si denique insolita & valde molesta lassitudo sentiatur.

Regula vigesima sexta. Exercitatio deambulationis melior est sub dio, quàm in porticu: melior in sole, quàm in umbra: melior in umbra, quam parietes aut viridaria efficiunt, quàm quæ tecto subest: melior recta, quàm flexuosa, ut Celsus observat *lib.* 1. *de Remed. cap.* 2.

Regula vigesima septima. Exercitio peracto, non oportet se statim quieti tradere, sed vehementiam motûs pedetentim remittere: neque statim cibum capere, sed expectare, donec illa corporis perturbatio & quasi fluctuatio, & æstuatio ab exercitatione orta, penitus cessaverit.

CAPUT VII.

An frictio corpori conducat, & quo tempore modove instituenda sit?

AD primum respondeo, frictionem humano corpori percommodam esse; atque inter alios effectus hunc etiam illi competere, quòd partes corporis reddat magis carnosas & plenas. Ratio est, quia plus spirituum & sanguinis ad partes illas attrahitur, alimentum quoque in exteriores illas partes validius elicitur, pororum relaxatio faciliorem spiritibus, sanguini & alimento viam præbet, inutilis & excrementitius humor in carne hærens digeritur ac dissipatur: quæ omnia sunt assimilationis alimenti cum alito adjumenta. Imo frictiones magis replent & impinguant corpus, quàm exercitia. Ratio est, quia frictio tantùm externas partes commovet, internis autem indulget quietem, quas exercitatio sæpe nimiùm agitat. Eadem est ratio, cur remiges plerumque pingues & carnosi sint quia scilicet membra eorum exteriora magis in motu sunt, quàm partes internæ.

Ad secundum respondeo, frictionem matutino potissimum tempore usurpandam esse, post communium superfluitatum excretionem. Potest etiam aliquando adhiberi vesperi ante cœnam.

Ad tertium respondeo, fricandum corpus linteo, primùm blandiùs, deinde sensim, paulò fortiùs, donec corpus incalescat, & rubore suffundatur.

Ut ea, quæ de fricatione dicta sunt, meliùs intelligantur, notandum est, frictionis differentias præcipuas sumi à qualitate & quantitate. Ratione qualitatis frictio est dura, mollis, vel media: ratione quantitatis est multa, pauca, vel mediocris.

Fri-

Frictio dura corpus indurat, cogit, densat; mollis contrà emollit, laxat, solvit: media mediam rationem obtinet. Frictio multa carnem minuit, dissolvit, & gracilitatem inducit. Frictio pauca in eadem quantitate corpus relinquit; mediocris carnem auget; ita quidem, ut frictio dura mediocris carnem duram augeat, mollis mediocris carnem mollem augeat multa dura carnem minuat & induret.

CAPUT VIII.

Quòd Somnus immoderatior vehementer obsit valetudini.

RAtio hujus asserti est, quia postquam per justum somni tempus, quod est septem horarum (majori nim spatio illud non esse definiendum censent Medii) alimentarii & benigni halitus soporiferi absumpti unt, necesse est, ut si homo diutius indulgeat somno, nagna copia impuriorum & excrementitiorum halituum in cerebro accumuletur, & spiritus animales conaminentur. His autem sensuum instrumentis læsis, tiam ipsi sensus valde debilitantur, & nominatim menoria: varii denique morbi, tum in cerebro, tum in ervis, tum in aliis corporis partibus gignuntur.

CAPUT IX.

Utrum noceat Somnus ad radios Lunæ?

NOn expedit somnum capere ad radios Lunæ, quia per hoc caput infestatur. Nam Luna nimis hunectat cerebrum, & humores ex toto corpore attrait. Jam verò ad somnum placidum requiritur vapor enignus & roridus, qualis oritur ex alimento rectè ercocto.

CAPUT X.

An expediat Somnum capere ſupino corpore, incumbendo tergo?

RESpondeo, hunc ſitum corporis in ſomno noxium eſſe, quia inde obſtruitur cerebrum,& malè afficitur occiput naſciturque ephialtes. Porrò ephialtes non eſt ſpectrum (ut vulgus credit) ſed imaginatio orta ex obſtructione poſticæ partis cerebri. Si quis enim tergo incumbat, fit, ut ſpina dorſi, & quæ ſub eâ ſunt, cor propiùs attingant ac premant; præſertim ſi vapores quidam noxii circumſtent cor. Hac compreſſione motus cordis impeditur nonnihil: impedito motu plures fuligines circa cor colliguntur, quæ in cerebrum aſcendunt, & miras ibi ac monſtroſas imagines gignunt.

CAPUT XI.

Cur Medici ſuadeant, ut ſomnus capiatur incumbendo dextro lateri?

RAtio hæc eſt, quia ſic homo ſuaviùs ſoporatur, idque ob triplicem cauſam. 1. quia corde minùs preſſo, expeditior eſt ejus motus. 2. quia dextra pars, quæ motûs eſt principium, & diurno labore magis defatigatur, tum quieſcit. 3. quia cùm os ventriculi ad partem ſiniſtram vergat, neceſſe eſt illud premi & gravari; atque ita varios vapores in caput aſcendere, ſi quis in lævam recumbat.

CAPUT XII.

Calceatis ſive veſtitis pedibus non eſſe dormiendum.

HOc enim, ſi Magnino Excellentiſſimo Medico credimus, debilitat viſum, lædit memoriam, & to-

tum

um corpus extraneo calore æstuare facit ob vaporum eflexionem.

CAPUT XIII.

Cur Homo sæpius sternutet quàm alia Animalia, & an nimia sternutatio sit periculosa?

STernutatio nihil est aliud, quàm motus cerebri excutientis naturali robore inutilem humorem aut piritum, ortus à calore cerebri naturali, qui fundit materiam noxiam, & vim expultricem stimulat. Unde vulò dici solet, sternutationem esse bonum effectum ex nala causa; quia est indicium roboris naturæ insurentis adversùs ea, quæ ipsi sunt inimica.

Porrò inter omnia animalia Homo sæpissimè sterutat, quia cerebrum habet amplissimum & frigidissiaum inter omnia animalia: foramina item narium & erebri latissima. Hinc facilè materiam sternutandi olligere ac dissipare potest, si complexio cerebri sit validior.

Sed cavendum est magnopere, ne sternutatio sit niia; hæc enim nonnunquam cum periculo mortis onjuncta est. Strada certè commemorat *in Prolu-on*: Pistorem quendam Romanum, posteaquam ter ac cies continenti spiritu sternutasset, vigesimo quarto ernutamento animam efflavisse.

CAPUT XIV.

Ex quibus signis salubritas aëris cognosci possit?

PRimum indicium salubris aëris est, si ejus simplicitati nullus fœculentus spiritus, perspicuitati nihil imidum, levitati nulla gravitas se permiscuerit. Quia ebulosi vapores fermè sunt catarrhosi & pestilenales.

Secundum indicium eſt, ſi aër ſubinde ventis agitetur, ſed ventis ſalubribus. Venti autem probantur ii, qui oppoſitu ſylvarum aut montium antè refract & acciſi ſunt, aut tanquam de longinquo itinere feſſ ſpirant, neque oriuntur de locis paluſtribus, lacuſtribus, fœtidis, contagioſis. Genitorem, cuſtodem reſtitutorem bonæ valetudinis Aquilonem; languoris, pituitæ, morborumque patrem & conciliatoren Auſtrum vocant. Illius natura quaſi maſcula eſt & durior: hujus feminea & mollior, quo regnante n pecudes quidem tutò in pratis errare arbitrantur Bucolicæ periti. Et gentes Septentrionales Auſtralibu incorruptiori utuntur valetudine.

Tertium indicium eſt, ſi aër nunc frigore purgetu nunc calore; quia frigus denſat noxios vapores, quo calor conſumit & diſſipat.

CAPUT XV.

Ex quibus ſignis colligatur aquam eſſe ſalubrem, vel inſalubrem?

ASSERTIO PRIMA.

QUinque ſunt genera aquarum: pluvialis, fontana fluviatilis, putealis & ſtagnans. Primo ac lau datiſſimo loco ſunt pluviales: ſecundo fontanæ: terti fluviatiles, ſi leves, claræ, molles & bonæ ſint: quart puteorum, quæ ſunt inſalubres: quinto ac ultimo loc ſtagnorum, quæ ſunt peſſimæ. Nam aqua purificatur per motum, quo caret aqua reſes, id eſt, ubiqu immota. Cæterum inter aquas ſtagnantes illa long deterrima eſt, quæ hirudines alit; ubi verò anguill innatant, non adeò eſt noxia. Cauſa vero, cu nulla aqua ſit ſalubrior, quàm pluvialis, ſive quæ e imbribus colligitur, ea eſt, quia talis aqua cenſetu

gign

gigni ex fontibus leviſſimis, ſubtilibuſque tenuitatibus: quæ deinde per aëris excitationem perfuſa tempeſtatibus liqueſcendo defluit in terram.

ASSERTIO SECUNDA.

AQuæ ſunt examinandæ partim guſtatu, partim igne, partim pondere, partim denique diutinâ aſſeratione. Laudatiſſimi ſaporis, odoris, coloris illam quam decernunt, quæ omni ſapore, odore, colore caet. Item aqua illa, quæ pellucida & tenuis eſt; quæ andido ſuperfuſa linteo, nullas labes aut maculas reiquit; quæ poſtquam calefacta deferbuit (vocant deactam) & quievit, nihil limi, fæcis, aut arenarum imo vaſis relinquit; quæ nihil ſui poſt aliquam quiem perdit; quæ cum farinâ ſubacta bonum paem efficit; in qua celeriter decoquuntur legumi; quæ citò concaleſcit; quæ parum ponderoſa eſt; ıæ alveum, quo labitur, & ſaxa, quæ alluit, muſco on prætexit: quæ, inquam, hiſce qualitatibus affea eſt, eam inter ſaluberrimas aquas connumerandam nſeo.

ASSERTIO TERTIA.

QUalitas aquæ ex conſtitutione hominum & animalium eam bibentium deprehendi poteſt. In toriis eſt, quod Romani fundaturi oppida, & caſtra tiva metaturi, pecudum exta ſolicitè rimati fuerint. uod ſi jecinora livida, aut vitiata invenirent, quom id malum aquarum vitio eveniſſe ſibi perſuadent, citra cunctationem alibi caſtra collocabant. Uſq; eò ingentia in aquis momenta ſunt ad bonam corris temperationem. Si quid enim in iis viſcoſum, ſſum, impurum & crudum admixtum lateat, homi, qui illas bibunt, aut ſtrumis deformantur, aut culis excarnificantur, aut aliis invaletudinibus dicantur.

ASSER-

ASSERTIO QUARTA.

AQuæ ad Orientem sitæ, sunt salubriores his, qu
ad Septentrionem, uti & his, quæ ad calidoru
ventorum spiracula sitæ sunt. Ratio prioris est, qu
aquas Orientales moderatior caliditas & frigidit
commendat. Ratio posterioris constat ex dictis s
pra capite decimo quarto.

ASSERTIO QUINTA.

NOn censentur noxiæ aquæ illæ palustres, quæ s
cundùm mare sitæ, Septentrionem respiciun
aut inter Septentrionem & Orientem positæ sunt, ita
paludes excelsiores sint littore marino. Idem jud
cium esto de munitionibus, quæ sitæ sunt in palud
bus. Ratio est, quia ex maritimarum tempestatu
redundantia, vel cùm in mare patet exitus, fit ut pal
strium venenatorum genera in fossis non nascant
vel ubi fuerint nata, insuetâ fluctuum salsedine nece
tur. Sin autem aquæ secundùm mare ad meridie
vergant, aut occidentem, eæ utique non sunt salubre
quoniam æstate cœlum meridianum calescit sole exo
to, meridie ardet: quodque spectat ad Occidente
id sole exorto tepescit, meridie calet, vespere fe
vet.

CAPUT XVI.

Ut sanitas hominis diu integra conservetur, tr in eo substantias benè reficiendas esse.

IN humano corpore est triplex substantia, spirituo
carnosa, & solida: quarum singulæ, si per sui simi
restaurationem sedulò conservetur, longam sibi h
mo vitam promittere potest.

Igitur ubi virtus incipit deficere ex defectu spi
tuum

tuum, refectio facienda est per respirationem, transpirationem, & per eum, qui ex sanguine transmittitur vaporem: sed ut vapor utilis transmittatur, refectio fieri debet per alimentum spirituosum, id est, tenue, aëreum humidum: qualia sunt liquida reficientia, Vinum, verb. grat. & jura refocillantia cum aqua cinnamomi & similibus. Si defectus contingat in substantia carnosa, succurrendum per nutrimentum, quod in medio humidorum & solidorum corporum est, pro modo affectûs, & prout morbus magis minusve urget. Si in ratione substantiæ solidæ virtus deficiat, ut in phthisicis, opus est nutrimento solido, ut carne caponis, vituli, cancrorum, morsulis ex pineis, pistaceis, amygdalis & similibus.

CAPUT XVII.

Quot modis peccent communiter homines in refectione corporis contra leges sanitatis;

RESpondeo, id tribus modis contingere, nimirum copia, qualitate & modo.

Copiâ peccat, qui plus ingerit alimenti, quam fames requirat & valetudo toleret. Hinc nimirùm oneratur stomachus, calor fatigatur & obruitur. Singularissimè noxium est, si cibus ingeratur corpori, priori necdum digesto. Thomas Morus, illustrissimum Senatus Anglicani Sidus, sapienter prorsus & abstinenter hac in re se gessit. Nam (ut refert in vita ejus cap. . Stapletonus) uno tantùm cibi genere utebatur in mensa, quod plerumque caro bubula fuit; quia verò mensa pro status & officii decoro ferculis opplebatur, in quodcunque cibi genus primùm incidisset, eo solo se reficiebat. Juvenis multo tempore vino penitus abstinuit, at senex non nisi dilutum bibit.

Mo-

Modo peccamus, cùm cibum malè mandimus, alios atque alios bolos raptim glutimus, atque trajicimus & verbo proprio tuburcinamur. Hìc quidem cibus non foret nimius, non noxius, modò sumeretu cum modo, qui si desit, plerumque nimius, & sempe noxius est cibus. Antoninus Pius Imperator Capitolino teste, in cœna caseum avidiùs devoravit, noct insequenti rejecit, alterâ die febri, tertiâ verò mort correptus fuit. Nimis quàm noxium tam præcipitanter comedere. Hinc putredines, hinc corruptus sanguis, hinc pessimi humores, hinc asthmata, hinc graviter halans anima, hinc morbi & vitia corporis innumera: Audi igitur consilium, quod tibi suggerit Ecclesiastes cap. 37. *Noli avidus esse in omni epulatione & non effundas te super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas.* Non erravero (inquit Drexelius i libello de jejunio, cui nomen *Aloe*) si dixero, quavi hebdomade, imò quavis die multa hominum milli mori, qui ad plures annos protraxissent vitam, si minùs properanter & avidè comedissent, si nunquam (cum Plauto loquor) tuburcinati fuissent. Qui annos aliquot avariter vorant, & celeriter ingerunt, ant annos obeunt. Imò si quis prandio cœnulave unicâ nimiùm tuburcinetur, & ut canis voret, facilè ignotum morbum contrahere poterit, cui soli possit meder mors, nisi ante medeatur abstinentia. Usurpa igitu in refectione corporis illud priscum Augusti Cæsaris *Festina lente.*

CAPUT XVIII.

Quòd cibi non debeant excedere in aliqua qualitate: verb. grat. in humiditate, frigiditate, caliditate, siccitate &c.

Ratio est, quia si excedant verb. grat. in caliditate adurunt sanguinem, uti salvia, piper, allium nastur-

nasturcium, & similes. Quòd si caliditas sit aquosa, ut in peponibus, causat putredinem: si sit sicca, consumit & debilitat. Si cibi sint nimis frigidi, tollunt homini vivacitatem, & humores illius quodammodo conglaciant, ut cucumeres. Cibi nimis pingues & unctuosi supernatant in ventriculo, impediunt digestionem & augent phlegma. Cibi dulces causant obstructiones. Cibi excedentes in amaritudine non nutriunt, & insuper sanguinem adurunt. Cibi nimiùm salsi inflammant, exsiccant, obstructiones causant, stomacho nocent. Cibi nimis acuti calore suo replent caput, perturbant mentem: uti porrum, allium, carnes salsæ. Cibi austeri & stiptici constringunt, obstruunt, constipant, sanguinemque generant melancholicum. Cibi acetosi nocent nervis & membris nervosis, & ideo senectutem ante tempus inducunt, suntque causa Melancholiæ.

CAPUT XIX.

Quòd alimentum hominis non debeat esse tepidum.

Ratio est, quia corpus nostrum iis alitur, ex quibus constat, id est, calido, frigido, humido & sicco. At tepidum neque calidum est, neque frigidum, proinde est præter naturam.

CAPUT XX.

Explicatur Diætetica Ciborum.

Regula prima. Cibus potum præcedat, liquidus solidum, concoctu facilis difficilem. Nam hic modo promovet concoctionem.

Regula secunda. Initium refectionis fiat à salsamentis, si qua sunt, item ab oleribus: quibus adjungatur [...]o.

Regula tertia. Præmiſſo cibo alternatim eſt biben-
dum. Ita enim faciliùs cibus cum potu miſcetur a
digeritur.

Regula quarta. Cibi omnes unâ mensâ ſumendi, ſi
ſimillimi, quoad ejus fieri poteſt, noſtroque tempera
mento conſentientes. Diverſi enim & heterogen
cibi quaſi ſeditionem excitant.

Regula quinta. Cibi ſint ex bene habitis. Carn
verb.grat. ſint ex juvenibus & pullis.

Regula ſexta. Omnium ciborum baſis & fundamen
tum eſt panis. Panis autem ſit fermentatus, ſale con
ditus, non mucoſus, aut nimiùm ſiccus.

Regula ſeptima. Cibus eſto duplus ferè ad potum
panis duplus, & ſeſquialter ad ova, triplus ad carne
quadruplus ad piſces, adipem, & fructus humidiore
Hæc proportio panis ad cibum putatur maximè ſecun
dùm naturam, utpote ex qua temperatiſſimum exiſt
alimentum, quod nec humiditate, nec ſiccitate, neq
caliditate aut frigiditate excedit.

Regula octava. Quibus ventriculus major eſt & ca
pacior, iis quidem copia cibi major, at minùs nutrien
convenit. Nam ſi tales parum comederent, non con
ſtringeretur ventriculus ſuper cibum, ſed remanere
ſpatium vacuum, quod deinde flatibus repleretur, co
ctionemque infringeret. Idcirco qui ita ſunt conſt
tuti, meliùs habent, ſi plurimo cibo, minùs tamen nu
trienti, reficiantur. Nam ſi bene nutriat, ad pletho
ram diſponit. Quibus verò ſtomachus non ita capa
eſt, iis quidem cibi copia minor prodeſt, ſed quæ mu
tùm nutriat, ne ex majore cibi quantitate ventriculu
diſtendatur, & debilis reddatur corporique ex minù
nutriente debitum ſubtrahatur alimentum.

CA

CAPUT XXI.

Declaratur diætetica potûs.

R*Egula prima.* Exhibetur potus tribus de causis, videlicet pro siti naturali; pro distributione & concoctione ciborum in ventriculo; pro siti nonnaturali aut morbosa. Potus pro siti naturali debet esse multi & citissimi nutrimenti: quale est vinum & cerevisia bene cocta. Quod si vires debiles sint, oportet parum & sæpe bibere. Potus pro descensu, aut commixtione, aut elixatione ciborum in ventriculo, commodissimè exhibetur, dum cibus assumitur, pro quantitate ciborum.

Regula secunda. Qui copiosum cibum assumit, copioso etiam eget potu, sed non confertim, aut simul quàm plurimum, nisi virtus bibentis valida fuerit; nam qui robusti non sunt, largum potum vitare debent, ne vis ventriculi lædatur, & fluctuationes oriantur.

Regula tertia. In calidis biliosis naturis, aut dum alimenta levia assumuntur, quæ in calore facilè dissipantur, aut corrumpuntur, potus sit vinum tenuissimum, cerevisia tenuis, & similia, quæ sua qualitate calorem contemperant; contrà in frigidis naturis, aut dum alimenta sumuntur, quæ difficulter superantur, potus sit vinum aut cerevisia potentior, quæ calorem nativum excitat.

Regula quarta. Pueris cerevisia, aut vinum tenuius: senibus, meracius convenit.

Regula quinta. Hyeme plus edere expedit, sed minus (meracius tamen) bibere. At Vere paululum cibo demendum, adjiciendum potioni: sed dilutius bibendum, præsertim æstate.

Regula sexta. Post concoctionem ciborum in ventriculo, ut alimentum ad jecur per venas deferatur,

aliqui potu nullo indigent, quia amplos meatus habent & satis validam vim expultricem ventriculi, & attractricem venosi generis, aut alimentum suâ naturâ sati liquidum. Alii, quia contrario modo se habent potu aliquo indigent, qualis tenuium partium esse debet, ut secum faciliùs alimenta devehat. Exhibetu autem talis potus potissimùm post integram concoctionem in ventriculo, ubi ructus nullam qualitatem ciborum referunt, ad minimum post quatuor aut quinque horas à cibo: quo tempore si siti molestentur, & gravitatem circa ventriculum senserint, bibere commodissimè poterunt: dum verò coquitur in ventriculo cibus, aut abstinere oportet, aut parum assumere potûs consueti, ne cibi in ventriculo fluctuent, & eos ipse minimè amplecti queat.

Regula septima. In corporibus sanis potus actu frigidior præferendus est, quia meliùs sitim restinguit, appetitum excitat, viscera roborat, calorem nativum auget.

Regula octava. Vinum sit defæcatum & tenue, quòd si id tartaro acri redundet, corrigatur assumptis aliquot granis mastichis. Id enim Hermes Trismegistus observabat, ne vinum tartareis fæcibus corpus corrumperet.

CAPUT XXII.

An largior usus aromatum in cibis conducat valetudini?

MAgistri sanitatis rectissimè judicant, aromata, & quæcunque latentem tegunt ignem, vitanda esse. Modicus & parcus aromatum usus non omnino excludendus, sed crebriorem illum & largiorem piperis similiumque condimentorum usum ab imbecilliore ven-

ventriculo arcent periti. Contrarium namque rebus contrariis pessimè curatur. Galeni dogma est, contrarium curandum modicè contrario. Frigidum stomachum aromatibus multi caloris velle curare, insania est; hoc enim est, contrariū valde contrario velle persanare.

CAPUT XXIII.

An bellaria conducant valetudini?

SI meam hac de re quæris sententiam, è germano pectore dicam quod sentio. Bellaria omnia, nebulæ dulciariæ, mellea scitamenta, liba, tragemata, ficus, carpesia seu cubebæ, uvulæ, & quidquid horum est in mensam secundam inferri solitum, & omne sacchari variegatum blandimentum, nugæ sunt merissimæ, dulcis fallacia, tyrannis gulæ grata, sed sanitati noxia. E Medicorum scholis res nota, saccharum esse dentibus venenum, fellis augmentum, hepatis incendium, stomachi non leve nocumentum.

Vir quidam doctissimus & medicinæ peritissimus, teste P. Drexelio *lib.* 2. *de jejunio*, hanc tulit de omnibus nebulis dulciariis sententiam: Bellaria omnia stomacho adversaria, nocumenta certa, bullæ & phaleræ libidinis gulosæ. Stomachus valens & robustus hæc non cupit, debilis admittit, sed cum noxa, & mali originem ignorat. Hæc bonum stomachum corrumpunt, & malum non emendant, nec restituunt. Vultisne nosse bonum stomachum? convenientia sibi & robusta, verbi grat. carnem bubulam leviter lixam, & similia appetit, saccharum & illas fraudes dulciarias valde aversatur. Malus ac debilis stomachus suæ quoq; naturæ competentia sectatur, quod molle & dulce est amat, & plerumque sibi nocitura eligit. Cucumeres & pepones, placentas & pultes, cerasorum, aliorumque fructuum colorata somnia expetit, bellaria & sacchari

vaframenta cupidè lambit, ſed in ſuam perniciem. Vel pueris Medicorum hæc ratiocinatio non ignota: Omne pingue & dulce ſtomacho ac dentibus inimicum, & amicum felli: ſed bellaria pleraque maximam partem ſunt dulcia: ergo dentibus & ſtomacho inimica. Adhæc ſi talia cibos alios præcedant, appetentiam omnem deſtruunt, ſi ſequantur & in fine ſumantur, alvum magnopere ſtringunt, juxta Medicorum axioma: *Dulcia in fine conſtipant.*

CAPUT XXIV.

An cibum capere madidis pedibus officiat valetudini?

HIeronymus Cardanus in erudito illo de ſubtilitatibus volumine cenſet eos, qui frigidis & inſuper madidis pedibus accumbunt menſam & comedunt., lethalem valetudinis noxam contrahere. Pede frigidi caput & ſtomachum malè afficiunt: quod ſi ad frigus accedat mador, geminatum malum. Si deind ſtomacho adeo non diſpoſito ingeratur cibus, cert noxa. Hinc paulatim tuſſicula, tabes, &, quod peſſimum, ignorantia mali.

CAPUT XXV.

Quâ menſura cibum pòtumque ſumere oporteat.

QUilibet explorare debet vires & vaſa corporis ſu ut æqualem cibi potuſq; menſuram invenire a que obſervare poſſit. Communiter poſt annum ætat trigeſimum ſextum ſufficere videntur duodecim v ſedecim unciæ cibi per diem, & totidem, vel paul plures unciæ potûs. Quod intelligi velim de iis, q toti ſunt ſtudiis addicti, ſive ſint debiles & ad ſeniu

ve

ergant, ſive robuſti & in ætatis flore conſtituti. Pa-
res ſanè, qui in eremo vixerunt, ſolo pane & aqua, ut
ſt apud *Caſſianum collat. 2. Abbatis Moſis cap. 19.* hanc
enſuram obſervarunt, utpote qui duobus paxi-
naciis, id eſt, duobus parvulis panibus, vix unius libræ,
d eſt duodecim unciarum pondus habentibus: fue-
unt in ſingulos dies contenti. Quòd ſi Patres illi longâ
locti experientiâ, ſatis eſſe judicarunt duo paximacia,
ive duodecim uncias (ſingula enim paximacia fue-
unt ſolum ſex unciarum, & duo ſimul juncta pende-
unt libram duodecim unciarum, qualis fuit apud
eteres in uſu) & quidem panis ſicci, abſque ullo ob-
onio: quantò magis ſufficere poterunt 6. 7. vel 8. un-
iæ panis cum 6. 7. vel 8. unciis obſoniorum, quæ
uplo plus nutriunt quàm ſiccus panis. Huc accedit
oco aquæ, quâ illi utebantur, quæque per ſe non nu-
rit, cerevíſia vel vinum, quæ multum alimenti præ-
ent.

CAPUT XXVI.

An prandium debeat eſſe largius cœnâ, vel cœna largior prandio?

HIppocrates *lib. 3. de diæta*, & Galenus *lib. 7. de me-dendi methodo*, ac reliqui ferè antiqui largiorem
uaſerunt cœnam. Recentiores permulti prandium
nalunt eſſe liberalius, propterea quòd diurno ſolis ca-
ore corporiſque exercitatione juvetur concoctio.

Unicâ ego contentus ſum diſtinctione, quam apud
eteres reperio. Nam ſi corpus ſit ſanum, eſto cœna
argior, quia facilior meliorque per noctem fiet con-
coctio. Quam ob cauſam Medici omnes quiete &
omno cruditates ventriſque repletiones curari præci-
iunt; motus enim & vigilia magnopere diſtrahunt
ativum calorem, qui in quiete & ſomno ad unam il-

lam operationem vitæ inprimis necessariam totus colligitur, illique soli vacat anima, quæ dum vigilat, in plures operationes distrahitur. Accedit nocturnum frigus, quod per antiperistasim calorem internum juvat, atque ad interiora compellit, quem exercitatio diurna solisque calor evocaverant. Ideo & plus comedimus hyeme & meliùs digerimus quàm æstate; ventres enim hyeme calidiores sunt. Plantas quoque & arbores manifestum est feliciùs nocte adolescere, quàm cùm diurno solis calore aduruntur. Accedit quò plus temporis intercedat inter cœnam & prandium, quàm inter prandium & cœnam, dumque manè somno surgimus, liberiorem ventriculum magisque purgatum sentimus, quàm cùm vespere ad cœnandum accedimus; diuturna enim exercitatio & motus corporis cùm vias omnes aperiat, secretionem potiùs & purgationem excrementorum juvat, cibique per corpus universum distributionem, quàm concoctionem promovet. Itaque cùm in somno meliùs, quàm in vigilia cibos coquamus, liberiùs & largiùs cœnare quàm prandere licebit.

Atque hæc intelligenda sunt de corpore sano & optimè constituto. Si verò corpus vitiatum fuerit, & minùs bene affectum, conducibilius erit interdum prandere largiùs, quàm cœnare: quemadmodum si dolore capitis laboret, nimiave pituita aut alio simil morbo; nam si talis homo multùm cœnaverit, peju habebit propter vapores multos, qui noctu in capu trajiciuntur. Idem illi servandum, cui difficilis fuerit cibi descensus, ut aliqua per diem juvandus sit corporis exercitatione. Verùm in omnibus retinenda es consuetudo, aut certè non subitò, sed sensim & longo tempore mutanda.

Hanc doctrinam confirmat Alstedius, dum in sua

Ency

Encyclopædia ſic ſcribit: Qui catarrhis, epilepſia, & ſimilibus morbis capitis obnoxii ſunt, quia ſomnus caput replet, inprimis ſi adſit redundantia crudi humoris in ventriculo, tales à copioſa cœna abſtinere debent, & plus in prandio aſſumere.

Idem Author alio loco Encyclopædiæ ſuæ: In prandio, inquit, poterunt ſumi 8. vel 10. unciæ, veſperi 4. vel è contrario in prandio 4. & 8. vel 10. veſperi pro cœnâ; ita ut vel prandium ſit largius cœnâ, vel cœna ſit largior prandio, prout cuilibet eſt commodum. Verùm in iſtis diuturna conſuetudo magnam vim habet: ſimiliter & corporis diſpoſitio. Nam ſi ventriculus pituitâ frigidâ & lenta abundet, magis conducit, ut aliquis ſemel tantùm de die comedat: quia multum temporis requiritur, ut illa concoquatur vel extenuetur. Si tamen refectio in veſperam differatur, proderit meridie modicum quid ſumere, præſertim quod juvet ad nimiam ventriculi humiditatem exſiccandam: vel ſi meridie prandeatur, tale quid expediet ſumere veſperi, verbi grat. paſſulas cum pane, vel ſimilia. Maximè enim iis, qui ita affecti ſunt, curandum, ut humiditas iſta ſtomachi, quantum fieri poteſt, corrigatur; quia inde ſtomachus flatibus, & caput nebulis, lentoque phlegmate oppletur. *Sapientia*, inquit ille, *in ſicco habitat, non in paludibus & lacunis.* Et Heraclitus, *Anima ſicca, anima ſapientiſſima.*

CAPUT XXVII.

Medicamentis valde moderatè, & nunquam ſine vera neceſſitate utendum eſſe.

INſtituta ſunt, fateor, ad ſalutem humani corporis pharmaca, ſi tamen rem penitius inſpiciamus, pro-

fecto deprehendemus eorum usum vel perniciosum esse, vel, cùm salutaris est, emolumentum non sine nocumento afferre. O quantos sepelierunt pharmacopolæ potiùs, quàm vespillones. Quanquam ego hic non Medicos, nec Medicorum dogmata, nec tam pharmaca, quàm pharmacorum multitudinem varietatemque vitupero. Pannus dum lavatur, fit nitidior quidem, sic tamen crebriori lotione atteritur, ut demum pertundatur. Ita prorsus humanum corpus medicamentis toties purgatur, exsiccatur, attenuatur, ut tandem penitus corrumpatur, & in tabem abeat. Novi virum Principem (inquit Drexelius *lib. 2. de jejunio*) quem septem Medicorum placita suaviter deduxerunt ad plures. Potuisset vir ille vivere, si faber ferrarius, aut sector lignarius fuisset, quem pauperies copiâ pharmacorum abstinere coëgisset. Memini Medicorum Principem dicere: *Cavete à nobis quantum potestis.* Quid, quòd peritissimi quique Medicorum parcissimi in applicandis sibi medicamentis extiterint; Complures novi viros feminasque post sumpta pharmaca incepisse seriò ægrotare, quibus antea constabat sanitas.

At prophylactico (inquiunt) opus est: præstat morbum prævenire, quàm à morbo præveniri. Si morbum accersere sit præcavere, non malè hi ratiocinantur. Invaletudinem satis cavet, qui semel iterumque per annum alvi ductione corpus eluit. Mors in olla viri, ubi pharmaca tam crebra & multiplicia. At sunt homines tam perditè sui amantes, qui autument valetudinem sibi constare non posse, nisi omnes penè Pharmacopolarum ollas & pyxides liguriendo exhauriant. Hi ipsis sanitatis adjumentis præmaturam sibi mortem accersunt.

CA-

CAPUT XXVIII.

De admiranda aceti Scyllitici, ad sanitatem conservandam, vitamque prolongandam, efficacia.

SAlubre (inquit Galenus) & optimum est acetum scylliticum. Ab ipsius enim Authore fertur, quicunque hoc utatur, longæ vitæ fore, & extrema ejus ad finem usque permansura. Et ipse quidem Samius senex hujusmodi extitit: quantum enim temporis vixerit, haud ignoras. De ipso in libro traditum est, quòd cum suis consanguineis hanc facultatem communicaverit, cumque illo medicamento uti cepit, quinquaginta annos natus erat, & usque ad annos 117. vitam produxit integer, nullâ unquam adversâ valetudine tentatus. Hæc sanè medicamenti author disseruit. Nos verò hujus viri & fidei periculum fecimus, ac firmam constantemque hujus medicamenti facultatem esse testamur. Hujus aceti parum manè sorbeto. Tibi autem hæc evenient, ut nec faucium orisque partes unquam remollescant; os ventriculi bene valebit, facilè spiritum duces, vox rectè habebit, oculi acutissimè cernent, aures in officio manebunt, nullusque flatulentus vapor unquam in ventre excitabitur, nullum viscus suspensum erit, & bene spirans, beneque coloratus deges, ad civilia negotia rectè affectus, non acidum, non salsum ructabis, si aliquid illius aceti sumpseris: jejunus autem ut sumas præcipio, septemque stadia deambules; ita enim dissolvetur. Hoc aceto quicunque utitur, in victu quantumvis licentiosus esto; omnia enim cibaria conficiet, & à nullo unquam offensam patietur, neque valde implebitur, sed in melius proficere videbitur, nec supervacui quid-

quam

quam in corpore residebit, non flatus, non bilis, non stercus, nec urina, sed omnia facilè excernet & educet. Alvus lubrica omnino erit, totiusque corporis purgativum medicamentum, etiamsi ossibus excrementa inhæreant. Phthisicos item ab omnibus deploratos, hoc medicamento sanitati restitutos novimus. Morbo comitiali diuturno efficaciter profuit, ut nisi post longa temporis intervalla non redierit: incipientem verò ac novum perfectè discutit, neque de integro hunc redire permittit. Ad podagras præterea & articulorum morbos, jecoris, lienisque durities vehementer facit. Et particulares quidem aceti scyllitici effectus hi sunt. Hactenus Galenus, & ex eo Matthiolus, à me in Arte Discurrendi citatus.

CAPUT XXIX.

An, & quâ ratione Paterfamilias debeat esse peritus rei medicæ?

Cùm non semper præsto sint Medici, oportet Patremfamilias in promptu habere medicamenta quædam in suo pharmacopolio domestico, ut vocant, atque insuper etiam perspectum habere modum utendi medicamentis familiaribus. In quem finem sequentes deservient regulæ.

Prima. Fundamentum Medicinæ unicum & Catholicum hoc est, ut per spiritum, qui est in rebus naturalibus, confortemus spiritum nostrum. Hic verò spiritus nihil est aliud, quàm quinta quædam essentia, elementis immixta. Si quis itaque illam quintam essentiam possit quàm optimè segregare, eamque magis & magis intos assumere, vel saltem rebus illis frequentiùs uti, quæ prædictâ essentiâ abundant, uti sunt aurum, vinum, triticum, saccharum, Myrobalan

lani &c. non difficulter ſuæ ſuorumque conſulet vale-
tudini.

Secunda. Modus comparandi ſpiritum mundi, ſeu
veram quintam eſſentiam, non eſt petendus ab Alchi-
miſtis carboniperdis, ſed à veris Philoſophis: quos inter
excellit Cornelius Drebbelius, cujus breviſſima com-
mentatio de quinta eſſentia ſolidiſſimè monſtrat mo-
dum facillimum parandi quintam eſſentiam ex auro,
omnibuſque mineralibus, vegetalibus & animalibus.

Tertia. Perſuadeant ſibi Patresfamilias, theriacæ
vim eſſe mirabilem contra ſenectutem & venenum.

Quarta. Aloe, cubebæ, & myrobalani inprimis
conducunt ad firmam valetudinem litteratorum.

Quinta. Singulis menſibus prodeſt ſemel aut bis vo-
mere: vel certè uno die integro ab omni cibo potuque
abſtinere.

Sexta. Singulis ſeptimanis poteſt ſumi acetum ſcylli-
cum: cui tamen, ſi quis ſit ſenex, ob ſtomachum, pau-
lulum cinnamomi, gingiberis, & cardamomi adden-
dum eſt.

Septima. Nonnunquam prodeſt uti ad purgatio-
nem Therebinthinâ Venetâ avellanæ magnitudine.
Similiter etiam conditum gingiber jejuno interdum
profuerit.

Octava. Hyberno tempore vinum helenium: abſin-
thiacum, aut caryophillacium in prandio utiliter bibi-
tur.

Nona. Interdum parum confectionis Mithridaticæ,
aut Theriacæ Andromachi, temporibus nebuloſis,
præſertim hyeme, & conſtitutione peſtilente accipere,
eſt utile.

Decima. Medicamentis violentis, ſive purgantibus,
ſive confortantibus, tanquam venenis abſtinendum
eſt.

Unde-

Undecima. Contra peſtem Paterfamilias ſequent inprimis antidota adhibere poterit. Hauſtus urin propriæ vel pueri impuberis magno cum fructu con tra peſtem bibitur. Si quis peſte corripiatur, præte dictum hauſtum urinæ, proderit lacti calido recen mulſo (verba ſunt Alſtedii in Encyclopædia) ped ac tibias immittere. Tum enim lac coagulabitu & venenum attrahet. Præterea in conclavi ſuſpen ſum in alto ſemper habeatur, præcipuè autem tempo re peſtis, vaſculum quoddam aheneum, aquâ reple tum. Iſta ſiquidem venenatos humores ac vapore intra conclave exiſtentes ad ſe trahet, qui aquæ inna tantes in pelliculam coëunt: quæ quò craſſior, eò ma jor copia veneni attracta, atque aër ipſe ſic purior ſa lubriorque in conclavi efficitur. Purgatur inſuper aë rerum odoriferarum ſuffitibus; in quarum cenſu habe mus abſinthium (aloën illam ruſticorum) maſtiche thus, thymiama, ſtyracem, ſuccinum, lignum aloë myrrham, ambram, moſchum, juniperum ejuſqu grana (theriacam illam ruſticorum) ſalviam, majora nam, ſerpillum, pulegium, roremmarinum, helenium & ejus generis alia. Nec incommodè collo appen detur ſacculus Jacobi Carpenſis hoc modo confectu Recipe Arſenici albi cryſtallini partes ſive uncias dua rubei partem unam: fiat placenta rotunda digiti cra ſitudine, cum ovi albumine, aut mucilagine Traga canthi ſubacta: inſuatur linteolo ſuperaddito ſe- rico, & ſic regioni cordis admovea- tur.

DISCUR

DISCURSUS TRIGESIMUS NONUS.

EX MEDICINA.

De signaturis rerum ad morbos pellendos deservientium.

PROPOSITIO PRIMA.

Quodcunque habet signaturam partium hominis, illud confortationi earundem inservit, ac proinde morbos, quibus eæ partes conflictantur, fortiter pellit.

HInc quia folia asari habent signaturam aurium, ideo ex floribus ejus conserva paratur, quæ comesta auditum magnopere confortat.

Cochleæ sunt acutissimi auditûs suntque insuper prælongis signatæ auriculis. Hinc ex præcepto Medicorum coquuntur in aqua & sale, & despumantur, post exsiccationem macerantur in oleo succini & deinde destillatio instituitur: promanans inde oleum mirificè deservit ad recuperandum auditum.

Folium mentastri aquatici (est herba, cujus folia sunt angusta & hirsuta, flore è puniceo albicante) formam nasi refert. Hinc ejus extractum specificum est in amissione odoratûs, teste Nollio *in Medicina Hermetica cap. 3.*

Grana nigra herbæ Paris, seu aconiti salutiferi, habent signaturam pupillæ. Quapropter oleum inde prolectum seu expressum, ad oculorum effectus efficacissimum est medicamentum, à nonnullis *Anima oculorum* nuncupatum.

Lanu-

Lanugo malorum cydoniorum refert aliquo mod capillos: ideo decoctum ejus in restituendis capillis qui à lue venerea defluxerunt, magnas obtinet vires.

Quæ cordis figuram referunt, cordi opitulantur: u malum citrinum, fructus anacardi, radices anthoræ nardus, melissophyllon.

Quæ pulmones repræsentant, conferunt pulmonibus, ut pulmonaria, herba Botanicis nota.

Juglandes habent integram signaturam capitis: cortex exterior, seu herbaceum involucrum figuram habet pericranii. Qua de causa sal corticum juglandi nucis, ad vulnera pericranii singulare est remedium Cortex juglandis interior, seu ligneum putamen, repræsentat cranium. Pellicula circumdans nucleum refert meninges seu membranam cerebri. Nucleus juglandis, ipsius cerebri effigiem exhibet: ideo etiam cerebro conducit; nam nucleus tritus, si cum quinta essentia vini humectatus vertici capitis imponatur, cerebrum potenter confortat.

Folliculus floris Pæonicæ adhuc conclusus, sicut signaturam habet capitis, cum suturis & venulis cerebrum circumdantibus ita mirificè eidem conducit.

Satyrionis radix formam testiculorum exquisitè repræsentat: unde Philosophi & Medici intellexerunt ei inesse specificum arcanum ad conceptionem prolisque generationem promovendam, quod sterilissimis etiam mulieribus fœcunditatis donum impertiat.

PROPOSITIO SECUNDA.

Quodcunque habet signaturam morborum, illud ad eosdem morbos tollendos conducit.

FLos Lilii convallii habet guttæ signaturam, quia instar guttæ pendet; ideo in apoplexia magnus est ejus usus. Cal-

Calculi ſignaturam habent cryſtallus, ſilex, radices
axifragiæ, lithoſpermon, nuclei ceraſorum, perſico-
um, meſpilorum: item cæpæ, fructus roſeti rubei:
enique plurimi alii, in ſenticetis, rubro colore, in
utumno ad maturitatem provenientes fructus. Ita-
ue hæc omnia ad comminuendum calculum condu-
unt.

Urina Lyncis coit in lapidem: ideo ejus urina ad
eſicæ ſtillicidia prodeſt.

Agaricum, & reliquæ arborum excreſcentiæ, quæ
ipra ramos & frondes contra naturæ ordinem excreſ-
int, humanorum artuum excreſcentibus partibus
edentur.

Fraga habent ſignaturam lepræ, ideo Raimundus
ullus fragorum in ſpiritu vini maceratorum uſum in
ira leproſorum impensè commendat. Similem
gnaturam habent viperæ: quarum proinde caro præ-
rata leproſis utiliter exhibetur.

Salix non fert ſemen, ſed virgula ejus abſciſſa, etiam
è emarcida, ſolâ infixione in terram creſcit: ideo bal-
um ex decocto ſalicis præparatum, eſt præſtantiſſi-
um ad membra tabida remedium.

Omnes maculoſæ plantæ maculas corporis noſtri
ſtergunt.

Carduus benedictus cum ſuis punctionibus curam
euritidis indicat: uti & Carduus Mariæ.

Medulla rubra, quæ in lapicidinarum juncturis re-
ritur, & eruitur (vulgus *jecur lapidum* vocat) ſigna-
ram dyſenteriæ habet: ac proinde in dyſentericis
xionibus magno juvamine adhibetur.

Convolvolus in ſegetibus proveniens, inteſtina re-
æſentat: ideo decoctum ejus eſt in Colica ſingulare
medium.

Lunaria ſignaturam habet cancri. Hinc Medicus

 qui-

quidam, teste Nollio sup. cit. affirmat se ejus usu o
nes mammillarum cancros curavisse.

PROPOSITIO TERTIA.

Quidquid è corpore aliquo extrudit naturam al nam, idem quoque ex corpore humano naturam alienam expellit.

EXemplum primum ponit Quercetanus *ex Parace Tetrad. p. 396.* in antimonio. Cujus natura cù sit spoliativa, & mundificativa, hinc fit, ut corporis i puritatem non secus absumat, quàm aurum & arge tum depuret, ut experientia testatur. Inprimis aute tollit lepram: imò omnes morbosas impuritates.

Exemplum secundum suppeditat nobis alce. Sic enim hoc animal, ut dictum est supra in Tetrapod logia, posterioris pedis dextri ungulâ in aurem immi sâ, eam perfricando se ab epilepsia liberat, ita parit homo eandem ungulam auriculæ sinistræ, ingruen paroxysmo, immittens, eamque fricans, paroxysmu depellit.

Exemplum tertium cernitur in ovo frigore conge lato, quod si ad tempus in aqua frigidissima ponatu glaciale frigus ab eo extrahitur, ovumque in integru restituitur: ita pariter membra frigore vitiata sanant per positionem in aqua frigida nivali. Et sic frigus ex trahit frigus.

PROPOSITIO QUARTA.

Plantæ, quæ vel repræsentant ipsa Animalia, v animalium partes, valent ad propellendos morbos, qui ab iisdem animalibus suboriri possunt.

ITa Serpentina major, quæ serpentem repræsentat item Rhamnus, seu spina alba, in qua acutæ spinæ ha- ben

pent similitudinem dentium serpentis, morsui serpen-
ino medentur. Ita semen Psilii, quod figuram puli-
is habet: pulices ipsos fugat. Ita denique Scorpio-
lis, Telepsium, aliaque similia, quæ caudam scorpio-
is analogiâ quadam & similitudine repræsentant,
nagnam virtutem ad scorpionum plagas sanandas ob-
nent. *Quercetanus de signaturis rerum externis.*

PROPOSITIO QUINTA.

Animalium partes, quarum balsamus est valde fortis ad functionem aliquam expediendam, vigorem similem conciliant similibus humani corporis partibus, ut efficaciùs præstent id, ad quod destinatæ sunt.

Ta pulmo vulpis prodest pulmoni hominis. Ita
mammarum muliebrium fissuris medetur inunctio
utinis, ex uberibus vaccinis præparati. Ita matri-
s gallinæ pulvis in collum matricis alicujus mulieris
jectus, ejusdem fluorem exsiccat, & sterilitatem inde
tam tollit, juvatque conceptionem. Ita denique essen-
præparata de ossibus cordis cervi Cor hominis in
ardiaca & syncope corroborat.

PROPOSITIO SEXTA.

mnis bestia, quæ venenum in aliqua tantùm sui corporis parte habet, continet in se balsamum, quod sit veneni antidotum.

Ratio est, quia hujusmodi bestia habet in se natu-
ram, quâ se à maligna veneni sui qualitate tuetur.
nde cor viperarum, etiam ad solem exsiccatum, &
lverisatum, veneno adversatur; illudque à corpore
stro expellit. Aculeos apum corporibus nostris
ixos mel sanat. Homini à scorpionibus icto, re-

medio eſt oleum eorundem, vel cinis, ſi parti læſæ a-
plicetur. *Henricus Nollius in ſyſtemate generali M-
dicinæ Hermeticæ. cap. 4.*

DISCURSUS QUADRAGESIMUS.

EX JURE CANONICO.

De inſtitutione & electione Summi Pontifi-cis.

PRÆFATIUNCULA.

*SAcrorum Canonum Scientia eſt dignitatis Eccleſi-
ſticæ Parens, caſtigatrix morum, Sacrorum ritu-
Lapis Lydius, Monarchiæ Sacræ firmamentu-
Ejus decreta ſunt Juris Civilis Jura, ſunt legum profan-
rum leges, ſunt Imperiorum omnium Imperia.*

1. CHRISTUS ſecundùm humanitatem eſt Cap-
myſticum totius Eccleſiæ, tam Militantis, quà
Triumphantis, juxta illud Pauli ad Epheſ. 1. *Ipſum a-
dit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt Corpus ipſius*

2. CHRISTUS ex Eccleſia Militante ad Triumpha-
tem aſcenſurus, neceſſarium duxit aliquem Eccleſia-
ſe in terris conſtitutæ Præſidem relinquere, qui ej-
Vicariam exerceret poteſtatem. Cùm enim Chriſt-
eſſet Paſtor bonus, non voluit nos hic in terris reli-
quere orphanos abſque Paſtore & Gubernatore gen-
rali, quem coram corporeis oculis intueremur, que-
de occurrentibus dubiis conſuleremus, quem Cap-
haberemus à Chriſto ſecundum, & inter homines pr-
mum. Accedit, quòd Regimen Eccleſiæ ſub ea for-
ma manere debuerit, qua inſtitutum fuerat à Chriſto
ſed ante Chriſti Aſcenſionem inſtitutum fuerat ſu-
Capite viſibili: ergo poſt Chriſti Aſcenſionem re-
mane-

anere debuit ſub aliquo Capite viſibili; alioquin Re-
men Eccleſiæ, & conſequenter ipſamet Eccleſia mu-
:a, eſſet, quod dici non poteſt.

3. Chriſtus per illa verba: *Paſce Agnos meos: Paſce*
ves meas, Joannis 21. & 22. & Marci 16. elegit Pe-
ım in Paſtorem, Caput & Ducem totius Eccleſiæ Mi-
antis. Atque ita factus eſt Petrus Fundamen-
m viſibile Eccleſiæ ſuper fundamento inviſibili, quod
t Chriſtus.

4. Quòd Chriſtus S. Petrum ſibi Vicarium & Suc-
ſſorem conſtituerit, ſatis inſuper declarant illa ver-
Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo*
cleſiam meam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum, &
odcunque ligaveris ſuper terram, &c.

5. Papatus prout à Chriſto in Perſona Petri inſti-
tus, eſt de Jure divino, ſicut & poteſtas, quam Chri-
ıs Petro dedit. Quod autem Papatus ſit in perſona
ıjus vel illius hominis, exceptâ Perſonâ B. Petri, non
: de Jure divino, ſed pendet ex electione huma-
.

6. Inter plures de Papatu contendentes (inquit
ıbarella à Barboſa citatus) non eſt de Jure divino
nc vel illum eſſe Papam: ac proinde infert poſſe tran-
;i de Papatu.

7. Petrus, cùm Hieroſolymis ſtatum Eccleſiæ & fi-
:i ordinaſſet ac roboraſſet, Sedem Apoſtolicæ pote-
ıtis Antiochiæ primitus erexit. Poſtea verò jubente
omino eandem Sedem Romam tranſtulit.

8. Romæ Sedes Apoſtolica ita ſtabilita eſt, ut ibi-
:m ex neceſſitate divini præcepti remanere debeat,
:que poſſit contra Domini juſſum aliò transferri.
mita, niſi id propter rebellionem populi, vel incur-
n hoſtium, aut aliam probabilem cauſam fiat.

9. Multorum opinio eſt, licere ſummis Pontifici-

bus successores sibi ipsis diligere, exemplo B. Petri, qui Clementem sibi in Papatu successorem constituisse fertur. Sed dici potest, Petrum, aliosque Apostolos multa habuisse privilegia, multaque ex speciali commissione & Divina inspiratione fecisse, quæ aliis Pontificibus concedere non debemus. Adhæc probabile est, Clementem à Petro non tam in Successorem electum, quàm Sacro Senatorum Collegio, ut ab eo eligeretur, præsentatum fuisse.

10. Papa non potest ante mortem suam sibi successorem eligere. Tum quia Papa & Episcopus habent se ad Ecclesiam, sicut Vir ad Uxorem: Vir autem, licet sit Caput Uxoris, non potest tamen ipsi alium virum constituere, quia mortuo viro uxor ab ejus lege soluta est. 1. *ad Corinth.* 8. Tum quia vel taliter electus vivente adhuc Electore potestatem accepit, vel post ejus mortem accipere debet. Primum non est dicendum, cùm duo suprema Capita in Ecclesia simul dari non possint. Secundum etiam admitti non debet, quia in hoc casu effectus nominationis refertur ad tempus inhabile, quo eligens non est ampliùs Pontifex: unde quemadmodum tunc non posset eligi, ita nec nunc potest eligi; paria enim sunt aliquid gerere tempore inhabili, vel tempore habili, & effectum ejus conferre in tempus inhabile. Itaque Successor Papæ non ante sed post mortem Papæ eligendus est.

11. Licet Electores in creatione Summi Pontificis Personam designent, solus tamen Christus immediatè confert dignitatem & potestatem.

12. Papâ adhuc superstite nulli licet verbo, scripto, promissionibus, aut quovis modo de successore tractare, sub pœna anathematis & privationis dignitatum.

13. Electio Summi Pontificis post B. Petrum fuit pe-

es Senatum Ecclesiæ Romanæ, ex Presbyteris & Dia-
onis Romanæ urbis constantem: quos B. Petrus in
cum assistentium Apostolorum, qui per orbem di-
ersi erant, Romani Pontificis Consiliarios & Coad-
tores instituerat: qui postea Cardinales nominari
eperunt.

14. Post tempora B. Sylvestri, quando Ecclesia bonis
mporalibus & terrena potestate perfrui cœpit, ori-
ntibus scandalis & scissuris inter prædictos Ecclesiæ
natores, reliquus Clerus, populusque Romanus, ad
æsentiam & corroborationem exhibendam, electioni
ontificis adjunctus est.

15. Procedente tempore Romanus Imperator suam
ıctoritatem electioni Pontificis interponere cœpit,
eò usque processit, ut nullus Canonicè electus pu-
retur, nisi Principis decreto esset confirmatus. At-
ıe hoc jus Principis expressa Pontificis auctoritate ro-
oratum fuit.

16. Adrianus I. Pontifex Maximus Carolo M. (in cu-
s persona Imperium à Græcis in Germanos transla-
ım fuit) potestatem dedit eligendi Pontificem, & A-
ostolicam Sedem ordinandi. Cujus concessionis
ıllam Parisiis inter præcipuos Regni thesauros asser-
ıtos fuisse tradit Gloss. *in Pragm. sanct. tit. de annatis,*
erb. Regalia. Idem Jus Leo VIII. confirmavit, tradi-
tque Othoni Imperatori & successoribus ejus. Sed
bsequentes Pontifices, præsertim Alexander III. præ-
ctum Jus Imperatorium justis de causis abroga-
ınt.

17. Nicolaus II. Pontifex sacram legem edidit de
ectione Romani Pontificis à sacro Cardinalium Se-
ıtu peragenda: statuendo, ut electio Papæ præcipuè à
ardinalibus perageretur, ac deinde reliquus Clerus ac
opulus ad eam comprobandam accederet.

18. Alexander III. statuit, ut ille demum Canonicè in Papam electus censeretur, in quem duæ ex tribus Collegii Cardinalium partibus consensissent. Quod non intelligendum de omnibus Cardinalibus etiam absentibus, sed de iis solis, qui electioni intersunt. Et sic electio Summi Pontificis, excluso Cleri Populique consensu, solis Cardinalibus demandata fuit.

19. Si Sedes Apostolica vacaret eo tempore, quo generale Concilium congregatum esset, eo casu electio Papæ non ad Concilium, sed ad solos Cardinales pertineret. Idque re ipsa servatum fuit in electione Leonis X. tempore ultimi Concilii Lateranensis.

20. Contra eum, qui à duabus partibus Cardinalium in Pontificem electus est, nulla exceptio oppon[i] potest præter hæresim, aut aliam exceptionem in Jur[e] Divino consistentem.

21. Electus in Pontificem, quamvis non sit Cardi[-]nalis, verus est Papa. Imò etiam Laicus, dummod[o] Christianus sit, in Summum Pontificem eligi potest.

22. Papâ defuncto, Cardinales absentes statim mo[-]nendi, & per decem dies, à die mortis Pontificis com[-]putandos, exspectandi sunt: etiamsi certum sit, eo[s] intra decem dies venire non posse.

23. Cardinales non tenentur expectare, donec decem dies à morte Pontificis elapsi sint, sed possunt ante completum illud tempus ad electionem procedere si justa subsit causa præveniendi, v. g. gravis aliqu[a] Ecclesiæ necessitas, bellum ingruens, seditiones repentè exortæ, timor aëris inficiendi, & similia, qu[æ] judicio prudentum relinquuntur.

24. Valida est electio Papæ, etiamsi absentes per decem dies expectati non fuerint: dummodo in aliis requisitis substantialibus non sit defectus.

25. Quamvis Cardinales absentes per decem dies ex[-]

pe

pectandi ſint, non debent tamen vocari ſeu citari. Quod ſpeciale eſt in electione Romani Pontificis, cùm alii abſentes vocari debeant.

26. Prædictum tempus exſpectationis decem dierum non eſt prorogandum, niſi graviſſima cauſa dilationem ſuadeat. Sed licet tempus illud prorogatum fuerit, nihilominus tamen electio ſubſecuta valebit, dummodo alia requiſita non deſint.

27. Durante prædicto decendio, Cardinales præſentes defuncti Pontificis exequias celebrare debent.

28. Gregorius XIV. in ſua conſtitutione, quæ incipit *Cogit nos* &c. prohibet ne fiant ſponſiones, ſeu excommiſſæ (ut ajunt) ſuper vita, morte & futura electione Summi Pontificis: ubi quidquid in excommiſſis deductum fuerit, piis locis applicat: atque inſuper perſonis Eccleſiaſticis excommiſſas facientibus pœnam privationis bonorum imponit, & tam eis, quàm aliis contra hanc prohibitionem delinquentibus excommunicationis pœnam infligit.

29. Cardinales omnes ad electionem Pontificis admittuntur, nullâ excommunicationis, vel interdicti obſtante exceptione. Unde & Cardinales nuper creati & publicati eandem cum reliquis in electione Pontificis obtinent poteſtatem, etſi nondum inſignia Cardinalatûs acceperint, ſunt enim veri Cardinales; nam quando quis in Cardinalem nominatur (inquit Barboſa) & aſſentit, verè Cardinalis efficitur.

30. Licet Cardinales, qui non ſunt Diaconi, ex conſtitutione Pii IV. Sixti V. & Gregorii XV. in electione Pontificis vocem non habeant: huic tamen ſtatuto Pontifices derogare ſolent, quando Cardinales creant: & ſuper hoc Breve particulare expediri mandant.

31. Si plurimi Cardinales ante factam Pontificis

electionem decedant, ad ſolos ſuperſtites, qui vivunt, pertinebit electio, licet duo tantùm remanſerint; quia unus poterit eligere alium. Imò licet unus tantùm remanſerit, cæteris mortuis, vel exeuntibus, vel negligentibus, poterit ille ac debebit Papam eligere; quia Jus & nomen Univerſitatis in uno ſervatur.

32. Si omnes Cardinales mortui fuerint, tunc electio ſecundùm quoſdam ſpectabit ad Canonicos Lateranenſes, quorum Eccleſia eſt propria Sedes Pontificis, ſuper omnes Orbis & Urbis Eccleſias: ſecundùm alios ad Concilium generale: ſecundùm alios ad Patriarchas. Prima ſententia eſt probabilior.

33. Si Papa deponatur à Concilio legitimè congregato, tunc electio novi Pontificis non ad Concilium pertinebit, ſed ad Cardinales. Contrarium tamen dicendum eſſet, ſi Pontifex ob crimen hæreſis depoſitus eſſet, & Cardinales eſſent participes criminis aut aliâ de cauſa ſuſpecti, aut veriſimiliter timeretur ſchiſma, vel magna Eccleſiaſticæ pacis perturbatio; tunc enim ob communem Eccleſiæ ſalutem poſſet Cardinalibus ad tempus, non in perpetuum, poteſtas eligendi Pontificem à Cocilio adimi.

34. Electio Uxorati in Pontificem valida eſt; quo caſu ſi uxor conſentiat, poterit illa cogi, ut convertatur; ſi autem vir abſque licentia Uxoris in Papam eligeretur, poſſet is ab Uxore revocari, ut teneatur ei debitum reddere.

35. Solus ſexus virilis eſt capax Papatûs.

36. Cùm Papa ſub nomine Epiſcopi comprehendatur, & ſeipſum Epiſcopum nominet, Epiſcopus autem 30. annorum eſſe debeat, congruenter aſſeritur, Papam non debere eſſe minorem 30. annis. Valida tamen erit electio, ſi quis in ætate minori eligatur.

37. For-

37. Forma, quæ in electione Romani Pontificis sit ervanda, à Jure communi non traditur. Unde In- ocentius ait: *Non est hic alia forma ex necessitate ser- anda; imò quocunque modo appareat duas Partes con- ensisse in aliquem tanquam in electum, jus habet, & ve- us Papa est.*

38. Per ipsosmet eligentes triplex forma, seu modus ligendi Papam introductus est: videlicet scrutinium, ccessus seu communis inspiratio, & compromis- um.

39 Ad scrutinium requiritur 1. Ut sint tres, & on plures, nec pauciores scrutatores, seu inquisito- es & collectores suffragiorum. 2. Ut illi sint de Col- gio, non autem extra. 3. Ut sigillatim & secretò vo- exquirant. 4. Ut omnes eligentes, qui debent, olunt & possunt commodè interesse, congregentur unum; in Camera enim non potest dari votum. 5. Ut rutatores vota collecta scripto consignent, & mox ublicent in communi. Quo facto, is demum cense- itur electus, in quem vel omnes, vel duæ ex tribus par- bus consenserint.

40. Accessus fieri potest etiam durante scrutinio, quantumcunque publicato: quod speciale est con- a jus aliarum electionum. Possunt enim Cardina- s accedere alteri electo per alios, & omnino resilire electione quam fecerunt: & si usque ad sufficien- m numerum duarum Partium pervenerint, cense- tur electio secuta per accessum. Quomodo autem ccessus peragi debeat, exponit Gregorius XV. in sua onstitut. quæ incipit *Æterni.*

41. Compromissum fit, quando propter discordiam ardinales in aliquem electionis ~~negotium~~ compro- ittunt, ut scilicet ipse quem voluerit eligat. Et de oc debet confici publicum instrumentum.

42. Po-

42. Potest etiam electio compromissaria fieri per compromissum cum scrutinio mixtum; videlicet si ita compromissum sit, ut Compromissarii ipsi exquirant vota singulorum, illumque eligant, in quem major & sanior pars consenserit. Et tunc non tenetur Compromissarius ad aliud, quàm ad id quod in compromisso expressum est. Itaque non est necessaria tunc collatio meriti ad meritum, zeli ad zelum, sed numeri tantùm ad numerum, ut videatur an sit major pars Capituli.

43. Posse Compromissarium, si unus tantùm sit, seipsum eligere, tradunt S. Antoninus & Azorius. Quod arbitror verum esse, si sermo sit de electione Papæ. Nam talis electione nec divino nec naturali Juri repugnat; cùm etiam minimè repugnet eundem esse eligentem & electum. Est tamen repugnantia Juris humani; sed hæc non sufficit ad hujusmodi electionem annullandam; eò quòd nulla exceptio à Jure humano proveniens contra talem electionem opponi possit. Verùm cùm vigore Constitutionis Gregorii XV. nemo possit sibi suffragium ferre, ideo nullus in se compromittere, aut post compromissum seipsum eligere potest.

44. Fertur Joannes XXII. compromisso in ejus personam facto, seipsum elegisse in Pontificem: & hac de causa compromissum deinceps in desuetudinem abiisse.

45. Est & alia forma eligendi Pontificem, videlicet per viam Spiritus Sancti, hoc est per unanimem concordemque omnium conclamationem sine ulla suffragiorum collatione. Fit autem hoc dupliciter. Primo per inspirationem, quando, nullo inter eligentes ordine servato, ipsi quasi inebriati & (ut loquitur Barbosa) super se quasi facti eligunt. Secundò per quasi in-

inspirationem, quando subitò unus post alium, sine aliquo intervallo eundem eligit.

46. Ad hoc ut electio non dicatur facta per viam Spiritus Sancti, sufficit vel unicum dissensisse.

47. Ante annos non valde multos introducta est nova forma eligendi Pontificem per adorationem, quando videlicet duæ Cardinalium partes, nullo scrutinio expectato, vocetenus aliquem ex Cardinalibus Romanum Pontificem salutant ac venerantur. Ita electus fuit Pius V. & plures alii.

48. Hodie per decretum Gregorii XV. ab Urbano VIII. confirmatum, electio Romani Pontificis aliter fieri non potest, quàm in Conclavi, eoque clauso, & post celebratum in eo prima die sacrificium Missæ, cui Cardinales interesse, & in eo communicare solent; ac per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in conclavi præsentium: præterquam si omnes & singuli Cardinales, similiter in Conclavi præsentes, nemine dissentiente, aliquibus ex eorundem Cardinalium Collegio committerent eligendi potestatem: aut nisi communiter ab omnibus & singulis Cardinalibus in Conclavi præsentibus, nemine dissentiente, quasi per inspirationem, nullo præcedente de persona speciali tractatu, per verbum *Eligo* intelligibili voce prolatum, aut scripto, si voce fieri non potuerit, expressum fuerit celebrata; ita ut electio aliter celebrata sit nulla eo ipso, & ita electus non Apostolicus sed Apostaticus habeatur: & tam ipse, quàm eligentes, ejusque fautores sententiam excommunicationis aliasque censuras & pœnas ipso facto incurrant.

49. Sive electio fiat per scrutinium, sive per accessum, sive per scrutinium & accessum simul, non debet electi in Pontificem suffragium computari in nu-

numero eligentium: Neque poteſt quiſquam eligere ſeipſum, etiam per viam compromiſſi.

50. Votum Cardinalis abſentis, etiam extra conclave tantummodo, licet ſit in urbe, non admittitur. Votum autem ingredientis poſt Conclave recluſum tunc ſolùm valere incipit cùm ingreditur: hoc eſt, ad præſentia tantùm & futura negotia, non verò ad præterita valet.

51. Abſens non poteſt in electione Canonica votum ſuum mittere per litteras aut ſchedulas, tempore ſcrutinii aperiendas.

52. Licet in Palatio Apoſtolico ſoleat conſtrui conclave pro celebranda electione Pontificis, non eſt tamen hujuſmodi locus de ſubſtantia electionis.

53. Si Papa moriatur extra urbem Romanam (in qua ordinariè fieri debet electio) novus Pontifex eligendus eſt in civitate, in cujus territorio ſeu diſtrictu mortuus eſt Pontifex: niſi illa ſit fortè interdicta, vel extra Eccleſiam Romanam in aperta rebellione perſiſtat; quo caſu facienda erit electio in alia viciniori civitate, quæ nec interdicto ſubjaceat, neque ſit, ut prædictum eſt, apertè rebellis.

54. Si in certo loco cauſarum & litterarum Apoſtolicarum audientiâ remanente, Papam alibi mori contingat, non ibi, ſed ubi prædicta fuerit audientia electio celebrabitur; niſi fortè ante mortem ordinatum eſſet per Papam de Curia transferenda.

55 Qui canonicè electus non eſt, & tamen Papa haberi cupit, tam ipſe, quàm ii, qui eum receperint, eique adhærere voluerint, excommunicationem & totius ſacri Ordinis privationem incurrunt: Viatici etiam communione, niſi in extremis poſiti, privantur.

56. Simoniacè electus vel aſſumptus in Papam, nullam habet poteſtatem ſpiritualia, vel temporalia admini-

ni-

niſtrandi, ſuiſque privatur dignitatibus, officiis ac beneficiis.

57. Eccleſia habet poteſtatem deponendi Pontificem non canonicè electum, ſeu auctoritatem & juriſdictionem incertam ac prudenter dubiam habentem.

58. Factâ electione Papæ, ipſius conſenſus accedere debet. Intermedio autem tempore, quo electi, fortè abſentis, conſenſus expectatur, non poteſt Sedes Apoſtolica ſimpliciter dici vacans; neque liberum eſt Cardinalibus factâ jam unius electione, ab ea recedere, antequam electus conſenſum præſtet: ea verò, quæ ad rectam gubernationem neceſſaria ſunt, debent Cardinales ſuo & nominati Pontificis nomine expedire; prout factum fuit in electione Adriani VI. donec de ipſius acceptatione & conſenſu conſtitit.

59. Papa dum eligitur, ſtatim plenam & liberam habet adminiſtrationem, nullamque confirmationem equirit. Nam confirmatio electionis per ſuperioem fieri debet, Papa autem nullum habet in terris ſuperiorem.

60. Electi in Pontificem conſecratio, ſeu inthronizatio fiebat olim per Epiſcopum Oſtienſem, hodie auem Cardinalium Decanus, id eſt, primus inter Epiſcoos, licet non ſit Epiſcopus Oſtienſis, hoc munus cum uobus aliis ſenioribus exequitur.

61. Electus in Papam eſt verus & legitimus Papa etm antequam conſecretur & coronetur, habetque auoritatem regendi Eccleſiam.

62. Papa recipit Pontificatum & adminiſtrationem die electionis, licet de ſtylo, qui ſervandus eſt, non inpiat Pontificatum niſi à die coronationis. Sanè anquam coronetur, non tractat ea, quæ in regimine cleſiæ ardua videntur, niſi neceſſitate cogente.

DISCUR-

DISCURSUS QUADRAGESIMUS PRIMUS.
EX JURE CANONICO.
De Cardinalibus.

I.

NOmen *Cardinalis* invenit S. Silvester, ante cujus tempora illud in Ecclesia non fuit auditum. *Barbosa Jur. Eccles. lib. 1. c. 3.*

2. Circa Annum Domini datus est Cardinalibus galerus rubeus ab Innocentio IV. Pontifice. *Coriolanus in Vita Innocentii IV. Camargo in sua Epit. fol. 256.* & alii.

3. Paulus II. Papa dedit birretum purpureum omnibus Cardinalibus, exceptis Regularibus. *Azor. Instit. Moral. part. 2. lib. 4. c. 5. q.* 18.

4. Cardinalibus ex Regularium Ordinibus assumptis Gregorius XIV. primùm concessit usum rubri birreti. *Barbos. sup. num. 1. citatus.*

5. Gregorius XIV. Constit. 4. quæ incipit *Cogit,* damnat sponsiones seu excomissas factas super promotione Cardinalium, & quidquid in excommissis deductum fuerit, piis locis applicat, atque personis Ecclesiasticis excommissas facientibus pœnam privationis beneficiorum imponit, & tam ipsis quàm aliis huic prohibitioni contravenientibus excommunicationis pœnam infligit.

6. Districtè interdicimus (inquit Sixtus V. in Constit. quæ incipit *Postquam verus ille*) ne quis ullatenus ad Cardinalatus honorem assumi queat, nisi qui antea Clericali charactere insignitus, & in quatuor minoribus Ordinibus per annum saltem habitum & Tonsuram gestaverit clericalem.

7. Ad

7. Ad Cardinalatum promoveri non possunt, qui ilium utriusque sexus, etiam ex legitimo matrimo-iio, vel ex eo nepotem habent. *Sixtus V. in Constit. citata.*

8. Perpetuò interdicimus (inquit Sixtus citatus) ie ullo unquam tempore assumatur aliquis posthac 1 S. R. E. Cardinalem, qui frater ex utroque vel alteru-ro parente germanus existat alterius Cardinalis viven-is; ita ut eodem tempore duo fratres germani in eo-em Collegio nullatenus esse possint &c. Prohibemus uoque ne Patruele, vel amitino, aut Consobrino Cardinale vivente, alter ejus patruelis, vel amitinus, ut Consobrinus ad Cardinalatum valeat promove-i.

9. Patruus aut avunculus nepotis ex fratre vel soro-e Cardinalis viventis prohibetur assumi ad Cardina-tum. *Sixtus V. sup. num. 6. citatus.*

10. Cardinales, qui sunt Episcopi, ex eo capite quòd nt Cardinales, non excusantur à Residentia. *Sa verb. esidentia. Azor instit. mor. part. 1. lib. 7. c. 4.*

11. Religiosus ex eo quòd sit factus Cardinalis, non cquirit dominium, nec potest testari; cùm per digni-item Cardinalitiam non absolvatur ab iis quæ sunt de ibstantia Regulæ. *Bald. in Authent. licentiam. num. 3. . de Episc. & Cler. Suarez de Relig. tom. 4. lib. 3. 19.*

12. Licet Religiosus factus Cardinalis teneatur ge-are habitum suæ Religionis, si tamen illum deponat, on incurrit excommunicationem. *Bonif. in Clem. 1. rursus. n. 33. de statu Monach. Diana part. 5. tract. 2. esol. 66.*

13. Religiosus factus Cardinalis potest in Baptismo Confirmatione esse susceptor seu Compater, quam-is simplicibus Religiosis id sit prohibitum. *Gloss. verb.*

Abſolvit, in cap. unico. 18. q. 1. Id tamen non eſt prohib
tum Epiſcopo Religioſo. *Diana part. 5. tract. 1. r*
ſol. 67.

14. Regularis factus Cardinalis, ab obedientia Su
periorum religionis cæteriſque obſervantiis Regula
ribus abſolvitur, ſolique Pontifici ſubjectus mane
Barboſa Jur. Eccleſ. lib. 1. c. 3. citans alios Doctore
aſſerentes Religioſum Cardinalem eodem modo exim
à Regulis, quo Epiſcopus Religioſus eximitur.

15. Illegitimi, etiam per ſubſequens matrimoniu
legitimati, ad Cardinalitiam dignitatem non ſunt pro
movendi. *Sixtus V. in Conſtit. quæ incipit, Poſtquam ve*
rus ille &c.

16. Qui propter defectus, vitia, aut impedimen
ad ſacros Ordines ſunt inhabiles, nunquam fieri po
ſunt Cardinales, etiamſi cum illis authoritate Apoſt
lica diſpenſatum fuerit. *Sixtus V. citat.* qui etiam cr
minis aut infamiæ notâ ſignatos à Cardinalatu a
cet.

17. Cardinalitia dignitas requirit ætatem 30. anno
, uti etiam Epiſcopalis. *Squilant. de privileg. Cleri*
Azor. Inſtit. Moral. p. 2. l. 6. c. 15. qu. 14. ſed hoc in
telligendum eſt tantùm de Cardinalibus, Epiſcopis &
Presbyteris.

18. In Diaconum Cardinalem nullus aſſumi poteſ
niſi ſaltem in vigeſimo ſecundo ætatis anno fuerit con
ſtitutus: ita ut omnino intra annum ad ſacrum Dia
conatus Ordinem valeat & debeat promoveri; alio
quin ſi anno elapſo ad prædictum ordinem promotu
non fuerit, eo ipſo tam in Conſiſtorialibus & omni
bus aliis actibus & negotiis Cardinalitiis, quàm etiam
in electione Romani Pontificis careat voce activa &
paſſiva. *Sixtus. V. num. 15. ſupra citatus.*

19. Non obſtantibus iis, quæ de ætate Cardinalium
di

dicta sunt, potest Papa minores ætate creare Cardinales. *Diana Resol. Moral. part. 5. tract. 2. resol. 1.*

20. Papa non solet bigamum promovere ad Cardinalatum. *Azorius Instit. Moral. lib. 6. c. 7. qu. ult.* Hinc Antonius de Rosellis, Joannes de Lignano, quamvis Jurisperiti insignes, prædictam dignitatem nunquam obtinere potuerunt.

21. Pius V. die 26. Junii 1571. decrevit Cardinales in electione Papæ vocem habere, etiamsi Galerus Cardinalitius eis traditus non esset.

22. Papa de plenitudine potestatis, etiam nulla facta propositione, potest facere Cardinales, qui non habent qualitates requisitas supplendo omnes defectus, & valida est creatio. *Alex. conf. III. Card. Thusc. tom. 6. lit. P. Conclus. 49. num. 68.*

23. Ex constitutione Sixti V. quæ incipit, *postquam verus &c.* statuit, ut non possint plures esse Cardinales quàm 70. qui numerus si excedatur, creatio erit invalida, & supernumerarii hujusmodi nullum ex tali creatione titulum seu jus acquirunt.

24. Cardinales Papa appellat *fratres*, quando illos simul, eorumque Consistorium nominat. *cap. per Venerabilem.* sed extra Consistorium singulos vocat filios, nisi sint Episcopi Cardinales. *c. Raynaldus, de testam.*

25. Cardinales Regibus æquiparantur, & in eis residet tota Majestas Christianæ Reipublicæ. *Decian. Conf. 8. num. 63. vol. 1. Surd. Conf. 453. num. 13.*

26. Reges Cardinalium Collegio locum cedunt. *Loter. de re benef. l. 1. qu. 8. Stephan. Gratian. discept. forens. c. 111. num. 6,*

27. Cardinalis electus statim à patria potestate solutus est. *Gloss. Verb. Communitatem, in Extravag. Execrabilis, de preb.*

28. Cardinales sunt latus Papæ,, *Hostiens. in cap. D lectus, num. 2. de præb.* & ideo dum mittuntur lega dicuntur à latere, seu de latere. *Manfred. de Card p. 1. c. 18.*

29. Cardinales tenentur residere in Curia ubi P pa residet, nec possunt ab illa recedere sine ejus licer tia. *Barbos. de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 53. 12.*

30. Collegium Cardinalium famæ restituit, sicut S natus. *Innoc. in cap. cum te. & ibi Felin. de sent. & judic.*

31. A sententia Collegii Cardinalium non appell tur. *Gloss. Verb. Senatum, 16. qu. 1.*

32. Papa non exigit fidelitatem à Cardinalibus, cut exigit ab Episcopis. *Card. Thusc. lit. C. conclus. 10 num. 5.*

33. Cardinales habent Jurisdictionem Episcopaler in Ecclesiis, quarum sunt Titulares, uti & in aliis ec rum Titulis subjectis. *c. his quæ, 11. de Major. & c bed.*

34. Cardinalis, etiam non Episcopus, potest cog noscere de causa criminali Clericorum suæ Ecclesiæ Tu telaris. *Scipio de Rubeis in Aphorism. Episc. V. Cardi nalis, num. 2.* Idque verum est, sive sint Presbyteri, siv Diaconi. *Layman Theol. Mor. lib. 1. Tract. 4. cap. 7* Et possunt ibi matrimoniis interesse, & aliis, ut inter sint, licentiam concedere, *Sanch. de Matrim. lib. 3 disp. 28.*

35. Cardinales in suis Ecclesiis Titularibus confer- re possunt beneficia, si sint in Urbe (*Diana part. 5. tr 2. Resolut. 13.*) nam in absentia solus Papa confert, u habetur *in Reg. 7. Cancellar.*

36. Cardinales possunt visitare personas sibi subje- ctas ratione Titulorum, illisque pœnas excommunica- tio-

ionis, ſuſpenſionis & interdicti irrogare, *Hoſtienſ. & oan. Andre. in cap.* 1. *de ſupplen. neglig. Prælat.*

37. Cardinales Presbyteri & Diaconi, quamvis E- iſcopi non ſint, poſſunt ſuis ſubditis & familiaribus onferre in propriis Titulis ordines minores. *Barboſ. e offic. & poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 3.*

38. Qui Cardinalem hoſtiliter inſequitur, aut in Per- na offendit, crimine læſæ Majeſtatis tenetur, & non ſe tantùm ſed etiam qui conſilium vel auxilium præ- at, aut quoquo modo hujus criminis particeps exi- it, ut habetur *in cap. felicis*, docetque Cardinal. Thuſc. *t. C. concl.* 100. Leo X. conſtit. quæ incipit *Temera- orum*, extendit prædictam diſpoſitionem capit. feli- s ad invadentes Cardinalium domos. Et Pius V. conſtit. quæ incipit *Infelicis*, extendit etiam con- a ſcientes & non revelantes.

39. Pœnæ *in d. cap. felicis* ſtatutæ contra Cardina- m offendentes ſunt plurimæ & graviſſimæ.

Prima. Tales committunt ſacrilegium. *Barboſ. ur. Eccl. lib.* 1. *c.* 3.

Secunda. Sunt perpetuò infames. *Farinac. q.* 112. *n.* 109.

Tertia. Habentur pro bannitis & diffidatis. *Fari- ac. qu. cit n.* 11.

Quarta. Amittunt teſtamenti factionem activam & aſſivam. *Anton. Ricciul. Tract. de Jur. perſ. extra grem. ccleſ. exiſt. lib.* 4. *cap.* 58. *num.* 21.

Quinta. Eorum domus devaſtantur, & bona con- ſcantur. *Farin. d. qu.* 112. *n.* 16. *& ſeq. & qu.* 116. *n.* 28. *um ſeqq. & d. qu.* 112. *num.* 113.

Sexta. Privantur locationibus & feudis, ſi quæ ha- ent, & ea liberè ad dominos revertuntur. *Peregr. de ur. Fiſc. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 108.

Septima. Privantur omnibus officiis & beneficiis piritualibus ac temporalibus. *Farinac. d. q.* 112. *n.* 113.

Octava. Eorum filii ac nepotes privantur omnibu beneficiis ac dignitatibus Ecclesiasticis, & ad illas inposterum obtinendas efficiuntur inhabiles. *Sanch. i præcept. Decal. lib. 2. cap. 28. n. 20.*

40. Cardinalis de Jure non potest damnari de crimine sine 72. testibus, si sit Episcopus: aut sine 64. si si Cardinalis Presbyter. Si verò sit Diaconus, requiruntur testes 27. *Hostiensis & Joan. Andre. in cap. lice universis, de testib. per Text. in cap. Præsul. 2. q. 4.* Verùm hodie dispositio *d. cap. Præsul.* locum non habe Porrò Cardinalis à solo Rom. Pontifice damnatu vel deponitur, aut excommunicatur. *gloss. in cap. 2. d Cleric. non resid.* etiam non vocatis Cardinalibus. *Bal Consf. 328. Card. Thusc. tom. 6. lit. P. concl. 41. n. 64.*

41. Inter Regulas Cancellariæ à Paulo V. editas ip statuit, quòd in quibuscunque constitutionibus Regulis inposterum edendis, non includantur ip Cardinales, nisi illæ eorundem Cardinalium favore concernant, vel de eorundem Cardinalium, aut ma joris partis eorum consilio editæ fuerint. Unde (*Lotter. de re benefic. lib. 1. q. 8. n. 83.* ait) Persona Card nalis non censetur comprehensa sub generali pe sona.

42. Dispositio generalis odiosa non comprehe dit Cardinales, quia speciali nota digni sunt. *Joan. A dr. in c. 1. de schism. lib. 6.* Unde etiam Cardinales n continentur sub revocationibus generalibus, nisi f de eis mentio specialis. *Tuschus lit. C. conclus.* 100. *nu* 39.

43. Cardinales obviantes ei qui ad supplicium du tur, possunt eum veste aut pileo tegendo liberare. *P de delict. 6. 34. Azor. Instit. Moral. part. 2. l. 4. c. 3.*

44. A sententia ex voto Cardinalium seu conse latâ minimè appellatur. *Azor cit. quæst. 20.*

45.

45. De Consuetudine Curiæ statur dicto Cardi-
alis de his, quæ dicta vel facta sunt coram eo. *Hosti-
nsis de appellat.* quod secus est in Episcopis. *cap. fin. 6.
n. 2.*

46. Cardinales non afficiuntur sententiâ suspensio-
is vel interdicti in constitutione Pontificia promul-
ata, nisi specialis eorum mentio facta sit. *Azor d. qu.*
o.

47. Cardinalis dictum sine juramento aliquam fa-
it præsumptionem. *Farinac. in prax. Crim. p. 2. qu. 63.*
Cardinalibus tamen sine juramento testificantibus
on creditur in præjudicium tertii. *Cotta in Memorab.
Verb. testis, Rebuffus tract. de Reprobat. test. n. 297.*

48. Cardinales orto schismate, datâve contentione
Concilium congregare possunt. *Manfred. de Cardinal.*
. 31.

49. Papa etiam in quæstionibus fidei reliquisq; ar-
luis non tenetur Cardinalium consilium exigere de
necessitate. *Mascard. de probat. conclus. 1261. n. 56.*

50. Collegium Cardinalium Sede Apostolica va-
cante non potest exercere ea quæ ad Pontificis pote-
statem & jurisdictionem dum vivit pertinent, nisi ur-
geat necessitas. *Clem. ne Romani, de Elect.*

51. Collegium Cardinalium non potest corrigere,
mmutare vel modificare constitutiones Summor.
Pontificum, nec eis quidquam addere aut detrahere,
præsertim circa illa quæ de electione Papæ disponunt, ut
apertè probat *Clement. ne Romani.* Neque etiam potest
mittere Legatos per Sedem Apostolicam, aut revoca-
re transmissos à Pontifice defuncto, nisi necessitas ur-
geret. Tandem etiam non potest pileum Cardinali-
tium vel alia insignia Cardinalitia Cardinalibus recen-
ter creatis conferre. *Barbos. Jur. Eccles. lib. 1. c. 3. n. 92.
& 93.*

52. Cuicunque Cardinali debetur Sedes Episcopa-lis præalta: & eo casu Episcopus in digniori loco chor sedeat, vel ex opposito in Sede humiliori. *Cærem. Episc lib. 1. cap. 13.*

DISCURSUS QUADRAGESIMUS SECUNDUS EX JURE PUBLICO.

De Electione, Officio, & Potestate Imperatoris Romano-Germanici.

PRÆFATIUNCULA.

J*Us Publicum, prout hodie in Imperio Romano-Germanico usurpatur, ex tribus potissimùm componitur* Primò, *ex Aurea Bulla, quæ censetur Lex fundamentalis Imperii, utpote continens ea, quæ Imperii & Imperatoris Jura, Electorum prærogativas & officia, omniumque Statuum Imperii tranquillitatem concernunt.* Secundò, *ex Constitutionibus Imperialibus, quæ post Auream Bullam latæ, & in Comitiis Publicis sancitæ a promulgatæ sunt.* Tertiò, *ex Capitulationibus Imperatoriis, quæ sunt Capita & Articuli, quos Imperator ante Confirmationem se servaturum promittit.*

1. IMperator Romano-Germanicus non fit per successionem sed per electionem. Nam via electioni est melior viâ successionis; quia electio fatuos ac juvenes à gubernaculis Reipublicæ arcet, quos successio sæpius non sine summo Reipublicæ periculo obtrudit quod satis superque probant Historiæ Gallicanæ. *Bernard. de Girard. tr. de l' Estat de France, l. 1. fol. 53. 54. 57 91. & lib. 2. fol.* 140. Unde sapienter dixit olim Romanus quidam Senator: *Dii avertant Principes pueros, & Patres patriæ dici impuberes, & quibus ad subscribendum Magistri Litterarii manus teneant.*

2. Non est eligendus in Imperatorem qui non fi natio

natione Germanus. Tum quia ita obtinuit consuetudo inveterata, *Reink. de Regim. sæcul. class.3. cap.4. Besoldus de success. & elect. diss. n.1.* Tum quia ita ordinavit ac lege sanxit Otto III. Imperator, teste Cuspiniano in Otton. III. Münstero l.3. & aliis, quibus adde Sleidan. *lib.1. Comm.* & Althusium *c.6. in polit.* ubi hanc legem legibus fundamentalibus Imperii accenset.

3. Ad hoc ut aliquis censeatur Germanus, ad electionem Imperii habilis, sufficit eum à Patre Germano progenitum esse, neq; requiritur necessariò, ut in Germania natus sit. *Arg. L. filios, C. de muncip. l.1. ff. eodem l. assumptio. §. filius, ff. eod.* Ita Fridericus II. patriam habuit, non Germaniam, sed Siciliam, quia tamen Patrem habuit Germanum, scilicet Henricum VI. Imperatorem, ideo ad Thronum Imperialem evectus fuit. *Peucer. lib.5. Chronic. in vita Friderici II.*

4. Eligendus in Imperatorem debet esse familiæ illustris. Porrò nomine illustrium familiarum comprehenduntur etiam Baronum & Comitum eminentium stemmata: ex quorum classe ad Imperium evectos legimus Wilhelmum, Rudolphum & Guntherum. *Buxtorff. disc. ad auream Bullam Thesi 31. lit. A.* Quod et vetustus requirit textus apud Goldastum *num.37.* Die Fürsten sollen kiesen einen König / der ein freyer Herr seye / und also frey / daß sein Vatter und Mutter frey seyn gewesen / und nit sollen Mittel-frey seyn.

5. Eligendus in Imperatorem debet esse Laicus, non Clericus. Pro quò facit *c. cum ad verum. dist. 96. Buxtorff. ad Aur. Bull.*

6. Imperator electus omnia Electorum Principum Privilegia, Litteras, Jura, Libertates, Concessiones, antiquas consuetudines, & dignitates, & quidquid ipsi ab Imperio, usque ad diem electionis obtinuerunt,

absque dilatione confirmat. *Aurea Bulla cap. 2.* *§. 5.*

7. Electo Romanorum Regi Capitulationes, hoc est, certa capita, articuli & conditiones de Republica utiliter, & secundùm leges Imperii fundamentales administranda proponuntur, quas electus, antequam confirmetur, se servaturum jurejurando polliceri debet. *Lymnæus de Jur. publ. lib. 1. cap. 13.*

8. Electus Imperator ipso electionis jure suprema jura Principis nanciscitur. *Paurmeist. de jurisd. lib. 2. cap. 4.* quæ in summa, perpetua & absoluta Imperii potestate consistunt: cujus vigore universalis Imperatori in omnes Imperii cives ac subditos competit Jurisdictio.

9. Imperator, utpote supremus Princeps, legibus solutus est, sed non divinis, nec naturalibus; cùm jus naturæ sit potentius ipso principatu; Dei enim jus naturæ lex est, quæ licet ex principiis homini internis profluat, Deo tamen adscribitur; qui ut talia principia in nobis existerent, ipse voluit, ut bene Charron *de la sagesse l. 2. c. 3.*

10. Imperator non est solutus iis legibus, quæ pertinent ad jus gentium, & concernunt pacta atque conventiones, non modò cum externis sed etiam cum civibus initas; his enim non minùs Principem quàm privatos homines obligari, eleganter docet Bodinus, *de Republ. lib. 1. cap. 8. pag. 137. 156.* Nam conventio Principis cum quibuscunque inita mutuam operatur obligationem, *L. Labeo, de V. S.* à qua si se Princeps eximere voluerit, deterrimam faciet conditionem suam, ac tandem à commercio suorum & exterorum, cum summo Reipublicæ detrimento exclusum se sentiet.

11. Fundamentalibus Imperii legibus Imperator solus derogare nequit, ut fatentur omnes. Cujusmo-
d

di lex est verb. grat. in Gallia lex Salica, in Germania vero Capitulario & Aurea Bulla.

12. Imperatorem non ligant leges merè civiles & positivæ. *L. Princeps, ff. de leg. Novell. 105. c. 2. in fin.* Solent tamen pii Principes leges omnes actionum suarum normam statuere, tametsi non obligentur illis.

13. Si Imperator acta sua & placita à successoribus suis observari velit, decens & consultum est, ut & ipse Prædecessorum suorum gesta & statuta observet. Huc facit textus *in c. justitiæ, 25. q. 1.* Hinc prudentes Imperatores etiam pessimorum prædecessorum suorum, utpote crudelium Tyrannorum, acta confirmarunt. Quod de illis actis intelligendum est, quæ intrinsecam non continent pravitatem, neque rectæ rationi aut bonis moribus repugnant.

14. Omnis concessio Imperatoris ita interpretanda est, ut minus eo, quod jure majestatis ipsi convenit, concessum esse intelligatur. *Bodinus de Republ. l. 1. c. 8. Cravett. Consf. 615. num. 6. Otto de Jur. publ. pag. 229.*

15. Imperator alios in partem solicitudinis sæpe, in plenitudinem potestatis nunquam assumere censetur. Hæc enim omnem respuit divisionem, estque veluti sanctum sanctorum, in quod nemo intromittitur, nisi solus Princeps. *Reinck. 1. class. cap. 2. num. 238.*

16. Ad Imperatorem spectat leges universales condere. *L. 1. ff. de const. princ.* quæ ad omnes cives Romanos pertinent; easque interpretatur Imperator *l.* 1. *C. de ll.* atque etiam justa de causa abrogat, cum consilio tamen Statuum Imperii. *Goldastus part. 2. polit. Imper. tit. 1. §. nulla.*

17. Imperator aliquem à lege eximere, eique dispensationem impertiri potest. Hinc legitimat naturales

rales & spurios, etiam Imperii alieni, si in suo territorio existant: quo casu illa legitimatio etiam extra territorium valet; non est tamen extendenda ad bona extra territorium Imperatoris sita; cùm sceptra non sint confundenda. *Rosenthal. de feud. c. 7. conclus. 19. num. 10. Covarruv. part. 2. de spons. cap. 8. §. 8.*

18. Famæ restituere aliquem, solius est Imperatoris. *Heigius p. 2. q. 21. num 21.* Et per hanc restitutionem prior macula ita adimitur, quasi nulla inhonesta vita præcessisset. *L. Imper. C. de nupt. l. 1. C. de ser. passis. l. 1. §. deinde. ff. de postulan.*

19. Solus Imperator Statibus ac Principibus Imperii largitur veniam ætatis: adeò ut nec Cameræ Imperiali hæc potestas collata esse censeatur. *Speid. in notis ad Aur. Bul. cap. 5. fol. 211.* Cæterùm qui veniam ætatis impetravit, non eo ipso fratrum impuberum tutelam administrare potest, nisi ad hoc quoque supplementum ætatis ab Imperatore impetraverit, ut rectè monet Arumæus *vol. 2. disc. 7. consil. 21. n. 133.*

20. Imperator potest concedere inducias moratorias, quas Germani Anstandts-Brieff/oder Quinquennal, Galli *Lettres de respit* appellare solent. Hæ verò litteræ non nisi ob gravem causam conceduntur, & cùm Mercator ex infortunio ita facultatibus lapsus est, ut fidem Mercatoris servare non possit. *L. quoties C. de prec. Imp. off. Refor. Polit. August. de anno 1548. tit.* Von verdorbenen Kauffleuthen. Æquum est autem, ut dicamus, hujusmodi dilationem etiam fidejussoribus patrocinari. *Argum. l. & magis, 4. ff. de solut. l. si fidejussores, §. in princ. ff. de legat. 1.* At contrà mercenarios, qui labore quotidiano se alunt, induciæ moratoriæ denegari solent. *Matth. Stephan. de Juris.*

21. Privilegia, quæ largitur Imperator naturâ suâ sunt revocabilia, si non per modum contractus aut dona-

donationis, sed precariò concessa sunt. Semper enim privilegiis hæc clausula tacitè inesse censetur, *rebus sic stantibus, & in eodem statu permanentibus*: uti docet Besoldus *in delibat. ex lib.*1. *Pandect. quæst.*13. Et fundatur in *c. suggestum, de decimis c.*1. *de cognat. spirit. c. penult. de præcept.*

22. Imperator in Imperio de summis rebus cognoscit & judicat summariè, sublatis omnibus solemnitatibus Juris positivi, *L. apud quem, ff. de manumiss.* Sic solus Imperator in feudis regalem dignitatem annexam habentibus (vulgò Fahn-Lehen / oder Scepter-Lehen) adhibito Consilio Aulico, Reichs-Hoff-Rath / exclusâ Camerâ Imperiali, exclusisque Paribus Curiæ deß Reichs-Mañen / competens Judex est. *Ordin. Camer. part.*2. *tit.* 7.

23. Factum vel exemplum Imperatoris prioris non stringit Imperatorem posteriorem. Nam Princeps, qui jure electionis succedit, antecessoris factum præstare non tenetur, ideò præcisè quia antecessoris factum est, nisi aliunde illud præstandi sit obligatio. *Reink. de Reg. Sæc. & Eccl. lib.*1. *class.*3.

24. Imperator alicui inferiori privilegium de non appellando concedere potest. *l.* 1. §. 2. & 4. *ff. à quibus appellare non licet*, *l.*37. Atque hac ratione appellatio à Electoribus vetatur. *Aur. Bull. tit.*11. Eodemque privilegio gaudent Archiduces Austriæ, Duces Lotharingiæ & Burgundiæ. *Mynss.* 5. *obs.*58. At hoc privilegio non obstante superest remedium supplicationis, quæ & retractatio seu querela recursus appellatur. *Auth. quæ supplicatio, c. de prec. Imp. offerend. l. unic. C. de sent. præf. præt. l. ult.* §. 5. *Cod. de temp. appell. nov.* 119. *c.*15.

25. Solus Imperator majora feuda, die Fahn-Lehen / confert. *Gail* 1. *obs.*1. *num.* 11. Sic Rudolphus I. Imperator, cùm Anno 1282. deficeret Stirps Austriaca,

filium suum Albertum Austriá infeudavit. Unde Archi-
ducum Austriæ Origo. Wurffbain *in Relat. Hist. p. 22*
Solus itidem Imperator prædicta feuda adimit. *Schra-
der. de feud. pag. 9. c. 4. n. 6.* cum consilio tamen Sta-
tuum. *Mayer de Jurisd. sess. 2. posit. 8. lit. K.*

26. Imperator habet jus creandi Doctores, Licentia-
tos, Notarios ac Tabelliones. *Bocerus cap. 2. num.
246. Sixtinus lib. 1. cap. 2. num. 27.* Est autem discri-
men inter hos Doctores, Notarios, &c. & illos, qui
Statibus Imperii auctoritatem habent; eò quòd horum
instrumenta extra territorium prædictorum Statuum
non valeant: eorum verò instrumenta, qui ab Impera-
tore creantur, per totum Imperium vigorem habeant.

27. Ad Imperatorem spectat Summa Imperii præ-
toria instituere: quale est verb. grat. Consilium seu Ju-
dicium Aulicum, item Camera Imperialis, & Dicaste-
rium Rottwilense, das Käyserliche Hoff-Gericht zu
Rotweil.

28. Imperator subditos eorumque bona à Jurisdi-
ctione inferioris Principis subtrahere & eximere ne-
quit. *Paurm. de jurisdict. lib. 2. c. 8.* Tum quia Impera-
tor in capitulatione juramento promittit, Ein jeden
Herrn und Stand bey ihren Hochheiten / Würden
Macht / Gewalt / ꝛc. bleiben zu lassen. Tum quia omnia
Rescripta & Indulta Imperatoria, tacitè clausulàm han
annexam habere censentur, *salvo jure Imperii, & unius
cujusque.* Ita tradit *Gœd. cit. à Beckers lib. 3. cap. 4.*

29. Universalia Imperii Comitia indicit Imperator
non generali, sed speciali edicto singulis Imperii Sta-
tibus transmisso. *Althusius Polit. 33. cap. num. 5.* Ve-
rùm hæc indictio non fit nisi de consensu Electorum.
Et ideo antequam Imperator diem futurorum comi-
tiorum edicat aut promulget, singulos Electores per
litteras consulere solet. *Paurm. de Jurisd. l. 2. c. 2. n. 20.*

30. Po-

30. Poteſt Imperator non modò tempus, ſed etiam locum quemcunque (modò is intra Imperii limites ſit) pro futuris comitiis definire. *Receſſ. Imper. de an.* 1527. §. Und haben derohalben wir.

31. Poteſt Imperator Statibus Imperii ſub gravi pœna præcipere, ut publicis Imperii comitiis perſonaliter interſint. *Receſſ. Imper. de anno* 1522. §. Und wiewohl hoch vonnöthen.

32. Ad feliciorem de propoſitis negotiis, in comitiis publicis, conſultationem, Status S. R. I. in tres claſſes ſe dividere ſolent. Prima eſt Electorum. Secunda eſt Principum, Prælatorum, Abbatum, Comitum, Baronum. Tertia eſt Civitatum Imperialium. Et ſi tres iſtæ Statuum claſſes in votis ac ſententiis proferendis convenire nequeant, & ſingulæ ſingulas tueantur ſententias, tunc res ad Imperatorem deferri, ejusque arbitrio committi ſolet, qui eam plenitudine poteſtatis decidit, ut ſufficienter declarat Receſſus Imperii *de anno* 1544. *verſ.* Als wir aber in der Handlung/ꝛc. Cùm enim Carolus V. in Comitiis Spirenſibus Anno 1544. Status Imperii diſcrepantes in concordiam redigere fruſtra niteretur, Status controverſiam Imperatorio Decreto definiendam eſſe cenſuerunt. Idem factum ſub Ferdinando I. Rege Rom. & Imperatoris Caroli V. Vicarii in Comitiis Auguſtanis 1555. cùm inter Principes Catholicos & Proteſtantes diſſenſio orietur, quid de Epiſcopatibus, Archiepiſcopatibus &c. quos illi tenuerunt, qui à Religione Catholica ad Lutheranam defecerunt, ſtatuendum eſſet.

33. Imperator, annuentibus, vel ſaltem non reluctantibus Imperii Ordinibus ſtatuta in Aurea Bulla contenta mutare poteſt. Certè Marquardus Freherus *de tut. Elect. teſtam. c. 2.* ſeptendecim recitat puncta, à quibus hodie ab Aurea Bulla receſſum eſt.

DISCUR-

DISCURSUS QUADRAGESIMUS TERTIUS.

EX JURE PUBLICO.

De quibusdam illustribus Europaeorum Principum ac Statuum prætensionibus.

NUllum est regnum, nulla respublica, nulla Toparchia, aut Dynastia, quæ non aliquod habeat, u appellant, *Interesse.* Porrò *Interesse* cujuslibet Statû variis nititur prætensionibus. Quæ (ut Theodoru Sprengerus in sua compendiosâ, sed accuratâ illustri um quarundam in Europa gliscentium prætensionum deductione observat) non sunt de privatorum erga stulis, sed magnorum Principum territoriis, quæ e majori difficultate laborant, quòd claustris juris pri vati includi nequeant & plurimùm ab annosâ vetustat petantur.

Atque ut à primo orbis Christiani Capite exordium ducam, Summus Pontifex (ut patet ex Registris Can cellariæ Romanæ Curiæ) prætendit jus in Regna Nea polis, Siciliæ, Arragoniæ, Sardinæ, Jerusalem, Angliæ Hiberniæ & Hungariæ, quæ (ut ait Sprengerus) ho magium Ecclesiæ debent.

Asserit insuper prædictus Auctor 1. Regem Hispania ratione utriusq; Siciliæ servitia feudalia in hodiernum usque diem Romano Pontifici præstare.

Asserit 2. Papam sibi vendicare jus in Regnum Arragoniæ, propter annuum censum aliquot auri pon do, promissum à Petro II. Rege Arragoniæ, cùm in sulas Majoricam & Minoricam, à Saracenis subactas expeditionem pararet.

Asserit 3. Sedem Apostolicam prætendere jus i Sardiniam, quòd Januenses & Pisani consilio Ponti

ficis

icis Saracenis Insulam illam extorserint, eosque à Pa-
pa investituram de illa accepisse constet.

Asserit 4. Romano Pontifici competere jus in reg-
um Hierosolymitanum, propterea quòd Regnum
iciliæ cum prædicto Regno à Friderico I. Siciliæ Rege,
er matrimonium Violantæ conjunctum & unitum
ierit. Cùm itaque Regnum Siciliæ indubitanter
apam ut Dominum agnoscat, licebit idipsum affir-
are de regno Hierosolymitano: cùm accessorium se-
uatur naturam sui principalis. Addit tamen prædi-
us Author hoc argumentum videri lubricum.

Asserit 5. Prætensionem Pontificiam in regna Angliæ
Hiberniæ eo niti fundamento, quòd horum regno-
um Reges anno 1212. se vasallos & tributarios summi
ontificis constituerint. Quod etiam testatur Blon-
us *lib. 6. decad. 2.*

Asserit 6. Jus Pontificium in regnum Hungariæ
mprobari posse testimonio Martæ tract. *de jurisd. p.* 1.
26. affirmantis, Lancellotum Regem Hungariæ
edientiam Papæ promisisse.

Plura alia Sprengerus asserit, vel potiùs asserere vide-
r, cùm reipsa majori conatu prætensiones Pontificias
pugnet, quàm propugnet. Multò fideliùs, pleniùs,
lidiùs, efficacius hoc argumentum pertractat Abraha-
us Bzovius *lib. de Pontif. Rom. c.* 41. ad quem remitto
torem, & interim adduco auctoritatem S. Gregorii,
trimonium Ecclesiæ per Occidentem longè lateque
tens, quo ipse circa annum Christi 600. fruebatur,
monstrantis & declarantis; nimirum quoad Afri-
m, epist. 73. lib. 1. quoad Neapolim, lib. 5. epist 11.
oad Campaniam, lib. 2. epist. 49. quoad Siciliam,
ist. 2. 3. 68. 70. lib 1. & lib. 2. epist. 76. quoad Italiam,
. 1. epist. 23. & lib. 5. epist. 12. & lib. 6. epist. 23. quoad
rdiniam, lib. 1. epist. 60. quoad Dalmatiam, lib. 2.

epist 41. 44. 61. quoad Galliam, lib. 5. epist 5. 6. 10. 55. & lib. 2. epist. 72. quæ omnia & singula à Divo Gr gorio enumerata, an fuerint ex donatione & cessio Constantini M. an verò ex aliorum piorum concessi ne, non anxiè requiro; cùm nonnulla ex his potu rint alio quodam justo titulo Ecclesiæ Romanæ acc dere, certatim contendentibus piissimis Principib Ecclesiam Romanam, juxta pollicitationem divina mammillâ suâ lactare, & in superbiam seculorum e gere. Constat igitur *interesse* Pontificum, seu pr tensiones Ecclesiæ Romanæ in titulo non minùs jus quàm vetusto, fundatas esse.

Rex Hispaniæ prætendit jus in Regnum Lusitan in Catalauniam, in Comitatum Rossilionensem, in D catum Britanniæ & Ducatum Burgundiæ? quar prætensionum deductionem legere licet apud Spre gerum supra citatum.

Rex Franciæ prætendit jus 1. in Regnum Navar hoc titulo, quòd Joannes Rex Navarræ, Regno s jussu Sixti IV. Pontificis Max. privatus, reliquerit He ricum Regem Navarræ, cujus unica filia Joanna nup Antonio Bonbonensi Patri Henrici IV. Regis Franc Ex adverso Rex Hispaniæ, etsi admittat propinquita succedendi in Henrico IV. asserit tamen, se legitima occupandi regni causam accepisse à Pontifice, qui Joa nem excommunicavit, propterea quòd pro Ludovi XII. Rege Galliæ contra ipsum Pontificem militasset

Prætendit 2. Jus in Regnum Neapolitanum ex a quisitione bellicâ Ludovici XII. Regis Franciæ, c Carolo Friderici II. Spurio expulso, Regnum Neap lit. occupavit. Sed Rex Hispanus Summi Pontifi tanquam Domini Regni Neapolitani judicium pro allegat, quo pro Rege Neapolitano agnoscitur.

Prætendit 3. Jus in Regnum Castiliæ, hoc nix

fu

undamento, quòd Henrico Regi Castiliæ soror successerit, quæ filium Ludovicum Sanctum reliquit.

Prætendit 4. Jus in Regnum Portugalliæ; quam prætensionem Sprengerus ait esse longâ vetustate obitam, & à longinquo petitam.

Prætendit 5. Jus in Regnum Arragoniæ. Nam Martinus IV. Papa (inquiunt Galli) Petrum Regem Arragoniæ, vesperarum Sicularum auctorem, eò quòd dominium Regni Neapolitani sibi arrogare voluerit, Regno Arragoniæ privavit, & de illo Carolum Comitem Valensem, vulgò de Valois, Philippi Regis Franciæ filium investivit.

Prætendit 6. jus in Ducatum Mediolanensem, eò quòd Galeatius III. reliquerit Joannem filium, qui improlis duas habuit sorores, Mariam & Valentinam: quarum altera, post mortem primogenitæ, ex provisione Patris, decernentis, ut deficiente stirpe masculinâ, feminina, juxta propinquitatem gradûs, succederet, ducatum sibi arrogavit, quam Ludovicus Dux Aurelianensis duxit. Sed obtenditur ab Hispano 1. quòd dispositio paterna, feudum ex masculino femininum, citra Interessentium, & Imperatoris expressum consensum, facere non potuerit. 2. Quod Ducatus Mediolanensis ab Imperatore (qui illius legitimus Dominus est) investituram acceperit. Constat enim, quòd Carolus V. Imperator Philippum II. filium suum de eo investiverit.

Prætendit 7. in protectionem Genuæ, Carolo VI. Regi Franciæ delatam. Nam Regibus Franciæ jus quæsitum citra causam auferri nequit.

Prætendit 8. in superioritatem Flandriæ, Hannoniæ & Atrebati; eò quòd hi status se semper Regis Galliæ Vasallos professi fuerint. Huic prætensioni opponunt, Hispani Francisci I. Regis Galliæ à Caro-

lo V. in prælio prope Ticinum capti, & in carcere d
tenti, factam renuntiationem in dictarum Provinci
rum ſuperioritatem. Reſpondent Galli, eam renu
tiationem eſſe factam citra conſenſum Parlamen
Pariſienſis, cujus authoritas in alienationibus Reg
interponi debet. *Hoſti. in c. dilecti, de major. &*
bed. Addunt, illam renuntiationem fuiſſe exorta
per metum carceris, adeoque propter coactam volu
tatem, *ex l. 1. ff. quod met. cauſſ.* reſcindi debere. Repl
cat Hiſpanus 1. quòd ignarus fuerit privilegii illius
lius Parlamenti, adeoq; talis ignorantia contractui n
cere non debeat. 2. quòd privilegium allegatum co
cernat alienationes, ſub quibus ſuperioritatis remiſſi
propriè non continetur. 3. quòd metus carceris no
ſit metus juſtus, adeoque contractus carcerati vale
Caſtr. in l. qui a latronibus Bart. in l. qui carcerem
Fulgoſ. conſ. 177.

Prætendit 9. in Nizam Comitatum Ducis Sabau
diæ, ex jure territorii Provincialis; Urbs enim Capi
talis Niza in Provincia ſita eſt. Sed Dux Sabaudi
immemorialem poſſeſſionem, cujus titulum nem
allegare tenetur, pro ſe adducit.

Prætendebat 10. olim in Salutiarum Ducatum,
Italiæ clavem, contra Ducem Sabaudiæ. Hinc gra
viſſimum inter utramque partem exortum bellum
quo Henricus IV. Ducem Sabaudiæ toto penitus Du
catu exuit, eoque illum adegit, ut commutatione Bre
ciæ Galliæ Vicinæ, pro Ducatu Salutiarum, pacem
Gallo redimeret. *Thuan. lib. 125. Hiſt.*

Habent & ſuas prætenſiones Reges Angliæ & pri
mùm quidem in regnum Franciæ: unde etiam ſe Re
ges Franciæ nominant, ideo quòd Caroli VI. Regi
Galliæ filia Eduardo Regi Anglorum nupſerit; cum
que in Carolo VIII. defecerint filii, qui in Coron

Gal-

Gallicā succederent, arbitrantur eam Regibus Anglica-
is tanquam proximis esse debitam. Quibus responsum
st à Gallis, quòd vigore legis Salicæ, femininus sexus
Regni Franciæ sit incapax. Sed non acquiescunt
ngli, censentes jus in lege Gallicana fundatum esse
rationabile, quo feminæ ab hæreditate paterna ex-
luduntur, cùm æqualis natura æquales fratrum &
rorum conditiones desideret, *l. pactum dotal. C. de
llat. 2.* Quod verò attinet ad legem Salicam, ajunt
ngli, se ut exteros eâ obligari non posse, cùm leges
bditos tantùm obligent. Ad primam Anglorum
plicam respondent Galli, allegatam legem *Pactum
tal.* habere duntaxat locum inter privatas personas,
illustribus autem fallere, quas æquitas naturalis ad
nservationem familiarium obligat; ideoque femi-
s ad regnum non admitti, ne hoc per ipsas ad manus
ternas devolvatur, in quorum manibus majorum
ardia videre luctuosum est. Fatentur quidem sta-
tis aliorum populorum posse Principatus in colum
dere (cujusmodi est regnum Hispaniæ, Siciliæ, Lu-
aniæ, Sueciæ) sed ex aliarum Nationum consuetu-
nibus nullum Francis statutum obtrudi posse. Ad al-
ram Anglorum replicam respondent Galli, extraneos,
ales Angli sunt, legibus regni non esse obstrictos,
hilominus tamen quoad bona in territorio statuen-
um sita, illos obligari, ex communi sententia Do-
orum; cùm statuta, quæ non sunt personalia, sed
alia (cujusmodi est statutum legis Salicæ) res ipsas
risdictioni statuentium suppositas efficiant, à quo-
nque possideantur.

Habent insuper Angli tres prætensiones. Prima
spicit immunitatem à Vectigalibus, Regi Daniæ pen-
ndis in transitu angusti maris, vulgò der Sund:
am immunitatem asserunt Angli à Rege Daniæ sibi

concessam esse. Altera prætensio est in Islandiam & Scherlandiam, quæ non ita pridem innotuit, vocaturque à Theodoro Sprengero obscura, eò quòd historici tradant, prædictas duas Insulas semper sub jurisdictione Norwegorum fuisse: imò nullis eas accedere, aut piscationis, aut commerciorum gratiâ nisi speciali impetratâ permissione Regis Norwegiæ, licitum fuisse, docet Isac. Pontan. *in hist. Dan.* Tertia prætensio concernit Hollandos, à quibus Ang propter piscationem halecum in Anglicano Ocean certum aliquod vectigal exigunt, tum quod Rex Angliæ obtineat dominium maris Anglicani, quodque ex teri & peregrini Dominium istud demissione Velorum recognoscere soleant: tum quòd certum vectigal (*Danegeldum* vocant) Regibus Angliæ pro u maris ab omni antiquitate pendi solitum fuerit. Se respondent Hollandi, mare nullum dominium admitere, cùm contra naturam sit, illud dominio subjicer quod propter continuum fluxum & refluxum nullo terminos possessionis admittit, quodque natura i laxum fecit, ut omnibus gentibus ad piscationem suff cere possit.

Rex Poloniæ contra Regem Sueciæ prætendit j in Livoniam, cujus clientelæ se illa quondam subjeci Quam prætensionem elidere conantur Sueci, asserer do Livoniam, antequam in Polonorum protectione veniret, ab Imperatoribus Carolo V. Ferdinando Maximiliano II. patrocinio Gustavi, Erici & Joann Regum Sueciæ commendatam fuisse. *Chytr. l. 28. S xon.* Est autem juris, ut protectio semel accepta pro bitu excuti non possit. Protector enim jus quæsitu habet, quod sine consensu illius tolli nequit. *l. fin. ff. pact.*

Rex Daniæ, tanquam Dux Holsatiæ, sibi vendic

pr

prætenſionem contra Civitatem Hamburgenſem (quæ ſe liberam civitatem imperialem eſſe aſſeverat) propterea quòd in Holſatico territorio ſita ſit, & quæcunq; intra Principis territorii ſepta continentur, ea omnia ipſius jurisdictioni ordinariæ ſubjecta eſſe cenſeantur, c. *omnes baſilicæ* 17. *q*.1. niſi ſingulari beneficio privilegii, aut præſcriptionis libera atq; exempta eſſe doceantur, c. *dilectus de capell.* ita ut præſumptio pro Principe militans, onus probandi in exceptionem allegantem rejiciat. Hamburgenſes è contrario adducunt matricu- lam Imperii de Anno 1521. in qua Hamburgum inter Civitates Imperiales collocatur, cui inſertus tam diu habetur pro ſtatu Imperii, donec contrarium probetur; illa enim quaſi poſſeſſionem ſtatûs probat. *Decian. reſp. 66. n. 5. vol. 3. Cardinal. Thuſc. concl. 674. n. 22.* Cranzius tamen ex Caroli IV. judicio Civitatem Hamburgenſem mixti ſtatûs appellat.

Dux Lotharingiæ prætendit jus in Comitatum Sarewerdanum, tanquam feudum maſculinum Epiſcopatûs Metenſis, per mortem Joannis Jacobi Comitis Sarewerdani, ob defectum maſculorum, ad ſe devolutum. Quòd verò feudum ſit maſculinum, in quo maximè cardo quæſtionis vertitur, ex inveſtitura Conradi Epiſcopi Metenſis, Friderico Comiti de Mors facta, demonſtrare nititur. Accedit, quòd in dubio feudum ſemper præſumatur eſſe maſculinum, ob præſtationem ſervitiorum, quæ de natura feudi eſſe cenſetur. Allegat quoque ſententiam Cameræ factam Anno 1629. quâ ſibi Comitatum Sarwerdanum totum adjudicari cenſet. At Comites Saræpontani, qui cum Duce Lotharingiæ de Comitatu Sarewerdano decertant, negant eum eſſe feudum maſculinum, & pariter negant eſſe feudum Epiſcopatûs Metenſis, ſed ajunt eſſe liberum feudum Imperii, quale in publicata Imperiali ſen-

tentia declaratur. Quod attinet ad ſententiam Camer de Anno 1629. ajunt eam non de Comitatu Sarewerdano, ſed tribus aliis feudis Epiſcopatûs Metenſis intelligendam eſſe.

Dux Sabaudiæ prætendebat olim in Genevam: cujus fundamenta, uti & copioſas exceptiones Genevenſium, qui ſcire deſiderat, legat Limnæum *lib.5. c.14* Prætendit quoque in Ducatum Montisſerratenſem contra Ducem Mantuæ, eò quòd Amedæus Dux Sabaudiæ, Ducem Montisſerratenſem ejectum, in Ducatum reſtituerit; hoc enim beneficio permoti Duce Montisferratenſes, ſe Domui Sabaudiæ ſubjecerun & in ſignum ſubjectionis, nonnulla loca in territori ſuo ſita tradiderunt. E contrario Dux Mantuæ tuetu ſe ſententiâ Caroli V. qua ipſi Ducatus Montisferran tenſis adjudicatus eſſe dicitur. Diu hæc inter Juriſconſultos ventilata fuit quæſtio, ſuper quâ nobile Antoni Fabri pro Duce Sabaudiæ prodiit ſcriptum, donec tan dem inſtrumento pacis Gallico res componeretur; it ut omnia loca, jura, & actiones Montisferrati cum omnibus pertinentiis Duci Sabaudiæ concederentur. Prætendit denique etiam Sabaudus jus in Cyprum, e quòd Philippus Thomaſii tertii Ducis Sabaudiæ filius filiam Principis Achaiæ nomine Jambi duxerit, & occaſione hujus Matrimonii cum Deſpota Græciæ bellum duxerit, qui victus Ducem Sabaudiæ pro vero domino recognovit. Hinc in Sabaudiæ inſignibus cernuntur hæ literæ, F.E.R.T. hoc eſt, *Fortitudo Eju Rhodum Tenuit.* Et etiamnum Dux Sabaudiæ regens titulo Regalis Celſitudinis (*ſon Alteſſe Royale*) condecoratur. Sed Galli tempore Henrici IV. prædicta literas ordine retrogrado ſic expoſuerunt: *Tout Retournera En France*; hoc eſt, *Totum Revertetur ad Franciam*; inſinuantes, Regem Galliæ omnes terras Sabau-

baudicas in poteſtatem ſuam aliquando redactu-
rum.

Inter Duces Brunſwicenſes & Civitatem Brunſwi-
cum antiqua eſt diſceptatio, non ſolùm gladio, verùm
& pennâ diu ventilata: Ducibus ſibi jus in civitatem
arrogantibus, titulo homagii præſtiti & appellationis
devolutæ; Civitate verò pro libertate ſua multa diplo-
mata Imperatoria producente, quibus ſe Imperio im-
mediatè contribuiſſe, fœdera liberè cum Principibus
contraxiſſe, jus telonii habuiſſe oſtendere nititur.
Non diffitetur tamen, quod homagium Ducibus præ-
stiterit, quodque appellationes à Civitate ad Duces
devolutæ fuerint: ſed aſſerit hæc Ducibus non vigo-
re jurisdictionis, verùm ſpecialis virtute privilegii
competere.

Superſunt prætenſiones, concernentes *Intereſſe* ho-
noris & præcedentiæ, quæ paſſim amplam altercandi
materiam præbent. Ut pauca è multis commemo-
rem, Hiſpanus cum Gallo, Anglus cum Hiſpano,
Brunſwicenſes cum Brandeburgicis, Saxo cum Bava-
ro, Haſſus cum Pomerano, Aquisgranum cum Colo-
nia Agrippina, Meſſina in Sicilia cum Palermo, Equi-
tes Florentini cum Melitenſibus, Nobiles immediati
Franconiæ cum civitatibus Imperii liberis, Senenſes
cum Florentinis, Genuenſes cum Senenſibus, pro Jure
seſſionis ſpecioſis admodum argumentis digladian-
tur, quæ vide apud Limnæum de Jure Publico, *tom.*
lib. 4. cap. 9. In Hiſpania Archiepiſcopus Burgenſis
cum Toletano; in Gallia Turonenſis cum Rhemenſi,
Burdegalenſes cum Bituricenſi; In Italia Mediolanenſis
cum Ravennate; In Polonia Epiſcopus Cracovien-
sis cum Archiepiſcopo Gneſnenſi; In Germania Her-
bipolenſis cum Bambergenſi de prærogativa diſce-
ptant. *Vide Sprengerum ſupra citatum.*

DISCURSUS QUADRAGESIMUS QUARTUS.

EX JURE PUBLICO.

De Circulis Imperii.

I.

PRimitùs nonnisi sex circuli in Imperio Romano-Germanico fuêre constituti Augustæ Anno 1500. postea facti sunt decem. An. 1522. Norimbergæ, quod tamen alii Treveris factum asserunt Anno 1511. Porrò per circulum Imperii seu Politiæ Germanicæ nihil aliud intelligitur, quàm magna aliqua regio diversarum vicinarum Provinciarum conjunctione constituta, plures sub se status & Ordines Imperii comprehendens. *Wehner. pract. observ. lit. K. verb.* Kraiß ꝛc. *Besold. Thesaur. Pr. lit. K. num. 37. & 39.*

2. Primus Imperii Circulus est Austriacus, Secundus Burgundicus, Tertius Rhenanus, Quartus Franconicus, Quintus Suevicus, Sextus Bavaricus, Septimus Quatuor Electorum, videlicet Comitis Palatini, & trium Archiepiscoporum, Moguntini, Trevirensis, Coloniensis, Octavus Westphalicus, Nonus Saxoniæ superioris, Decimus Saxoniæ inferioris.

Aliter dividit Circulos Imperii Vagetius *in orbe habitabili*, *fol.* 149. ubi ita scribit: Universum Regionum & Provinciarum omnium, quas complexu suo Imperium ambit, systema in certas sectiones resolvitur, quas circulos vocant; eorumque decem constituti. Primo continetur Franconia; Secundò Noricum & Bavaria; Tertio Austria & Tyrolis; Quarto Alsatia, cum Ducibus Lotharingiæ & Sabaudiæ; Quin-

to Suevia, & Ducatus Würtembergicus, ejusque districtûs civitates liberæ; Sexto Palatinatus Rheni, cum Electoribus Ecclesiasticis; Septimo Westphalia, cum Frisia Orientali, Julia, Clivia & Waldecco; Octavo Saxonia superior, cum Misnia, Lusatia, Marchia Brandeburgica, Pomerania, Principatu Anhaltino, atque Dantisco; Nono Saxonia inferior, cum Magdeburgo, Brunswico, Brema, Meckelburgo, Luneburgo, Holsatia, Lubeca, Hamburgo. Decimum circulum Burgundia superior constituit.

3. Ad Circulum Franconicum, præter alios spectant, & ad Conventum circularem vocantur, Episcopi Bambergensis, Herbipolensis, Eichstettensis: Item Magister Ordinis Teutonici, Marchio Brandeburgicus, Comites Hennebergensis, Castellensis, Wertheimensis, Hohenloe &c. Quibus adde Comites de Schwartzenburg & Horpach &c. Item civitates liberæ Norimberga, Rottenburgum, Winshemium & Schweinfurtum.

Ad circulum Bavaricum pertinent inter alios, Archiepiscopus Salisburgensis, Episcopi, Passaviensis, Frisingensis, Ratisbonensis; Præpositus Bergtesgadensis; Abbates Waldsachsensis, Rodensis &c. Abbatissæ Altmünster, & Obermünster; Dux Bavariæ Landgravius Leuchtenbergicus, Comes de Hage & Comes de Ortenburg, Baro in Stauffen, Baro in Degenberg, Civitates Freystatt & Ratisbona &c.

In Circulo Austriaco sunt duo Ordines, Ecclesiasticorum scilicet & Nobilium. In illo sunt Episcopi Tridentinus, Brixinensis, Viennensis &c. In hoc sunt præter Archiducem Austriæ, varii Proceres, qui videri possunt in Recessu Imper. de Anno 1521. & apud Lymnæum *de Jure Publ. Imp. Rom. lib. cap. 7.*

Ad circulum Suevicum referuntur Episcopi, Curien-

riensis, Constantiensis, Augustanus: Item Abbates, Campidunensis, S. Galli, Salmansweiller, Wingarten, Ochsenhausen, &c. cum Abbatissa Lindaviensi & aliis nonnullis. Atque hic est primus ordo hujus Circuli. Secundus Ordo continet Principes, Ducem Würtembergicum, Marchionem Badensem, Comites ab Helffenstein, Oetingen, Montfort, Fürstenberg &c. In tertio Ordine sunt complures civitates, ut Augusta, Ulma, Bibracum, Lindavia, Ravensburgum, Schaffhusia, Eslinga, Halla Suevica, Donawerda &c.

Circulus Rheni constat tribus etiam Ordinibus: Ecclesiastico, Principali, Civitatum liberarum. In primo sunt Episcopi, Wormatiensis, Spirensis, Argentinensis, Basileensis, Vesuntinus &c. Item Abbates Hirschfeldensis, Murbacensis. In secundo sunt Principes, Duces & Comites sæculares; videlicet Dux Lotharingiæ, Dux Sabaudiæ, Dux Bipontinus, Landgravius Hassiæ; Comes Rheni, Comes Salmensis, Comes Hanoviensis, Comes de Falckenstein, Comes de Wittgenstein &c. In tertio sunt Liberæ Civitates, ut Spira, Wormatia, Francofurtum, Basilea, Colmaria, Schletstadium &c.

In Circulo Electorali, præter Comitem Palatinum seu Electorem Heidelbergensem, sunt Archiepiscopi, Moguntinus, Trevirensis & Coloniensis: Item civitates liberæ, ut Moguntia, Colonia, Treviri: Item Abbas S. Maximini juxta Treviros &c.

Circulus Westphalicus complectitur tres ordines. Ecclesiasticum, Principalem, & Civitatum liberarum. Ecclesiastici sunt Episcopus Paderbornensis, Monasteriensis, Osnabrugensis, Leodiensis &c. Item Abbates Werdensis, Stablonensis, Corbeiensis, Hervordensis, & Abbatissa una Essensis. In ordine sæculari

lati sunt Dux Juliacensis & Montensis, Dux Cliviæ, Comes Embdanus, Comes Manderscheid, Comes à Bentheim, Comes Oldenburgicus &c. Civitates liberæ sunt Colonia, Aquisgranum, Vesalia inferior, Marcodurum, Duysburgum, Hervordia &c.

In Circulo Saxoniæ Superioris primus Ordo est Episcoporum; inter quos est Misnienſis, Mersburgensis, Naumburgicus, Brandeburgensis, Lubecensis: ad quos accedunt Abbas de Salfelt, & Abbatissa de Quedlinburg &c. In secundo Ordine sunt Personæ sæculares; videlicet Dux Saxoniæ Elector, Marchio Brandeburgicus Elector, Dux Pomeraniæ, Princeps Anhaltinus, Comes de Mansfelt, cum aliis compluribus. Tertius ordo est Civitatum liberarum, ut sunt Dantiscum, Elbinga &c.

In Circulo Saxoniæ inferioris eminent inter alios Archiepiscopus Bremensis & Magdeburgensis: Episcopus Hildesheimensis; Rex Daniæ, propter ditiones ad Imperium pertinentes: Dux Brunswicensis, Lawenburgensis, Meckelburgensis &c. Item Civitates liberæ, ut Lubeca, Hamburgum, Gottinga, & aliæ.

Circuli Burgundici Membra principalia sunt præcipui Principes Belgii, Dux Burgundiæ &c. Comites Egmondanus & Hornanus &c. Sed de hac materia accuratiùs alibi? quia allatus Catalogus Statuum sub singulis circulis comprehensorum, præterquam quòd inutilus sit, etiam vetustatem olet; multa autem annis posterioribus in Imperio mutata sunt.

4. Goldastus differens de Regno Bohemiæ *lib.* 1. *c.* 2. *n.* 5. & *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 13. denis Imperii circulis undecimum, ex Statibus Bohemiæ compositum, adjungere conatus est; sed redarguit eum Arumæus *de Comitiis cap.* 2. *num.* 40. quem sequuntur Reinkink *de Regim. Sacul. & Eccles.* 1. *class.* 4. *c.* 2. & Freherus *ad*

Pe-

Petrum de Andlo lib.2. c.2. qui sentiunt, quòd regnum Bohemiæ nulli circulò sit incorporatum, neque etiam ullum per se constituat circulum; cum Rex Bohemiæ nec Status Imperii sit, nec Imperii Recessibus, nec Jurisdictione Cameræ ligetur, sed particularia quædam Jura & privilegia habeat.

5. Ducem Sabaudiæ à circulis Imperii excludit Mille: *in notis ad Martin. Rumelin. Aur. Bull. part.2. dissert.3* Eumque velut oneribus Imperii exemptum, Italici: Imperii Vasallis annumerat.

6. Divisio Imperii in decem circulos ideo facta est ut in Imperio omnia ordinatè decerni, Cameræ jurisdictio meliùs exerceri, contributiones Imperii commodiùs exigi, ac Imperatoris decreta faciliùs execution mandari possint.

7. Quinque res unicuique circulo Imperii in sua regione sunt demandatæ. 1. Cura & defensio pacis publicæ. 2. Executio justitiæ. 3. Contributionum moderatio. 4. Cura monetæ publicæ. 5. Inquisitio de vectigalibus. *Vide Recessus Imperii Anno* 1555. & 1556. His quinque capitibus, quæ singulis circulis demandata sunt cum annexis, adduntur publica cujusq regionis negotia.

Circa prædictas circulorum functiones notandum. 1. Defensionem pacis & tranquillitatis publicæ circulo cuique incumbentem, consistere in comprimendis, sedandis, vel impediendis motibus, & armis, & vi publica, nec non in militum coitionibus profligandis, conscriptione denique & delectu Principum exterorum in regione impediendis. *Vid. Recess. Imper. de Ann. 1555. & 1559. Item* Cammerger. Ordn. *part. 2. tit. 15.*

Notandum 2. Per executionem justitiæ à circulis procurandam, eam intelligi, quæ ob causam pro-

scri-

ſcriptionis & banni à Cæſare, vel Camera Imperiali, circulo viciniori, uni vel pluribus contra proſcriptum eſt demandata. *Receſſ. Imp. de An. 1555. Et* Cammerger. Ordn.*part.3. tit.48. & ſeq.*

Notandum 3. Moderationem contributionum ad illum ſpectare circulum, in quo gravatus ordo ſeu ſtatus domicilium habet. Hic igitur circulus per delegatos inquirit de cauſis gravaminum, iisque auditis, per alios deputatos cauſam decidit. Dubia moderatores, poſt relationem Cæſari factam decidunt. *Receſſ. Imper. de Ann.* 1548. A ſententia autem horum moderatorum ad Comitia deputatorum datur provocatio. *Althuſ. politic. cap.33. num.100.*

Notandum 4. Ab eo circulo, cui cura monetæ publicæ in regione ſua explorandæ eſt commiſſa, Dominos Monetarios conſtitui, & ejus rei causâ conventus quotannis ſemel vel bis haberi in loco, quem circuli Præfectus, der Kraiß-Oberſte deſignaverit. *Receſſ. Imper. de Ann. 1559.*

Notandum 5. Eos, qui monetæ cudendæ jus habent, hoc jure uti in loco vel locis à circulo aſſignatis, *Receſſ. Imp. de Ann. 1570.*

Ut omnia, quæ ad cujuslibet circuli curam & inſpectionem pertinent, debito modo peragantur inſtitui vel indici ſolent conventus circulares, vulgò Kraiß-Täge / quod ad officium eorum Principum, qui vulgò die Kraiß-außſchreibende Fürſten vocantur, pertinet. Conventus autem circulorum vel ſunt generales, vel particulares. Priores ſunt, quando omnes & ſinguli unius circuli Status: poſteriores, quando aliqui ſaltem ex quibuslibet ſcamnis conveniunt. Priores Geſambte oder gantze Kraiß-Täge/ poſteriores Enge Kraiß-Convent appellantur. *Speidelius Obſerv. Jurid. Polit. Hiſt. verb.* Kraiß 2c.

9. Con-

9. Conventus particulares, vulgò die enge Kraiß-Convent, tunc indicuntur, quando negotii gravita[s] celerem requirit expeditionem, nec ea moram admittit. *Speidel. cit.*

10. Conventus circulares ordinariè singulis anni[s] semel minimùm celebrari & institui debent. Quando autem circuli necessitas aliud suadet, possunt indici Conventus quotiescunque necessitas postulaveri[t]. *Receß. Imper. de Ann.* 1570. §. Als wollen wir.

11. Quilibet circuli suas habent singulares constitutiones, vulgò Kraiß-Verfassungen/ubi continentu[r] ea, quæ ad constitutionem, conservationem, & executionem circularium actionum spectant. Ut verò omnia, quæ in hujusmodi ordinationibus comprehensa sunt, eò meliùs executioni mandari possint, ultra Principis, qui vulgò die Kraiß-außschreibende Fürsten appellantur, etiam Capitaneus circuli, vulgò ein Kraiß-Obrister constitui solet.

Variæ autem sunt differentiæ inter Capitaneos circuli & Duces circuli, qui Kraiß-außschreibende Fürsten appellantur. *Primò* enim Capitaneus circuli ab omnibus Statibus circuli eligi debet; quod de Ducibus circuli, postquam semel constituti sunt, non dicitur. *Secundò* Duces circuli perpetui creduntur, Capitanei autem sunt amovibiles. *Tertiò* Capitaneus singulari juramento Statibus obligatus est, secu[s] Duces. Nam officium, das Außschreib-Ambt/ unà cum Directorio ipsis tanquam principalioribus circuli Statibus, in quos nulla suspicionis sinistræ nota cadere potest, certè non debet, absque ejusmodi vinculo seu nexu relinqui solet.

Porrò, cùm diversa sint, officio Directoris & officio Judicis fungi, dicendum est, quòd, sicut Elector Moguntinus, tanquam Archicancellarius Imperii, &

Col-

ollegii Electoralis Decanus, cæteros quidem Coele-
ores convocare potest; & in consiliis Directorium
etere; non ideo tamen jurisdictionem, vel superiori-
tem respectu illorum habet; ita pariter circulorum
uces, præter jus convocandi, convocandi, & diri-
endi, nullam in circulum, vel Constatus circuli
risdictionem habeant; nisi ea vigore alicujus cir-
laris conclusi ipsis singulariter demandata sit; cum
,quæ in circulis conclusa sunt, contra contumaces
ecutioni mandare queant: *Paurmeist. de Jurisd. lib. 2.*
p. 2. num 135. arg. Reichs-Abschied *de anno* 1555.
quo casu id, quod ab ipsis peragitur, non cogni-
, sed potius, & proprie est executio. Itaque extra
minos conclusæ executionis, circuli Duces non
us juris in reliquos Status, quam reliqui Status in Con-
tus suos habent.
12. Circulorum Capitanei, die Kraiß-Obristen/ si
t Personæ dignitate principali fulgentes, ad singu-
e juramentum Statibus præstandum non obligantur
Sie werden bey dem Verspruch Fürstlicher Wür-
n und wahren Worten gelassen) ex quo tamen non
quitur, quod tales majorem licentiam vel potesta-
n habeant, quam alius, qui est minoris conditio-
, & qui ad præscriptam formulam jurare tenetur;
l in effectu ad idem talis Princeps obligatus est, nec
i aliud quidquam, quam corporalis juramenti præ-
tio (a qua alias illustres Personæ, consuetudine in
ermania recepta, liberantur) remittitur. Interim ve-
m est & manet, quod in Principibus aut Illustribus
tris, qui bey Fürstlichen / oder Gräflichen Ehrauen/
lauben / und Worten (ut Germani loquuntur)
em loco juramenti interponunt, nulla sit vel habea-
r differentia a juramento, sed eorum promissiones
o fide factæ; omnino promissionibus juratis,
Nn quoad

quoad omnes effectus æquiparentur. *Speidel. sup. nu*
8. citatus.

13. Tametsi proprium officium Ducis circuli, D
Ampt eines Kraiß-außschreibenden Fürsten (qu
consistit in jure convocandi Status circulares)
distinctum & separatum ab officio Capitanei circ
nec hæc officia confundi debeant; non repugnat
men hæc duo officia in una Persona concurrere & co
jungi. *Ibidem.*

14. Quemadmodum in arbitrio Statuum circu
rium positum est, hunc vel illum pro Capitaneo circ
eligere; ita pariter in arbitrio electi est, istud offici
vel acceptare, vel postmodum ad placitum resigna
Ibidem.

DISCURSUS QUADRAGESIMUS QUINTUS

EX JURE PUBLICO.

De Hansa Teutonica.

1. NOmine Hansæ sive Ansæ Teutonicæ intellig
tur fœdus quoddam sive societas compl
rium civitatum in Germania. Cùm enim il
tum à vicinis Principibus, tum ab Hunnis aliisque ba
baris Gentibus identidem, cum ingenti jactura com
merciorum, & securitatis publicæ detrimento, infest
rentur; societatem inter se conceptis certis quibusda
fœderis capitibus inierunt. Conspirarunt autem in ea
societatem inde à Finnico sinu, qui est in ultimo recess
Maris Balthici usque ad Rheni ostia Urbes præcipu
quarum nomina infra recensebuntur. *Werdenhagii*
de Civitat. Hanseaticis, earumque Juribus & Wehn
Practicar. Observ. lit. H. Besold. in tract. de liber. Impe
civita

civitat. Item in discurs. de fœderib. fol. 24. Carpzovius de Capitul. Cæsar. c. 6. num. 22. Otto de Jur. publ. c. 14. Matth. Stephan. de Jurisd. lib. 2. p. 2.

2. Hanseaticæ sive Anseaticæ dicuntur Civitates, vel à Germanico An-See/ quòd præcipuæ sint maritimæ, sive ad mare sitæ: vel à vocabulo Hansen / quo Germani Heroes denotant, præsertim in Westphalia & Saxonia; unde de iis, qui ultra sortem & conditionem, seu merita sua æstimari cupiunt, dici solet: die wollen grosse Hansen seyn: vel denique à voce Germanica Handelstatt/ quòd in Urbibus Hanseaticis commercia præcipuè vigeant. *Vid. Auctor. citat.*

3. Fœdus Hanseaticum cœpit Anno 1200. ante tempora Friderici II. imperatoris; & ita paulatim excrevit Hanseaticarum civitatum potentia, ut post Annum Christi 1300. Principibus terrori essent. *Auct. cit. juncto Arumæo de Comit. c. 4.*

4. In societatem Hansæ Teutonicæ receptæ sunt eæ duntaxat Civitates, quæ jus habebant portarum suarum claudendarum & aperiendarum, sive illæ Principem agnoscerent, sive omnino liberæ essent. *Ibidem.*

5. Dividitur Hansa Teutonica in 4. Regiones: Lubecensem, Coloniensem, Brunswicensem, & Borussicam: habetque sibi sociatas Urbes 72. nimirum Vandalicas sex, Pomeranicas octo, Borussicas sex, Livonicas tres, Saxonicas tredecim, Westphalicas decem, Clivicas sex, Marchicas septem, Transisalanas tres, Geldricas septem, Frisicas tres. *Ibidem.*

6. Lubeca caput est totius Hansæ Teutonicæ, tum ob facilem accessum (est enim medio penè loco sita) tum ob Urbis Civiumque potentiam. In eâ asservatur Societatis Hanseaticæ Archivum, cum Jure evocandi & convocandi vicinas Urbes. Habet autem junctas civitates Vandalicas quinque, Hamburgum, Ro-

ſtochium, Wiſmariam, Stralſundam & Luneburgum
ac præterea Pomeranicas, Stettinum, Anclemium, Go
navam, Gripswaldam, Colbergam, Stadgardam
Stolpam. *Ibidem.*

7. Colonia Agrippina, quæ Anno 1481. Hanſeatic
rum Urbium numerum acceſſione ſua auxit, prim.
ria eſt ſecundæ Regionis Anſeaticæ Civitas, habe
que ſibi ſociatas civitates Clivienſes & Markenſes, V
ſaliam, Duisburgum, Embricam, Warburgum
Unnam, Hammam: Item Weſtphalicas, Mona
ſterium, Oſnabrugum, Tremoniam, Suſatum, He
fordiam, Paderbornam, Lemgoviam, Bilefeldiam, Li
piam, Cœsfeldiam: Denique etiam Geldricas, Tran
ſiſalanas & Friſicas Septentrionales. Geldricæ ſu
Noviomagum, Zutphania, Ruremunda, Arnhemium
Venloa, Elburgum, Hadervvicum. Tranſiſalanæ, ſu
Daventria, Campi & Swolla. Friſicæ Septentrional
ſunt Groninga, Bolswerdia, Stavera. *Ibidem.*

8. Brunſwica primaria tertiæ Regionis Hanſea
ticæ Civitas, habet ſub ſe Urbes Saxonicas, Magdebu
gum, Goslariam, Embecam, Gottingam, Hilde
hemium, Hanoveram, Ulſam, Buxtehudam, Stadam
Bremam, Hammeliam, Mindam. *Ibidem.*

9. Dantiſcum, primaria Boruſſiæ civitas, habet ſu
ſe varias urbes Hanſeatico fœderi innexas; videlice
Regiomontum, Colmariam, Toruniam, Elbingam
Brunsbergam: item Livonicas Urbes Rigam, Dorpa
tum, & Revaliam: quæ Germanicâ, reliquæ Slavoni
câ utuntur linguâ. Accedit Berga in Norwegia, qu
& ipſa Juris eſt Hanſeatici. *Ibid.*

10. Multa Hanſæ Teutonicæ præclara facinora com
memorat Cranzius *in Hiſt. Wandal.* Hoc certè com
pertum eſt, Hanſeaticarum ope Civitatum gravia bell
olim fuiſſe compoſita, diſcordias vicinorum Regum
Prin

Principumque ſopitas, pacem reſtitutam, quòd ma-
num cederetur momentum ipſarum potentia allatura,
ſe alterutri parti adjunxiſſent: ut proinde meritò
Hanſa Teutonica ſequeſtra pacis, publicæque per Ger-
maniam tranquillitatis conciliatrix multis jam ſæculis
abita ſit. *Ibidem.*

11. Hanſeaticarum civitatum ope & operâ ad Bel-
as, Anglos, Gallos, Hiſpanos, Italos, merces defe-
antur neceſſariæ, ut triticum, ſiligo, lana, cera, co-
um, cannabis, linum, pix ſolida & liquida, chalybs,
rrum, piſces aridi, ſalſamenta, trabes quernæ & abie-
næ, mali, & quidquid præterea terræ Septentrionales
uſum generis humani benignè ſuppeditant. Ut-
ue commodior eſſet mercium iſtarum per reliquum
bem diſtributio, impetrarunt diverſis in locis Jus
ſtitorium, conſtructis illic ad comercia exercenda in-
entibus ædificiis, & obtentis variis privilegiis. Qua-
or autem fuêre hujuſmodi primaria Emporia: No-
ogrod in Ruſſia, Londinum in Britannia, Brugæ in
elgica, & Bergæ in Norwegia. Hiſce in Urbibus
erum erat omnibus illis, qui in Urbibus Anſeaticis
ti erant, commorari, mercaturam exercere, & pri-
legiis frui ſocietatis Teutonicæ, juxta leges ad eam
m, à reliquis Urbibus ipſarumque Legatis de publicâ
ntentia conſtitutas. *Ibidem.*

12. Quamvis Hanſa Teutonica primis centum an-
s in formidabilem Regibus ac Principibus, quorum
eneficiis nata erat, potentiam excreviſſet, bella quo-
ue pro tuendis immunitatibus ſibi conceſſis cum Da-
s, Anglis, Suecis, aliisque populis magnâ felicitate
eſſiſſet; poſt annum tamen 1550. (quæ humanarum
rum eſt viciſſitudo) ſenſim cœpit deficere; ita ut
rca Annum 1560. animam prope agere viſa fuerit.
ctum quidem deinceps Anno 1571. de inſtauranda

hac ſocietate, & renovando fœdere, formula quoq; fœderis nova in Conventu propoſita Anno 1579. ſe pauci in eam conſenſerunt. Demum Anno 160 novæ Hanſeatici fœderis leges conſcriptæ, magniqu conatus adhibiti fuerunt ad reſtituendum Hanſæ Teu tonicæ vigorem priſtinum; ſed labori non corre ſpondit ſucceſſus; ita ut illa olim grandis, & totâ Euro pâ celeberrima ſocietas ad pauculas Urbes redact ſit. *Conringius de Judiciis Reipublicæ Germa Theſ.* 102.

DISCURSUS QUADRAGESIMUS SEXTUS.

EX JURE PUBLICO.

De Nobilibus, Baronibus, & Comitibus.

1. NObilis exercens officium tabellionatûs, vel me caturam, privilegia nobilitatis perdit. *Alſte in Encyc.*

2. Naturales liberi nobilitate Parentum non coh neſtantur. *Alſted. cit.*

3. Nobiles immunes ſunt à muneribus public *l. honorem. ff. de muner. & honor.* Tiraquell. *de nobil c. 20. num. 168. l. præcipimus. l. ſenatorem. l. quonia Cod. de dignitat. lib. 12.*

4. Nobilis non eſt detinendus in carceribus pr pter debita. Molin. *de Juſtitia tract. 2. diſp. 571. num.* Secus, ſi renuntiet huic privilegio. *Garci. de nobil gloſſ. 6. num.* 18.

5. Nobilibus pœna triremium infligi non pote Aloyſ. Riccius *in praxi rer. for. Eccleſ. deciſ.* 588. *n. 5. deciſ. Cur. Archiep. Neapolit. p. 2. deciſ. 93.* Idem pr cedit in filiis doctorum *Ibid. deciſ. 279. n. 2.*

6. Nob

6. Nobili dicenti se habere mandatum creditur abs-
e alia probatione. Tiraquell. *de nobil. cap. 20. num. 39.*
7. Nobilis potest renuntiare privilegiis Nobilita-
. Barbos. *in l. alia. §. eleganter. n. 13. ff. soluto matrim.*
8. Si Pater sit ignobilis, & Mater nobilis, filius se-
itur qualitatem Patris. Tiraquell. *de nobilit. cap. 18.*
m. 20. E contrario nobilitatem non amittunt filii
ti ex Patre nobili, licet Mater sit ignobilis, ut infra
cetur n. 20.
9. Habens filium Episcopum gaudet ob filii dig-
tatem prærogetivâ nobilitatis, ut non repetetur ple-
jus. *Barbosa civitatus.*
10. Nobiles regulariter à collectarum onere non
it immunes. *Klock. de contribut. conclus.* 38.. Quan-
am id à Voluntate Principum ut plurimùm depen-
t. Unde Reink. *class. 5. lib. 1. c. 4.* testatur Nobiles in
issia ratione illorum prædiorum, quæ ipsi sub cura
ratro suo habent, à Collectarum onere & præsta-
ne immunes esse, non verò ratione illorum quos
loni colunt. Verùm immunitas ista, quocunque
mum modo comparata fuerit, non habet locum, si
cessitas, quæ vim legis solvit, emerserit. *Wintzler*
Collect. obser. 14.
11. Libera & immediata Imperii Romano-Germa-
i Nobilitas ideo talis dicitur, quia immediatè sub-
cta Cæsari, & à Principum reliquorum potestate li-
ra est. Sunt enim ejusmodi Nobiles, Imperii cives
mediati, nullum Imperii Statum pro superiore a-
oscentes; & licet in territoriis Principum habitent,
n sunt tamen eorum Landsassii, sed solum Impera-
rem habent superiorem. *Besold. disc. de Ord. equest.*
. Solent autem hi Nobiles vulgò in Germania vo-
ri, die Freye Reichs von Adel / die Freye Ritter-
afft / die Freye ohnmittelbahre Ritterschafft.

12. Immediati Nobiles Imperii, licèt à Principibu
aliisque Statibus Imperii Feuda habeant, coram i
tamen non solent comparere, nisi ratione causarur
feudalium: in cæteris judices singulares habent, vide
licet Dicasteria Imperialia, ut Austregarum &c. *Beso*
dus sup. citat.

13. Libera & immediata Imperii Nobilitas divid
tur in tres classes, Franconicam, Suevicam & Rhena
nam. *Recess. Imper. Aug. de Anno 1500.*

14. Olim Nobilitas libera & immediata Imperii era
Status Imperii, & ejusmodi Nobiles cum aliis Imper
Principibus ad Comitia vocabantur, uti apparet e
Bulla Sigismundi Imp. §. 2. & 4. à Goldasto *tom. 1. Cons*
Imper. relata, uti etiam ex prooemio Aur. Bull
circa fin. Hodie verò isti Nobiles non numeran
tur inter Status Imperii, nec Comitiis intersunt. *Spe*
del. in Notis ad Aur. Bull. Finitis verò Comiti
charitativum subsidium ab ipsis peti solet, verb. gra
contra Turcas &c. uti factum post Comitia Augustan
Anno 1500.

15. Constitutiones Imperiales de Immediatis lo
quentes, comprehendunt etiam liberam & immedia
tam Imperii nobilitatem, *Bidenbach in Nobil. quas*
4. num. 1.

16. Sunt quidam in Imperio Nobiles immediat
qui licet nulla libera bona, castra &c. habeant, tame
ratione suæ personæ, ordinariæque subjectionis, nul
nisi Cæsari immediatè subsunt; ideoque non nisi i
Camera Spirensi, Consilio Aulico Viennensi, aut Di
casterio Rotvvilensi conveniri possunt, vocantur
que Freye Reichs von Adel. *Reinck. 1. class. 5. c. 10.*
33. Quod ut melius intelligatur, notandum est, pri
vilegia & Jura Nobilium in Imperio alia esse persona
lia, alia realia. Illa personam comitantur; Hæ
ipsi

ipſis bonis adhærent & quoſcunq ſubſequuntur poſſeſſores. Unde ſi Nobiles Civitatum incolæ ſint, aut bona non libera poſſideant, jurisdictionem, atque onera, niſi ſpecialiter exempti ſint, pati coguntur. Quæ tamen ad onera perſonalia non ſunt extendenda, cum ratione perſonæ ſint Imperatori immediatè ſubjecti. Raró autem ipſis feuda, aut jus incolatus, ſine onere ſubjectionis, aut multiplici libertatis reſtrictione concedi ſolent. *Beckers in Synopſ. Jur. publici lib. 3. cap. 10.*

17. Non omnes in Franconia, Suevia, Rhenanaque Provincia Nobiles ſunt liberi, ſed ii tantùm, qui nullum Principem, aut Statum Imperii ſuperiorem agnoſcunt, nobiliaque & libera bona poſſident, eoque reſpectu Imperatori, Imperioque ſoli parent, neque alibi, niſi in den gemeinen Ritterſchafft-Kaſten (ut ipſi vocant) contribuere aliquid conſueverunt. Cæterùm multi ſunt in iis locis Nobiles, qui vigore certorum contractuum, Principibus, in quorum territorio ſunt, parent, iisque homagium & ſubjectionis juramentum præſtant. *Beckers loc. cit.*

18. Nobilium appellatione generali, etiam Duces, Comites, Barones veniunt. *c. conſtitutis extr. de teſtib. c. grandi de ſupplend. negl. Prælat. lib. 6. Tiraquell. de nobilitate c. 6. n. 15.*

19. Licet Nobilis in uno Regno, non ſit habendus pro Nobili in altero; *Baldus conſ. 387. col. 1. l. 1.* eò quòd vis indulti tribuentis non excedat territorium, conſuetudine tamen receptum eſt, ut pro tali habeatur. *Anton. Faber in Cod. l. 9. tit. 28. defin. 12. n 9.* Omnium enim Principum intereſt, ut ſingulorum majeſtas à cæteris omnibus comiter obſervetur.

20. Ad hoc, ut aliquis genere Nobilis dici poſſit, ſufficit Patrem ſolum habere Nobilem, quamvis Mater ſit plebeja. Facit *l. cum legitimæ, 19. de ſtat. hom.*

hom. l. Eos, 22. c. de decur. l. liberos, 10. ff. de Senator. Et qui ſunt tales, iisdem quibus alii Nobiles, Patrem Matremque nobilem habentes, privilegiis ac imunitatibus gaudent; niſi ſpeciali pacto, aut conſtitutione, à ſucceſſione, aliisve juribus prohibeantur. Unde ad hoc, ut filii nati ex Matre ignobili, à ſucceſſione repellantur, pactum ſpeciale requiritur. *Tiraquellus de Nobilitate cap. 17. & 18.* Quamvis negari non poſſit, nobilitatem paternam, adjectâ Maternâ, fieri ſplendidiorem.

21. Ex antiquiſſima Germaniæ conſuetudine, Nobiles à præſtatione vectigalium ſunt immunes. *Koppen deciſ. 61. n. 4. part. 1. Bidenbach. quæſt. Nobil.* 18. Hanc tamen conſuetudinem multis in locis eviluiſſe taſtatur Nolden. *de Nobil. c. 16. num. 42.*

22. Exercitium artis mechanicæ non ubique derogare Nobilitati, teſtatur Danæus *de Polit. Chriſtian. lib. 2. cap. 6.* ubi ſcribit, in Gallia artem vitriariam absque ignominia & nobilitatis imminutione à Nobilibus exerceri.

23. Imperatoris beneficio creat Nobiles Rex Bohemiæ in Bohemia, & incorporatis Bohemiæ Provinciis, Moravia, Luſatia, Sileſia: ubi ad quatuor primarios Baronatus nemo admittitur, niſi vel ab Imperatore, vel à Rege Bohemiæ Baro fuerit creatus. *Cura in deſcript. Sileſ. part. 2.*

24. In laudem Germanicæ Nobilitatis (inquit Speidelius *in Specul. Jurid. Polit. Hiſt. obſerv.*) hoc omnino ſciendum eſt, eam antiquiſſimam eſſe. Cujus antiquitatis argumentum maximum eſt, quòd inter Hiſpanos, Gallos, Anglos, Belgas, populos omnium mortalium judicio excelſiſſimos, ut quisque nobiliſſimus eſt, ita ad aliquam Germanorum gentem ſtirpis ſuæ antiquitatem refert.

In Hi-

In Hispania certè Nobilitatis flos originem suam à Germanica Gothorum gente repetit. Illis enim longo tempore tota paruit usque ad Annum salutis MCCXX. quo Saracenos successores nacti sunt Gothi.

Gallia, ut libertatis, ita Nobilitatis suæ initium, clarissimis Germanorum Francis, debere se fatetur, quid quid nonnulli oggänniant.

Anglos autem & Belgas Teutonicæ originis esse nemo negat, nisi qui dialectos ignorat. Et Angli quidem à Saxonibus oriundi, & nomen & linguam ab ipsis mutuati sunt. Contra Hunnos enim opitulatum à Britannis acciti Saxones, loci amœnitate illecti, accersitis popularibus, propriis sedibus incolas exegerunt. Quo tempore, scilicet Anno CDXLIX. Britannia à Saxoiæ populo ita dicto, *Angliæ* nomen obtinuit. *Belgæ* autem maxima ex parte à Cimbris citerioribus, seu Transalpinis propagati sunt. *Vide Jacobum Vagerium de orbe habitab.*

His addo, quæ Lansius *in consustat. de principat. inter Provinc. Europ.* in laudem Nobilitatis Germanicæ sequentibus scribit verbis.

Ut Imperator noster inter omnes orbis Principes, est primus & Princeps, ita patriæ nostræ Nobilitas, quæ ab Illo, ut à scaturigine descendit, & ad omnem virtutem irrigatur, meritò primas tenet, neque ullo modo peregrino indiget splendore. Quin cum propagato Imperio ubivis terrarum Colonias Nobilitatis suæ collocavêre majores nostri: ut laterem lavent, qui in Italia Nobilitatum origines quærunt. Quippe etenim Germania cepit Italiam, non Italia Germaniam; Germania præfecit Italiæ Duces, Comites, Præsides, Juridicos & non semel immisit populorum & unà Nobilium examina: nihil tale vicissim accepit Germania ex Italia? nisi forsitan illos

cives

cives suos aliquando recepit, aut interdum victores Germani ex Italia captivorum multitudinem ad operas domum misêre. Nam ex Variana tantùm clade, quàm multos splendidissimè natos, Senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depressit; alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecêre Germani. Et fortassis hodieque multi in rustica Westphalorum plebe reperiuntur, qui præcipuas consulares, & Cæsareas veteris Romæ familias agnatione attingunt.

Scimus alioquin Romanas consulares familias hodie superesse nullas. Profectò nusquam gentium est Familia Junia, nusquam Valeria Publicolarum, Maximorum & Messalarum; nusquam Lucretia, Horatia, Posthumia, Menenia, Cassia, Virginia, Sulpitia, Veturia, Clælia, Sempronia, Servilia, Furia, Fabia. Cornelia, Æmilia, Manlia, Quinctia, Papyria, Sergia, Licinia, Mutia, Hortensia, Fulvia, Fabricia, Curia, Catoniana, Aquilia, Plautia, Livia, Decia, Claudia &c. Ubi nunc prosapia Paullorum, Lepidorum, Cincinnatorum, Crassorum, Scipionum, Syllarum, Mariorum, Clodiorum, Brutorum, Regulorum, Marcellorum, Lentulorum, Flaccorum, Cæpionum, Gracchorum, Lucullorum, Scaurorum, Murænarum, Pompejorum, & quidquid tandem ad hanc classem evocari potest?

Sed neque ex Veterum Regum, atque Imperatorum sanguine superest quispiam, qui avorum suorum nobilitate gloriari possit. Julii enim nulli, Octavii nulli, nulli Domitii Athenobarbi, nulli Vespasiani, Antonini nulli, Severi nulli; emortui sunt omnes, & in cineribus hospitantur.

Germanica verò nobilitas etiamnum viget & floret, neque vespillonum operâ indiget: ipsismet Italis non obscu-

obſcurè illius gloriam extollentibus: Certè Antonius Campanus *in oratione Ratisbonenſi*, Veſtra, inquit, Nobilitas totum penè orbem, ut fons uberrimus inundavit, ut nulla gens, nulla regio ſſit, quæ non nobilitatem ſuam à vobis habere gaudeat, & glorietur. Et Æneas Sylvius: Ita agamus, ait, ut potiùs Germani, quam Itali nuncupemur: &, ſi parum poſſemus, ſtudia tamen noſtra ſemper huc dirigamus, ut inclytæ nationi emper mos à nobis geratur.

Nec aliter Itali, ſi veritati agnitæ refragari non velint, oqui poſſunt. Cùm hodie nobiliſſimi quique ex il-s, aut Germanorum nepotes ſint, aut certè fortunam uam omnem, ac ſplendorem Germanis debeant. Drigine autem veri & indubitati Germani ſunt, uti alico ſermone denominantur, *Signori de Collalto, dell Scala, di Caſtel Barco, della Rovere, di Beccaria, elCarretto di Montefeltro, di Porcia, Azzoni & Augari, ij, Carrareſi, Bolchetti, Cartaſi, Roſſi, Landriani. Caaccioli, Farneſi, Bentivogli, Brancaleoni, Gonzaghi, abrilli, Pallavicini, Roverelli, Malateſti, Correggi, oſtanti, Soardi, Savorgnani*, cum multis aliis.

Ita quidquid Itali in Nobilitatis ſuæ honorem manificè dicant, faciantve, ſemper in partem laudis Paes Germani venient.

Et idem gratitudinis vinculum Europam tenet unierſam. Nam laudent Polonia, Dania, Suecia, Rees ſuos: illa Religioſiſſimum Sigiſmundum, iſta fortiſnum Chriſtianum, hæc generoſiſſimum Guſtavum dolphum: unà tamen cogitent, illos, & ferè omnes orum cives, veros Germanos eſſe; atque olim Imeratores noſtros aliquot eorum deceſſoribus ſumma egii culminis axiomata donaviſſe.

Jactitet etiam magna Britannia, illa Angliæ, Scotiæ Hiberniæ, nobilium Regnorum triga, incompara-

bilis

bilis Jacobi sui illustrissimas virtutes, & præterea i Principes, Comites, Barones, & Equites suos præco nia decantet: sed meminerit simul, illorum majore invictos Germanos, Saxones & Normannos fuisse quibus hæc princeps cura erat, ut posteris summæ for titudinis, laudatæ justitiæ, & opulentam omnium vir tutum hereditatem relinquerent.

Hispania quoque nobilitati ac Regibus suis prima tum poscat: sed interim expendat sedulo, & ignar discat, gnara fateatur, Suevos Vandalos, Alanos Go thos, Hispaniam domuisse, hodieque Austriacos, ho est, Germanos, ibi rerum potiri.

Gallia insuper decora sua, & XII. sæculorum Regnum ostentet, eoque nomine aliis nationibus novitios, & nudius tertius sumtos titulos objiciat, ac toto heroum exercitus ex sua Nobilitate consarcinet, in que Orbis theatro ad Venerationem aliis proponat Sed eâdem opera observantiam parentibus Germani debitam ne neget, atque testificetur, maximam su partem à Francis, aliisque Teutonibus hodie habitari: quin etiam publicâ grataque voce denuncie universis, Germaniam per XII. (& ampliùs) sæcula Gallis imperavisse, & tres Regnum Ordines successivè, per *Merovæum* Francum, Merovingos, pe *Carolum M.* Ingelheimensem, Carolingios, & pe *Hugonem Capetum*, Magni Witikindi Saxonis trinepotem, Capevingios (ex quibus Ludovicus XIII nuper Gallico Imperio præfuit) sceptro Gallico admovisse. Ita quidquid extra Germaniam nobile & generosum est, id prope totum dignitatis suæ splendorem Germanis debet.

25. Quemadmodum Nobilitas Germanica Polonicam nobilitate, ita Polonica Germanicam libertat superat. Faciunt Poloni nobiles quod ipsis placet, &

con-

converſantur cum Rege ſuo non tantùm veluti cognati (quod faciunt Galli) ſed etiam veluti fratres. Decreta verò Regis Poloniæ in æſtimatione Nobilium non durant ultra tres dies, ut ipſimet fatentur, *teſte Nicolao Bello, polit. diſſert: de ſtatu Imper. tom. 1. diſc. 22.*

26. Dignitatem & officium Comitum doctiſſimi viri ab antiquis Germanis deducunt, ſuamque opinionem fundant in Tacito, qui *de moribus German.* ſic ſcribit: *Eliguntur in iisdem Conſiliis & Principes, qui jura per pagos vicosque reddunt. Centenis ſingulis ex plebe Comites, conſilium ſimul & autoritas adſunt.* Itaque dignitas & appellatio Comitum antiquiſſima eſt. *Beſoldus diſſert. de Comit. & Baronib. Imper. §. 1.*

27. Vox Comitis à comitando & ſequendo oritur. *L. item apud Labeonem. §. Comitem. ff. de injur.* Nam apud Romanos illi, qui Principem ſequebantur, ejusque lateri adhærebant, Comites dicebantur. Atque hi tanto numero Principem comitabantur, ut Aula ſeu Reſidentia Principis Comitatus cœperit appellari. *Marquardus Freherus de Origin. Palat. c. 1. initio.* Ex quorum numero Præfecti Provinciarum conſtituebantur. *Beſold. ſup. cit. §. 2.*

28. Noſtris moribus ille propriè Comes Imperii dicitur, qui Comitatum cum ſublimi territorii jure, ab Imperatore, vel alio ſuperiorem non recognoſcente in feudum, vel allodium accepit. *Beckers in ſynopſ. jur. publ. lib. 3. cap. 8.* vel certè tempore immemoriali illud jus acquiſivit: ut Comites ab Oettingen & Zollern ꝛc. *Paurmeiſt, de Jurisd. lib. 2. cap. 10. num. 15.*

29. Multi ſunt Comites, qui de Comitatu non ſunt inveſtiti, ſed à caſtris, quæ poſſident, longo temporis uſu, denominationis iſtius titulos acquiſiverunt. *Beckers ſup. citat.*

30. Sunt quidam Comites & Barones in Imperio, qui

qui suum Comitatum & Baronatum non habent im-
mediatè ab Imperio; sed sub aliorum Principum a
Imperii Statuum jurisdictione bona possident, qua
salvo jure eorum Principum, quorum veri suntLand
sassi, in Comitatum erecta fuere. *Matth. de Afflict*
in Tit. quis dicat. Dux & Comes, Col.3. in fin.

31. Qui est Comes & Baro, Comitem simplicem
in Sessione præcedit. *Bald. l. sed & milites, in princ. ff*
de excus.

32. Etiamsi Comes aliquis sit decies Comes, non
ideò tamen præfertur Duci: nec is, qui decies Dux est
ob hoc præcisè anteponitur alteri, qui in majori di-
gnitate seu altiori ordine constitutus est. Unde im
meritò Carolus Dux Burgundiæ, per Legatos suos, i
Comitiis publicis, Electoribus Imperii præferri petiit
quòd sexies Dux, quindecies Comes esset. Fundatu
hæc doctrina in illo axiomate Philosophico: *In iis, qu*
toto ordine differunt, supremum infimi non attingit in
fimum supremi.

DISCURSUS QUADRAGESIMUS SEPTIMUS

EX POLITICA

In quo traditur Regula generalis, ad regendam Rempublicam deserviens.

PRÆFATIUNCULA.

POLITICA *est Scientia rectè gubernandi Rem-*
publicam, habetque pro objecto principali Ratio
nem Statûs, *hoc est, Idolum, quod adoratur à Re*
gibus: Cui si Religionem, si conscientiam, si divina glori
incre

ncrementum postponant, non dubito, eos verissimos Idolo-latras appellare.

PRæsens dissertatio complectitur quandam Regulam fundamentalem & universalem, ex Augustissimi Cæsaris LEOPOLDI PRIMI Symbolo, CONSILIO ET INDUSTRIA, desumptam, quæ ad omnem Reipublicæ gubernationem non minùs est utilis, quàm necessaria.

Certè inter Regulas Archonticas, hoc est, ad regimen & gubernationem spectantes, principatum obtinet hæc Regula Cæsarea, CONSILIO ET INDUSTRIA, à Sapientissimo Imperatore nostro LEOPOLDO felicissimè hactenus usurpata: cujus vis & energia in eo consistit, ut negotia omnia, Reipublicæ incolumitatem concernentia, CONSILIO ET INDUSTRIA præveniamus, CONSILIO ET INDUSTRIA comitemur, CONSILIO ET INDUSTRIA subsequamur.

Enimverò hæc Regula, si dignitatem spectes, præcipua: si Originem, nobilissima: si eventum, fortunatissima: si consuetudinem, receptissima: si usurpationem, generalissima: si denique fructum, fœcundissima censeri debet.

Hujus Regulæ Archonticæ ductum secutus LEOPOLDUS PRIMUS Imperator, Clementissimus Princeps noster, idemque Populorum Gubernator prudentissimus ac fortunatissimus, Sapientiæ suæ famam longè lateque dispersit apud exteros, amoris tributum copiosissimè collegit apud domesticos, tra Barbarorum pectora implevit metu; necessa-s fœderibus stabilivit Imperium, æmulationis exar-avit ferociam, religionis erexit fiduciam, impro-tati indixit exilium, rebellionis castigavit protei-am, servivit tempori prudenter, ne servire cogeretur

tempestati infeliciter, futura omnia prospexit, tan commoda, quàm incommoda: hæc, ut averte ret à suis: illa, ut converteret in suos; etenim salu tem suorum suam, damna suorum sua reputans, ita sem per studuit hactenus, & studet etiamnum commodi singulorum, tanquam si genitus non esset suis.

Ne verò quisquam sibi persuadeat, hæc Regulæ præ dictæ encomia, magnificè potiùs, quàm verè à me pro lata esse, considerare libet multiplices, eosque præ stantissimos effectus, qui ex CONSILIO ET INDU STRIA, ad Regnorum & Rerumpublicarum utilita tem promanarunt. Neque enim est accommoda tior rem quampiam cognoscendi modus, quàm in vestigatio effectuum, qui ex ea oriuntur. Quem admodum enim impressa ferarum vestigia, quæ ad sunt, feras ipsas, quæ absunt: & index horologii, qu cernitur, latentium motus rotularum, qui non cer nuntur, manifestant; ita pariter notitia effectuum pa rit notitiam causarum: ut de his, etiam nullo sensuun indicio proditis, disserere, earumque declarare na turam possimus.

Porrò in hac dissertatione non multiplico Regula & Dictamina, sed unicam duntaxat, eamque i CONSILIO ET INDUSTRIA consistentem, & multis illustratam historiis, statuo Regulam quam uti compendiosissimam, ita pariter expe ditissimam, & ad regendam Rempublicam sufficien tissimam esse censeo. Longum est enim iter per præ cepta, breve per exempla. Illa ducunt, hæc trahunt Illa suadent, hæc persuadent; Illa eminùs ostendun facienda, hæc cominùs demonstrant facta.

CON.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS PRIMUS.

Aditus ad Principatum Consilio & Industria *paratus, & declinata æmulorum invidia.*

MUlti, ut scopulum invidiæ Imperaturis periculosum devitarent, simulque aditum ad Prinpatum sibi pararent, consultò abstinuerunt ab invi-iosis Regum Principumque titulis, & humaniter enevoleque populum, cui imperare cupiebant, tra-arunt. Quâ lenitate ac modestia tandem & titulos nperii, & Imperium ipsum consecuti sunt.

Carolus Martellus cum Franciæ Regnum non af-ctaret modò, sed revera etiam teneret, Regios titu-s aversatus est: Princeps Nobilitatis appellari con-ntus. Qua arte Pipino Filio Regnum obtinuit. *Emilianus lib.* 1.

Ulricus Grethanus Primus Frisiæ Orientalis Co-es, cùm eam dignitatem ab Imperatore Friderico . inscio Frisiorum populo accepisset, nec Diploma esareum in lucem producere, aut profiteri novum norem apud ferocem & libertatis retinentissimum pulum auderet; tempori serviendum & occasio-m commodiorem exspectandam existimavit. In-im à priori vivendi instituto minimè recessit: co-s, benignus, placidus erga omnes: non Domini, l Rectoris Frisiæ Orientalis nomen præferre: Co-tis titulum prorsus dissimulare, Generosi appella-nem interdum admittere, interdum ne hanc qui-m poscere: denique talem se exhibere, ut authori-e potiùs, quàm Imperio regere, sæpiusque litium iter, quàm Judex esse videretur. Quibus arti-

bus effectum eſt, ut admirabili ſtudio & ipſum,
poſteros ejus populus ſemper proſecutus fuerit. *Ub*
Emmius lib. 24. hiſt. Friſ.

Georgius Pogiebrachius mortuo Ladislao Rex Bo
hemiæ creatus eſt, non ſine Procerum reliquorum
qui opibus & nobilitate præſtabant, invidia: ad qua
declinandam, iis multum indulſit, miraque in gube
nando arte eſt uſus. Quamquam potentiorum po
ſtulata nunquam irrita dimittere niteretur, oſte
tatâ tamen potentia, ab omni eos ſeditione deterr
bat. Quin etiam non rarò illorum poſtulation
bus occurrebat, ut petentium animos anticipatio
benevolentiæ màgis ſibi conciliaret atque obſtrin
geret. Populi gratiam diligenter coluit; ut ta
favore communitus, à Proceribus formidaretu
Bonfinius lib. 8.

His addo bina alia duplicis Dignitatis, Imperial
videlicet & Ducalis, exempla: quarum illa Electori
Hæc Electi ipſius *Conſilio & Induſtriâ* obtent
fuit.

Fridericus Sueviæ Dux, Vir religioſus, pruden
& fortis, Henrici V. Imperatoris ex ſorore nepo
commendata habuit ab avunculo inſignia Imperii
& ideo multi præjudicio deceſſoris hunc eligendum
Imperatorem putabant. Alii verò, quòd Imper
jura nimis imminuta viderentur, fortem & acren
Principem requirebant. Ita pro ſe quisque Imper
faſces recuſare, & à ſe ad alium potiùs transferre con
tendebat. Id cùm ex compoſito inter Principes fie
ret, procurante Alberto Moguntino Archiepiſcopo
qui domum Henrici non amabat, Saxones autem ha
bebat in pretio: Fridericus etiam ipſe, nihil ſubeſſ
doli veritus, & penè certus de ſe eligendo, ut mode
rationis ſuæ ſpecimen daret, & inſignia Imperii Prin
cipibu

cip bus restituit, &,ut cæteri, imparem se tanto oneri fassus est. Nec mora, qui cum Moguntino senserant: quandoquidem, inquiunt, recusant Imperium, quibus videbatur deferendum; Lotharius Saxoniæ Dux implorandus, ne patiatur Imperii dignitatem jacere contemptam. Itaque unanimi consensu illum elegêre, nihil recusantem. *Cranzius lib. 5. Saxoniæ cap. 1.*

Venetiis non paucorum Senatorum studia inclinabant in Franciscum Foscarum, qui universæ Reipublicæ præesset. Sed ejus ætas multorum vota retardabat (alterum enim & quinquagesimum ætatis annum necdum attigerat) quæ res majorem quadragintavirûm partem ab hoc proposito avocabat: multis longè senioribus, qui Mocenico Principi succederent, adhuc extantibus. Effecit tamen Foscarus Cosmopoliticâ usus, vel astutiâ, vel prudentia, ut voti sui compos fieret. Nam cùm in quadragintavirûm numero aliquot essent, qui illi uni præcipuè studerent; egit cum iis, ut in suffragando minimè sibi faverent, nisi cùm ille annuisset. Quare conversus ad ceteros, hoc unum se ab iis petere ajebat, ut denis item suffragiis ipsum principatu dignum censerent; turpe enim & ignominiæ plenum sibi videri, si D. Marci Procurator, semperque de Republica optimè meritus, vix tria aut quatuor suffragia referret. Quod cùm illi ex animi sui sententia obtigisset (nemo enim rem tam æquam negare ei poterat) nactus opportunam, ut sibi videbatur, occasionem, annuit fautoribus suis, ut omni ope ac studio sibi adessent. Euntibus igitur illis omnibus in Francisci nomen, astu & arte id adeptus est, ut quinque & viginti suffragia sortiretur; qui numerus tunc temporis in eligendo Duce sufficiens erat. Quapropter stupentibus omnibus Dux salutatus fuit.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS SECUNDUS.

Principatus Consilio & Industria *auctus, no-vaque ditiones acquisitæ.*

COsmus Medices Dux Hetruriæ, cùm de Urbe Se-narum Ditioni suæ adjiciendâ cogitationem su-scepisset, miro artificio politico (de quo in meis Hi-storiis selectis verbo *Acquisitio*) usus est.

Primùm apud Philippum II. Regem Hispaniæ, qu urbem Senensem tenebat, egit, ut sibi pecunia in usun Caroli V. Imperatoris commodata restitueretur, au ejus loco Plombinensis ditio traderetur. Perpen-sis deinde computatisque sumptibus, quos in bellun Senense impenderat, Spem de Universa Senensi di-tione occupanda concepit. Quam ille cogitationen tum quidem, ne fidem suam Hispanis suspectam red-deret, prudenter dissimulavit; petitionibus suis cre-brò renovatis, & de Plombino tantùm factâ mentio-ne: tempus scilicet idoneum operiens, quo declaran-dæ voluntatis occasio sese offerret: quæ se paulò pòs in manus dedit. Etenim cùm ex literis Oratoris su quem Romæ habebat, & Albano Duce resciviss Philippum Regem Hispan. cui tunc cum Pontific & Caraffis bellum erat, pacem cum Pontifice, posit armis inire, eique Senensem ditionem tradere velle primùm cum Albano, cui id negotium à Philippo Re-ge commissum erat, egit, ut negotium minimè præ-cipitaret. Misit deinde ad Regem Ludovicum To-letanum, qui post repetitam meritorum Cosmi seriem modestè, iis nullam rependi gratiam, questus est Tum quantum & ipsius Regis & Cosmi rebus allatu ra sit detrimentum Senarum in manus Caraffarun

con-

consignatio, edisseruit: Caraffas videlicet non tam recentis beneficii, quàm veteris injuriæ memores, novâ potentiâ auctos universam Italiam, maximo Regis incommodo turbaturos. Cosmo verò etiamsi universa pecunia exsolvatur, minimè cautum esse, si cogatur eos habere vicinos, quos, ut Regis rebus inserviret, tanquam hostes hactenus persecutus sit. Proinde eum non posse tutò restituere, quæ in Senensi ditione possideret, ut Caraffis tradantur: quæ eadem tamen semper restituere paratus sit, modò illa in Philippi Regis potestate permaneant. Quòd si verò certum sit, Regi rem Senensem abdicare, non posse sine maxima injuria in alium, quàm in Cosmum transferri. Petere igitur eum, ut quando res suæ non ampliùs ferant, ut diutius in incerto dubii eventûs salo fluctuet, quid suæ voluntatis sit, Philippus definiat.

Eodem tempore, quo Cosmus Toletanum ad Regem miserat, Romæ famam spargi curavit, quasi perpetuis Hispanorum delusionibus irritatus, Regis Galliæ amicitiam expeteret. Quod est (ut loquuntur Itali) Zelotypiam alteri injicere.

Philippus igitur, qui rem seriò agi credebat, rebus suis in Italia (quibus seu fulciendis, seu destruendis magnum momentum Cosmus afferre posset) timere cœpit. Nutabant enim tum temporis res Hispanorum in Italia; hinc Brissaco Duce Regis Galliæ in Subalpina Regione progressus indies faciente: hinc Guisio in Regnum magnis motibus obnoxium magnâ vi irrumpente. Tandem igitur assensit, ut Cosmus suo beneficio Senensem ditionem possideret.

Non dissimili artificio postea Franciscus, Cosmi filius, Joannam Austriacam Uxorem adeptus est. Cùm

enim eandem plures ambirent Principes, Franciscu primò beneficiis Cæſarem demerendum ratus, ei pe cuniam & militem in bellum Turcicum promiſit;tu rumorem ſparſit de danda ſibi Regis Galliæ Sorore i Uxorem. Cæſar igitur, qui ejus ope in bello u conſtituiſſet, Joannam ei Matrimonio junxit.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS TERTIUS.

Subditi Conſilio & Induſtria *Principum i officio retenti & firmatum Imperium.*

EGregia firmandi principatum & continendi i officio populos ratio, eſt obſidum per ſpecien honoris,& ſub alio, quàm obſidum ſpecioſo prætextu teceptio.

Hannibal occupato Hiſpaniæ Regno, ut devictan gentem in fide retineret; ex interioribus Hiſpaniæ ci vitatibus delectæ juventutis aliquot millia Carthagi nem, non tam præſidium (quamquam id prætende bat) quàm obſides fidei Hiſpanorum miſit.

Philippus I. Franciæ Rex Procerum Vaſconum li beros per ſpeciem honoris aulicæque gratiæ pro obſi dibus abduxit.

In Aula Regis Æthiopiæ, Stipendiariorum Regum filii,prætextu militiæ & miniſteriorum Palatinorum,r autem verâ obſides educantur.

Piſanorum rebellio, quæ Carolo VIII. Galliæ Reg cum exercitu Italiam ingrediente, exorta eſt, potuiſſe opinione Guicciardini *lib.* I.*Hiſtor.* præcaveri à Floren tinis; ſi illi, quod aliàs in leviſſimis motibus facere ſolit erant, Piſanorum præcipuos Florentiam evocaſſent.

Non multum huic arti diſſimile eſt (inquit Forſtne-

rus

us *in notis ad Tacitum*) illud Sophiſma, quo Rex
Hiſpan. Genuenſes ſibi obſtrictos tenet, quoque pri-
mùm Carolus V. Imperator eſt uſus. Cùm enim Ille
Andreâ Auriâ intercedente, arcem urbi, hoc eſt, ju-
gum Civibus imponere non auderet; Genuenſium
pecuniam, quâ ferè illorum opes conſtant, mutuò
ſumpſit, eamque gravi fœnore pavit: & hac arte, ho-
minum quæſtus dulcedine illectorum opes ſenſim ad ſe
attraxit; Urbemque in ære ſuo, hoc eſt, Civium ſtu-
dia in poteſtate habuit. *Thuanus*. Et hoc reſpectu
beriùs nunc Genuenſibus, quàm Mediolano impe-
rare Hiſpaniarum Regem, aſſerit Campanella *lib*. 14. *de
Monarchia Hiſpan*. Cùm Genuæ nihil decernebatur,
niſi volente aut ſciente Rege: verentibus Genuenſi-
bus; ne, ſi ſecus faciant, poſſeſſionibus ac reditibus,
quos in Hiſpania habent ampliſſimos, ſpolientur.

Sed cur tanto ſuo diſpendio (verba ſunt Forſtneri)
Genuenſibus mutuas accipit pecunias Rex Hiſpaniæ?
Ajunt Hiſpani, ut ita Rex velut oppignoratam ſibi
habeat fidem Genuenſium. Sed quærere libet, cur ut
oppignoratos ſibi habeat Rex Genuenſium animos,
pignori mancipat regnorum ſuorum reditus, tribus aut
quatuor añis antequam ipſe eos perceperit? quæ Politi-
ca, quæ Oeconomica ratio hæc præcipit? cur uſuras ſti-
pulantibus Genuenſibus promittit tam magnas, tam e-
normes? cur tot ab Hiſpanicis exercitibus ob non repræ-
ſentata ſtipendia audiuntur querelæ? tot ſeditiones?
tot defectiones? Ego ſanè aliorum relationibus didici,
ex Indiis annuatim vix tres milliones ad Regem, reli-
qua ad privatos ſpectare: ipſam Hiſpaniam ſterilem
& deſolatam: Eccleſiaſticos decimis ac ſubſidiis ni-
miùm gravari: Regni Proceres magnam partem de-
coxiſſe: denique Hiſpanos Mercatores petenti Regi
vix quingenta millia aureorum contribuere poſſe; ut

ære alieno, quo Carolus V. & Philippus II. sponte obstricti tenebant Genuenses hodie Rex Hispaniæ Genuensibus inevitabili necessitate teneatur. Hæc Forstnerus. Ego rem aliorum judicio permitto.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS QUARTUS.

Potentia Lusitanica Consilio & Industria *in Indiis præclarè stabilita.*

FRanciscus Almeida successorem in Indiæ Prætura acceperat Alfonsum Albuquercium: inter quos propter dispar studium æmulatio excitata, Lusitanos omnes in factionem adduxit. Uterque eorum cùm esset animo excelso & singulari virtute præditus, idem sibi proponebat, sed non idem consilium sequebatur. Utrique enim propositum erat, pro CHRISTI religione, & Regis Lusitanorum Emmanuelis dignitate conservanda, & amplificanda vitam profundere. Sed alter ab altero in hoc dissentiebat, quòd Almeida minimè tutum putaret urbes expugnare, ne videlicet distractæ Lusitanicæ vires imbecillæ redderentur; hoc autem erat illi decretum, Mare tenere, & potentiâ maritimâ prævalere. Id enim statuebat, eum qui Maris Imperium possideret, Indiæ totius potestatem assecutum. Itaque Maris erat illa antiquissima cura, & dum unam tutissimam navibus stationem haberet, reliqua omnia contemnebat. Fieri enim non posse existimabat, ut tantum Militum supplementum è Lusitania singulis annis mitteretur, quantum ad arces multas firmis præsidiis muniendas sufficere posset. At Albuquercius non præsentis tantùm securitatis, sed futuri etiam Imperii, quod amplissimum fore confide-

bat

bat, consilia intimis animi sensibus agitabat: nec ut piperis magnus numerus annis singulis in Lusitaniam importaretur, sed ut Imperii fundamenta jacerentur, laborandum censebat. Et quò auxilia magis longinqua essent, eò Coloniis pluribus oras Indiæ occupandas statuebat: ut variis Lusitaniæ Gentis Seminariis passim institutis exercitus in India conscribi possent. Mare verò minimè tutum arbitrabatur iis, qui terrâ simul opes suas nequaquam stabilirent. Classem maximam unicâ tempestate deleri posse: at opibus in terra comparatis classes refici, & Maris Imperium recuperare, non esse admodum difficile. Itaque condendam esse Civitatem statuebat, quæ sobolem multiplicem procrearet, ut non semper esset necesse temporibus difficillimis ab auxiliis è Lusitania missis dependere; quæ sæpe numero in longissima & difficillima navigatione vel morbi multiplices imminuunt, vel fluctus & tempestates exhauriunt, vel hyemes intercludunt.

Quod quàm prudenter fuerit ab eo excogitatum, rerum exitus multis post illius obitum annis facilè comprobavit. Cùm enim Solimannus Turcarum Imperator Ægypti Rectorem cum maxima classe in Indiam misisset, ut Lusitanos possessione pelleret, & is arcem Diensem obsessam teneret, multisque diebus maxima tormentorum armorumque contentione oppugnaret: quamvis plurima detrimenta à Lusitanis, qui in arcis præsidio erant, accepisset, non tamen obsidionem tam citò solvisset, nisi certior factus esset de magnitudine classis, quæ contra illum Goæ (quam Albuquercius bis expugnaverat) comparabatur. Neque rursus, cùm Rex Campajæ eandem arcem cum maximo Turcarum auxilio sex mensibus obsessam tenuisset, tam facile à Joanne Castrio, qui tunc in India Joannis

annis Regis Lusitaniæ nomine Imperium administrabat, devictus fuisset, nisi Goa maximum ad eam victoriam atque multiplex instrumentum suppeditasset. Ad eam namque magnitudinem Civitas illa pervenit, ut facillimum sit, in ea justos exercitus conscribi, & classes magnas ædificari. *Osorius lib.7. Rerum Emmanuel.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS QUINTUS.

Alexander M. Consilio & Industriâ *Calani de Sede Regni constituenda admonitus.*

Calanus Gymnosophista Alexandrum M. de stabili Sede Imperii constituenda admoniturus, corium siccum & retorridum in medium conjecit, ejusque oram calcavit. Id uno loco pressum, repentè cæteris partibus erectum est. Idem circulans undique, & pedibus stringens, in singulis partibus ostendit evenire. Tandem cùm medium, seu centrum corii pede premeret, omnes quievêre. Hoc pacto significavit Alexandro Calanus in Meditullio Regni Sedem stabilem collocandam, neque procul ab eo vagandum esse. *Plutarchus in Alexandro.*



CON-

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS SEXTUS.

Venetorum Respublica Consilio & Industriâ *plurimum Senatorum ac Ministrorum florens.*

INter varia media, quibus ad eam, quam omnes suspiciunt, magnitudinem evecta est Respublica Venetorum, præcipuum obtinet locum ea solertia, quâ summam rei non uni tantùm Ministro, sed plurium prudentissimorum Ministrorum ac Senatorum *Consilio & Industria* committendam arbitrantur.

Plerumque successus est sinister, quando est unicus tantùm Principis Minister.

Unde carpunt Historici Philippum III. Regem Hispaniæ, quòd totius Regni vim penès unum Ducem e Lerma esse voluerit. Adeò Philippus III. Patri suo hilippo II. dissimilis erat; cujus unius Capite tam iffusum Imperium ut firmissimo axe vertebatur.

Plautianum tam altè extulerat Alexander Severus mperator, ut non hic, sed ille imperare videretur. Plauanus enim ad se rapiebat omnia, quoscunque vellet, roscribebat, spoliabat, occidebat, Severo nihil contraicente. Tandem eò dementiæ processit, ut & Severi ambolum ejus filiorum (quorum natu major Basanus filiam ipsius in matrimonio habebat) interficiidorum consilium ceperit. Sed prævenit Bassianus: ijus Imperio Plautianus inspectante Severo occisus iit.

Profectò nihil aliud Ludovici Sfortiæ res tantopere flixit, ut ex opulentissimo Principatu dejectus, tot tanramque rerum viginti dierum spatio jacturam fecerit: quibus

quibus bellum in multos annos ducere potuisset quàm quòd Galeatium Sanseverinatem, bonum palæstritam, sed malum militem, ex inordinato erga hominem affectu, exercitibus suis præfecerit; Fratrique suo ætate ac rei militaris peritiâ longè illum antecellenti prætulerit.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS SEPTIMUS.

Lenis Subditorum gubernatio Consilio & Industria *Principi persuasa.*

FRanciscus Marchesius Jure-Consultus à Genuensibus ad Galeacium Mediolanensium Ducem Orator missus, cùm difficilem ad eum haberet accessum die S. Joannis vas herbâ basilicâ repletum Galeacio muneris loco transmisit. Dux Marchesium statim accivit, ut missæ herbæ causas intelligeret. Marchesius, omissis iis quæ à Genuensibus mandata erant, paucis Galeacium affatus: Ego, inquit, Genuensium Orator ad te venio quorum ingenia basilicæ herbæ persimilia sunt; Nam leviter & leniter tacta, suavem perfundunt odorem contrita, scorpiones procreant. Hac parabolâ adeo Principis animũ permovit, ut qui antea nullis flectebatur rationibus, æquas aures deinceps præbuerit, & Genuenses lenitate potiùs, quàm severitate gubernandos censuerit. *Fulgosius lib. 8. cap. 10.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS OCTAVUS.

Tributa Consilio & Industriâ *collecta.*

DArius Persarum Rex primus tributa gentibus imposuit. Verùm ne molestè ferrent, non ipse xegit, sed satrapas constituere jussit. Quibus inentia tributa designantibus, ipse dimidiam partem emisit subditis. Quâ industriâ id consecutus est, ut benter dimidium penderent subditi, quasi magno eneficio à Rege affecti. *Polyænus lib.* 7.

Eduardus IV. Anglorum Rex blandum exactiosgenus utili *Consilio* & felici *Industriâ* excogitavit, que *Benevolentiam* appellavit. Egit enim cum amis, ut sponte in sumptus belli pecuniam corrogarent: ıòd ipse ex ea re benevolentiam singulorum metiri ecrevisset; ut qui scilicet plus daret, ab eo plus se diliarbitraretur. Quo artificio postea Henricus VII. llo Gallico usus, magnam vim pecuniæ collegit. *Podorus lib.* 26.

Lex Julia ab Augusto lata est, qua statuebatur, ut æ hereditates, legata, donationesve mortis causâ alios pervenirent, earum pars vicesima ad fiscum rtineret. Hoc vectigal & Reipublicæ utilissimum cuique gratissimum fuit (inquit *Dio lib.* 55.) eò quòd enas hereditates acciperent. Excepti tamen ab hoc buto sanguine proximè juncti & pauperes.

In Hollandia statutum est, ut ex successionibus & heditatibus collateralium tantùm, quadragesima pars, co pendatur, non verò ex parentum vel liberorum cceſſione. Nam graviter ferunt liberi, si quid de terna hereditate à fisco sibi adimatur.

Papy-

Papyrus, quamvis naturâ suâ levissima sit, in Hollandia tamen exactionis pondere gravatur. Nam Ordinum confœderatorum decreto, nulli contractus, aut instrumenta, sive publica, sive privata, in judicium producta vim obtinent, quæ non fuerint descripta in papyro certi generis, ad hunc usum destinatâ, & certo jam pretio æstimatâ. Quod licet perexiguum videatur, tamen quia frequentissimus est talis papyri usus, paucorum denariorum congeries toties repetita, excrescit in cumulum ingentem.

Alibi chartis, quas lusorias appellamus, tributum imponitur: adjuncto decreto, ut non nisi unam aut alteram earum speciem, utpote ex certa Provincia, opifice hoc vel illo, qui etiam signo, quo dignoscantur, eas insignire solet, emere, aut vendere liceat; aliis quibuscunque proscriptis & eliminatis.

Mausolus Cariæ Regulus, petente tributum Rege Persarum, convocatis ditissimis suæ ditionis incolis, indicavit eis Regem Persarum exigere tributum, se verò pecuniis non abundare. Tum subornati quidam, se collaturos statim promiserunt, summamque singuli indicarunt. Quo artificio id est consecutus Mausolus, ut opulentiores partim pudore, partim formidine adducti, multò plura pollicerentur, & conferrent.

Ephesii ut colligerent nummos in usum Reipublicæ, interdixerunt feminis usum auri, argenti & gemmarum; si quid verò ejusmodi haberent, id civitati mutuò darent. *Aristoteles lib. 2. Oeconom.*

Antonius Imperator cognomento Philosophus, cùm in conficiendo bello pecuniæ deficerent, omnia vasa aurea, argentea, crystallina & myrrhina, cum omni principali supellectile ornatuque Conjugis, publicè vendidit; ne tributa imperando, provinciis aut civitatibus esset gravis.

Veteres

Veteres limitanea Regnorum loca non tam gravibus vectigalibus, atque ea, quæ in Meditullio Regni sunt, onerare solebant, metu defectionis, ut alibi à me notatum est. Veneti hodieque mitiùs tractare putantur Bergomates, Brixienses, Cremonenses, Mediolanensium olim ditionis oppida. Et Neopolitani acerbiùs ab Hispanis habentur, quàm Mediolanenses : qui cum Sabaudis, Gallis, Venetis consilia Hispanis perniciosissima inire possent, si duriùs haberentur.

Est & illa cautio prudens atque laudabilis, non per homines viles aut lictores sed per aliquos ex civibus ad hoc munus deputatos, tributa colligere : hac enim industriâ humaniùs colliguntur vectigalia, eorumque mitigatur acerbitas.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS NONUS.

Annonæ caritas Consilio & Industria *sublevata.*

Rem hanc egregiè pertractat Forstnerus in notis ad Tacitum : quem proinde loquentem audire libet. Rem, inquit ipse, maximæ utilitatis hic tradam ; difficilis annonæ curam & remedia.

Immitti frugum egestatem famemque à DEO ad castiganda peccata hominum, sacris literis docemur *Hierem.* 24. *Deut.* 28. Quapropter ante omnia Indignatio Numinis commissorum pœnitentiâ scelerum, precibus, jejuniis bonisque operibus placanda est. Quo facto, facillimum Deo erit, vel subitâ ubertate sterilitatem corrigere, vel paucissimis panis fragmentis eam virtutem indere, quâ plura esurientium millia saturentur.

Matth. 6.

Post Dei Opt. Max. providentissimam in genus hu-
manum charitatem, proxima vitæ sustentandæ ratio i
agriculturæ studio consistit: cujus neglectu deficer
alimoniam, & perire fame homines necesse est.

Numa Romanorum Rex suum cuique pago Mag
strum præposuit. Hi crebrò fines pagorum obeunte
bene maleque cultos agros in tabulis descriptos ad Re
gem deferebant: qui laudando promptos, castigand
segnes, omnes ad rem utilissimam omni studio & labo
re prosequendam excitabat.

In quem finem Sapientissimus Wirtenbergiæ Du
Christophorus, in singulis oppidis tres aut quatuor in
spectores (indigenæ maternâ linguâ vocant Landstuh
ler) constituit: qui ubique curarent, ut prædia, agr
vineæ, horti diligenter colerentur. Neque excitare au
hortari satis est: juvandi sunt subditi, præsertim agrico
læ, consilio, ope, semente, jumentis, peculio, qui de su
satis instructi non sunt. Removenda quæcunque cul
tui agrorum impedimento esse possunt. Neque vena
tionibus, quarum insano studio nonnulli Principes la
borant, aliisve operis ab opere rustico agricolæ distra
hendi sunt: danda potiùs opera, ut stivæ insudante
quàm rarissimè Civitates invisant: lites & tribunalia
Procuratores & Scribas non minùs, quàm Caupones
ignorent.

Alliciendi deinde immunitatibus ac beneficiis, qu
steriles & incultos agros primum subigendi laborem
sibi sumant: iisque indulgeatur, ut primo triennio au
nulla, aut valde exigua tributa publico pendant. Quò
pertinent Imperatorum Constitutiones: quibus cave-
tur, ut qui fertilia & sterilia loca ad Rempublicam per-
tinentia permissim possident, non possint fertilibus re-
tentis sterilia deserere: Ut non possit heres scriptus
ex prædiis hereditariis fertilia retinere, abjectis
steri-

erilibus: ut Canon pro inculto fundo promissus, eo l frugem meliorem postea redacto, minimè augeatur.
Proxima superiori cura est, in horreis & granariis re- onere frumenta, quibus sequentium annorum sterili- s corrigatur: exemplo Josephi ex sacris literis sat no- : de quo insuper Philo Judæus tradit: eum fruges im manipulis condidisse, neque trituratas, neque pur- tas, quatuor de causis. 1. ne tam citò vitiarentur teg- ine suo destitutæ & nudatæ. 2. Ut rusticis trituran- ous fruges & eventilantibus, singulis annis renovare- : memoria pristinæ copiæ. 3. Ne iniri posset numerus umenti, neve animus colonos deficeret, solicitè secum putantes, non tam quod restaret quàm quod absum- um esset. 4. Ut jumentis st. am.n & palea in pabu- n servaretur.
Scipio Amiratus milium & panicum, utpote corru- ioni haud facilè obnoxium, in tenuiorum saltem ali- oniam commodissimè asservari, ex Plinio observavit.
Est quoque peculiaris ad servanda in multos annos umenta struendorum granariorum solerria, quam st alios accuratè docent *Bulengerus & Vandermy- s lib. de Vectigal. pop. Rom.*
Tertia cautio est, non legibus tantùm, sed pœnis am coërcere pestilentissimum curculionum genus, rdanarios scilicet & pantapolas; qui iniquissimis udibus onerant flagellantque annonam; cujus rari- e lætantur, ubertate dolent. Horum dolos & Mo- polia accuratissimâ diligentiâ recenset *Nicolaus Mon- ndus lib. 3. Speculi Gallici.* Quæ si omnino reprimi n possunt, saltem eatenus coërcenda sunt, ut in foro umentario prima emendi facultas tenuioribus civi- s usque ad certam horam; & post illos negotiato- us permittatur. Quo pertinet Francisci Mantuæ cis constitutio: ne cui, quod ex agris suis non colle-

giſſet, plus quam uſui familiæ ſuffecturum mercari lic
ret. *Poſſevin. hiſt. Mant.*

Quod ſi iſtis cautionibus ob iniquitatem temporu
uti non licuerit, vel illæ non profuerint : tum impe
dente famis & penuriæ publicæ malo, ad fortiora r
media tranſeundum erit.

Primùm omnium Curatores & Præfecti annon
conſtituendi; quorum munus erit omnia procurar
quæ ad emptionem, tranſvectionem & diſtributione
annonæ pertinent. Hoc modo olim Anno 1538. Flore
tiæ Curatores creati; quos Magiſtratum Abundant
vocabant, cum ampliſſima poteſtate obligandi redit
publicos, bona & perſonas civium: & erant iſti
opulentioribus civibus & mercaturæ deditis, qui am
citiis, opibus & fide cæteros omnes præcellebant.
ex Germania & Belgio, ex Maris Ægæi Inſulis, &
Africa uſque annonam quærebant. *Joan. Baptiſt. H*
drian. lib. 2. hiſt.

Proximum erit cenſum inire civium, ut quantu
alendo populo requiratur, exactè ſciri poſſit. Conſu
tum præterea eſt præmiis negotiatores allicere : Ver
gratiâ, ut prima navis tantum ex publico, altera al
quanto minus, & ſic deinceps reliquæ accipiant. Etia
vectigalium immunitate donare ad tempus, & qua
diu fames urget, oportet eos, qui ſine illa id muner
ſegniùs obituri eſſent. Claudius Imperator negotia
toribus certa lucra propoſuit; ſuſcepto in ſe damno,
cui per tempeſtates accidiſſet: & naves mercaturæ cau
sâ fabricantibus magna commoda conſtituit. Genu
enſes aliquando ſummâ annonæ difficultate preſſi tr
remes in mare milite inſtructas miſerunt, quæ omn
navigia fructibus onerata à curſu inſtituto retracta Ge
nuam deducerent. *Joan. Bapt. Hadrian. Cit.*

Sed præcipua induſtria in parſimonia & prudenti d
ſtribu

ributione consistit. Quibusdam æquum visum est, mne frumentum, pretio ex publico soluto, in medi-n conferre, & inde pistum panem viritim vendere. iberius Cæsar, plebe sævitiam annonæ incusante, atuit frumento pretium, quod daret emptor, binos-ue nummos dixit de suo se additurum negotiatoribus singulos modios. *Tacitus 5. Annal.*

Neque civitatum tantùm, sed & ruris eorumque ui ruri degunt, ratio habenda, iisque mutuò annona nda est.

Illa quoque parsimoniæ non minima pars est, si in-ilia terræ pondera, validi mendicantes, quique otii i rationem reddere nequeunt, aliò amandentur. Augustus Cæsar annis sterilioribus lanistarum fa-ilias, peregrinosque omnes, exceptis Medicis ac Præ-ptoribus, partemque servitiorum urbe expulit. uod quidem in Lanistis & ejusmodi sortis homini-s reprehendi non debet: at homines nullâ aliâ re æterquam egestate Reipublicæ graves urbibus eje-os fame enecare, à charitate Christiana plurimùm horret. Imò alendi sunt alienâ ope, qui sibi ipsis ovenire non possunt.

Cosmus Medices aliquot pauperum millibus per nnes Florentinæ urbis regiones compluribus mensi-s annonam distribuit: & infantes à parentibus ege-te coactis derelictos in Orphanotrophia recepit. eati quoque Officiales, quibus à charitate nomen positum, iis ex publico pecunia assignata, quâ pau-ribus de alimonia provideretur, statâ horâ in qua-or urbis regionibus ad loca destinata confluenti-is, ad panem recipiendum: quorum numerus ad vi-nti quatuor millia quotidie ascendebat.

Anno 1634. & sequenti, meo præcipuè consilio (in-it Forstnerus Cit.) cives Mompelgardenses inducti

ſunt,ut quotquot in civitate pauperes & egeni,vel ſe-
nio invalidi eſſent ; in opulentiorum ædes diſtribue-
rentur : & ut exemplo cæteris præirem, ipſe mihi no
alendos ſumpſi.

Eſt & illud non ſpernendum conſilium,famis tem
pore aucupia, venationes, piſcationes, quæ Jure Gen
tium olim cōmunia, propria ſibi hodie Principes fece
runt,omnibus permittere.

Ad hæc non ſolùm emendandis moribus,ſed etian
nummorum parſimoniæ deſervit, lupanaria & caupo
nas publicas claudere: Conviviorum præterea ſum
ptus, nuptiarum ac ſimilium ſolennitatum apparatu
lege prohibere.

Concionatoribus denique incumbit, tempore fam
egenis patientiam, mediocribus abſtinentiam ac parſi
moniam,opulentis liberalitatem & beneficentiam ſua
dere.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS DECIMUS.

Mercimoniis opibusque Regni Conſilio & In duſtriâ *proſpectum.*

ANno 1356. Anglis placuit providere, ne opes,qu
mercium uſu quotidie in Angliam inferuntur,d
ſipentur,ſed potiùs conſerventur, & augeantur. It
que lege cautum eſt ſub Eduardo III. ut nemini,neq
Anglo, neque externo liceret aurum & argentum,ſi
cælatum, ſive ſignatum, è Regno in continentem e
portare. Quo factum eſt, ut mercatores extranei me
cium ſuarum pretia coacti ſint in alias merces inſum
re: pecuniâ in Regno remanente. Atque hoc decr
tum ſervatur etiamnum: Sequentibus Regibus lege
illam velut Regno perutilem confirmantibus. *Po
dorus lib. 19.*

Adh

Adhæc Anno 1439. in Anglia ſtatutum eſt, ut non
mpliùs liceret mercatoribus extraneis ſuas merces
n Regnum importatas vendere aliis aliarum nationum
ominibus, ſed ſolis Anglis; ne illi monopolia inter ſe
nſtituerent. Quæ lex ut Reipublicæ commoda etiam
odie ſervatur, teſte *Polyd. cit. lib. 23.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS UNDECIMUS.

Divitiæ pio Conſilio & Induſtriâ *Chriſtianis omnibus imitabili, acquiſitæ ab hominibus privatis.*

HOmo ethnicus in urbe Niſibe, tenuioris ſortis
erat, qui cùm 50. nummos aureos collegiſſet, quos
enori locaturus erat, ab uxore Chriſtiana ab hoc con-
io ad aliud ſalubrius traductus fuit. Aſſeveravit illa,
cupletiſſimum ex tantilla pecunia fœnus colligi poſ-
, ſi in Chriſti honorem pauperibus nummos illos di-
ribueret: hunc enim liberalem promiſiſſe remunera-
onem iis omnibus, qui ſibi in pauperibus benefeciſ-
nt. Maritus hac ſpe illectus, pecuniam omnem in
uperes expendit. Labitur tempus, diesque, quâ uſuræ
otuiſſent exigi, tranſit: neque tamen quidquam ſpe-
ti fœnoris refunditur. Querit queriturque apud Con-
gem Maritus. Quæ mœſtum conſolata, ad templum
e jubet, ubi priùs eleemoſynas erogarat. Verùm
uc cùm veniſſet, nemo, præter indigentes, ſeſe illi
fert: ad accipiendum prompti omnes, nemo ad lar-
iendum. Ad Chriſtum igitur converſus promiſſum
igit, tandemque velut deſperatâ re domum ſe rece-
urus, nummum aureum, illis quos expenderat, ſimi-
m, in via reperit: quo in penuria rei familiaris panem
ſcemque coëmit. Hoc eviſcerato, lapillus in illo de-

prehenditur miræ pulchritudinis : quem vir à mulier acceptum ad Lithopolam defert. Hic principio quinque aureos pro gemma offert: ad quod cùm admi rans hæreret venditor, alter vilitatem oblati pretii eun despicere ratus, mox decem, ac deinde viginti, postre mò & quadraginta obtulit. Itaque cum seriò hæc ag observaret venditor: eja, inquit, tantum pende, quan tum ex æquo bonoque æstimandum nosti. Quapropter æquitatis Lithopola admonitus, trecentos illi aureos numeravit. Unde lætus insperato eventu civis, Chri sti tam liberalis remuneratoris religionem amplexu est. *Sophronius Prat. Spirit. c.* 185.

Juvat hîc etiam meminisse Historiæ duorum Colo niensium Mercatorum, ex Oeconomia Catholica Ba ptistæ de Gleen. *lib.* 7. *c.* 10. Hos Parochus ab illa Mer catoribus consueta mentiendi jurandique licentia tra ductos, eò impulerat, ut non nisi necessariis ad venden dum usi verbis, candidè simpliciterque, qualis quæqu merx, quodque ejus esset pretium, exponerent. Ho candore sibi primùm obstitêre, dum inassueti homine timidè laudatas merces, neque summo æstimatas à ven ditore pretio, gradatimque multa licitatione ad æqua litatem submissas, defugerent. Unde primus his an nus sterilis ex lucro fluxit. Querentes tamen de illiu consilii infelici successu, jussit durare in proposito Pa rochus, fore enim, ut constantiæ minimè pœnitere Et verò eventus sana suasisse docuit. Siquidem ut vulgò cognosci illorum candor, æquitasque in preti rerum venalium cepit: tam crebris officinæ ipsorun emptoribus frequentatæ sunt; ut brevi magnis auct opibus, non mòdò suam ipsi locupletarint sortem, ve rùm etiam heredes post se, rarâ opum felicitate beatos, reliquerint.

CON

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS DUODECIMUS.

Rationum computus Conſilio & Induſtria *expeditè factus, & ſuſpicio peculatûs amota.*

COnſalvus Magnus apud Regem ſuum Ferdinandum, qui ex Hiſpania Neapolim navigarat, ab ividis graviter delatus, cùm ad Quæſtorum mensm tanquam ad Tribunal vocaretur, ut ſumptuum ellicorum & vectigalium rationes in codicibus ærai & fiſci annotatas audiret, ſimulque agnoſceret, cpenſi acceptique ſummas inter ſe comparatas, mano exceſſu diſpares, ſupputationi minimè congruere: m graviter, quàm lepidè reſpondit ſe privatas tabulas ıblicis fideliores continuò prolaturum: quibus mulplus ſe impendiſſe, quàm accepiſſe præclarè oſtenɛret, teſtareturque ſe id totum, quod ex juſta ratione pereſſet, tanquam jure debitum, ab ærario Regio reɛtiturum. Protulit autem die ſequenti tabulas, quæ t aureorum millia pro Rege bonoque publico exenſa continebant, ut Quæſtoribus ſilentium, pudorem egi incuteret; pluribus etiam riſum excuteret. ımo itaque loco ſtatuit ducenta millia aureorum, ogata in egenos, piosque Sacerdotes ac Religioſos, ui precibus, piiſque operibus felicem Regiorum arorum ſucceſſum à Deo impetrarent. Secundo co ſubjecit ſexcenta millia aureorum ſecretâ manu eculatoribus data; quorum beneficio exploratis oſtium conſiliis, multas victorias, ac denique libem, quietamque tanti Regni poſſeſſionem eſſet concutus. Intellexit argutiam Ferdinandus Rex, dioſoque negotio finem impoſuit. *Jovius in Conlvo.*

Innocentius VI. Papa Avenione residens, Ægidium Sabinensem Episcopum, Cardinalem Hispanum in Italiam miserat, qui Pontificis partes contra Tyrannos tuerentur. Eo negotio feliciter confecto, Pontifex rationem sumptuum in id bellum collatorum, æmulorum suasu ab eo petiit. Ægidius paratum se simulans, militum magnam manum in Campo Viterbiensi Pontific[i] exhibuit, & carris aliquot militaribus præmissis, inte[r] quos unus erat claves Urbium per deditionem receptarum vehens: Hi sunt, inquit, in quos thesaurum Ecclesiæ distribui, hæc sunt spolia auro redempta. Innocentius collaudatâ Ægidii solertiâ cariorem quam unquam antea habuit. *Garimbert. lib. 3. de vitis Pontificum.*

Carolus IV. Imperator ad subigendos Barones & Nobiles Regni Bohemiæ, usus est operâ & consilio cujusdam Religiosi ex ordine Cistercienſium (appellabatur is Theodoricus Kagelwid, fueratque in cœnobio Levin educatus) cujus industria licet Regi comperta esset, utpote qui Curiam ejus multis annis rexerat; reperti sunt tamen, qui eum calumniarentur apud Regem, quòd Regiam administrationem non satis fideliter tractaret. Rex hominem adesse jubet, & cunctis ejus calumniatoribus astantibus præfinit illi diem, quo de sua administratione rationem reddat. Tum ille, idipsum verò possum etiam hoc momento expedire. Nihilque moratus, ait: Ad te veni Rex simplici religionis habitu, & pauculis in loculo denariis; eos mihi permitte: reliqua omnia tua sunt, tibi habeto. Tum Carolus facetiâ simul & facilitate hominis delectatus, ait circumstantibus: Quis ex vobis est, qui talem mihi suæ administrationis rationem reddat? Carior proinde cepit esse Regi: à quo ad Episcopatum Mindensem primum, deinde ad Magdeburgensem promotus fuit, quo tamen utroque tandem relicto ad Regem reversus est. *Cranz. lib. 8. Vand. c. 32.*

CON-

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XIII.

Oppigneratæ Principis arces Consilio & Industriâ *receptæ.*

WEnceslao III. Bohemorum Rege mortuo, mors per Aulicos (qui obsequia mortuo tanquam iventi exhibebant) eò usque suppressa fuit, donec mnes, qui ære vili mutuò dato, optimas Regis Arces ignoris loco possidebant, quasi mandato Regio ad ationem revocati, pecuniam creditam, certis nominius deductis recipere, & Arces restituere compulsi esnt. Ac tum demum mors divulgata, funusque Reium, quo decuit honore celebratum fuit. *Dubravius b.* 16.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XIV.

ubditi ad excutiendum alienæ dominationis jugum, Consilio & Industriâ *animati.*

CYrus Persarum Imperator, si Justino *lib.* 1. *histor.* fides habeatur, suos ad Medorum jugum excutienum animaturus, Persepolim Regni Metropolim inressus, convocatum populum die proximo cum seuribus ad vicinam sylvam exscindendam adesse jussit, atigatosque alterâ deinde die ad lautissimum epulum ivitavit. Et quando jam omnes, inter pocula ad hilatatem solutos reperit, sciscitatus est, utra dierum mais grata esset? illane inter labores, an hæc inter laboris uctus transacta? cumque hanc omnes præferrent cum bertate inter gaudia traductam: Sed, inquit, illa præittenda in labore fuerat. Nunc igitur si me sequimini, brevi

brevi labore Medorum exciſo Imperio, nos in libertatem perpetuam vendicabimus. Parvus labor ingentem fructum daturus eſt. Arriſit tam ſplendida conditio, fidemque dedêre, ad omnia ſeſe ducenti Cyro obſecuturos. Qui paratiſſimo ad expeditionem uſus milite, brevi non Perſarum tantùm, ſed & Medorũ dominus, ſervitutem his impoſuit, quorum antea imperium formidaverât: parvo labore ingentium ipſe cum ſuis opum poſſeſſor, & dominator populorum.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XV.

Imprudentia populi, patrocinium potentioris Principis admittentis, Conſilio & induſtriâ *Steſichori oſtenſa*.

STeſichorus oſtenſurus Hymerenſibus, inconſultè ab ipſis protectionem Phalaris potentioris Principis admiſſam eſſe, hunc Apologum commentus eſt.

Equus, ait, priſtinâ adhuc libertate in pratorum viridantium ſpatioſa amœnitate fruens, nullique jugo, aut habenæ obnoxius, dolebat infeſta ſuis paſcuis cervorum agmina imminere, & optimos quosque bolos præcerpere. Quare ſubmovendi hujus conſortii avidus hominem adit, oratque adverſus cervos, ut ſibi præſtet ſuppetias. Non detrectat homo. Itur in conſilium, quo pacto id impetretur, ut ne tam impunè deinceps in paſcua equorum irrumpant cervorum agmina? ac denique placuit, ut armatum ſuis hominem telis equus in dorſum acciperet, atque habenas ore admitteret, quo conſultam ab homine viam directus ipſe à prudentiore Magiſtro capeſceret. Ita adverſus cervos felici expeditione proceſſum eſt, partim fugatis, partim in prædam abſtractis feris. Sed equo deinde priſtinam libertatem

repe-

repetenti, negavit homo id ſibi fas videri: æquum enim eſſe, ut qui tam utilem equo navaſſet operam homo, rurſum equi operâ ad ſuum commodum fruatur. Unde ſub admiſſis inconſultè habenis equo impoſterum ſerviendum fuit; exemplumque poſteritati reliquit, non facilè potentioris domini opem, niſi admodum circumſpectè, admittendam eſſe.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XVI.

Ingenioſi fabulatoris Conſilio & Induſtria *demonſtratum, non expedire Principibus, ut cujusvis familiaritas & oblata ipſis opera admittatur.*

FAbulator quiſpiam excogitatâ ingeniosè fabellâ omnibus reipublicæ gubernatoribus demonſtravit, quanto ſe diſcrimini exponant illi, qui temerè aliorum opera utuntur.

Lepus, inquit, Venaticorum timore canum in ſuo latebat per hiberna tempora nidulo abſconditus. Erinaceus, cui minus commodum eo tempore diverſorium in vicinia obtigerat, id conſpicatus; accedit ad leporem, ſuamque illi adverſus canes opem defert; promittens, infeſtis ſeſe ſpiculis infeſtos hoſtes facilè abacturum. Sed lepus principio detrectabat, ſui cauſatus niduli anguſtias. Tum verò Erinaceus, exiguum ſibi locum pro defenſione leporis ſufficere, modò in extrema nidi parte illum ceſſerit, nihil ſe præterea exacturum. Acquievit demum lepus, & accepit in Angulo hoſpitē: qui primò quidem ſe continet, at ſenſim laxatis per corpus aculeatis ſetis, patientem leviora incommoda leporem ad extremas nidi anguſtias coarctabat: idque ſe defenſionis ac neceſſitatis gratiâ facere dictitabat.

bat. Sed lepore fidem datam incusante, graviusque inter nimias angustias quiritante, quòd in antiquâ possessione ab ingrato hospite vim pateretur; Erinaceus denique respondit; quòd si illis suis angustiis minùs acquiesceret, patere exitum: iret proinde, ac de meliori sibi diversorio provideret: nihil se causæ habere, cur ab oportuno loco discederet. Ita lepus suam damnans levitatem, quòd ignotæ fidei hospiti salutem suam credidisset, documentum posteris reliquit non facilè cujusvis opem societatemque admittendam esse; ne amicus plus ipsis denique hostibus noceat.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XVII.

Plebs rerum novarum cupida Consilio & Industria *delusa.*

LUcii Cincinnati utile consilium semel datum, sæpe Rempublicam Romanam in maximis periculis servavit. Cùm enim plebs elata Tribunorum numerum duplicari vellet, eique Appius Consul acerrimè repugnaret: tum Cincinnatus, consilio cum paucis communicato, annue, inquit, petitioni plebis; nam quò plures erunt Tribuni, eò debilior futura est singulorum potestas; cùm unius intercessio potentiam omnium frangeret, ac retardaret. Plebs autem non intellexit se deceptam, sed veluti maximo affecta beneficio, Senatui gratias egit. *Plutarchus.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XVIII.

Civium ambitio Consilio & Industria *compressa.*

VEnèti, ut civium suorum ambitionem comprimerent, primatumque subverterent, præsertim in re bellica

ellica (quæ ad res novandas, & ad tyrannidem in-
adendam præ cæteris togatæ dignitatis officiis ac-
ommodata est) accivêre sæpenumero ad militiam
errestrem Duces externos. Idque etiamnum, tam-
uam Reipublicæ salutare, observant: hac adducti ra-
one, quòd, cùm illi pacem inter cives, atque concor-
iam, æqualitatemque summo semper studio aluerint,
uieti publicæ, perperam consultum putent, si civibus
ntùm auctoritatis concedatur, ut summæ rerum præ-
iantur, & integri exercitus illis subjiciantur: ne do-
inandi assuetudine capti, clientelis atque amicitiis
xi, & populari aurâ inflati, opibus ac Imperio ab-
antur: damno in perniciem Reipublicæ redunta-
ro. *Boterus lib. 11. de Republ. Venet.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XIX.

*imiæ, & Principibus suspectæ Procerum po-
tentiæ* Consilio & Industria *obices
positi.*

Olent Principes nimiæ suorum Procerum poten-
tiæ varia objicere impedimenta, & ea, quibus illa
itur, fundamenta convellere, subtractisque alimen-
ignem ambitionis extinguere. Illis igitur, quorum
vatum modum egressæ sunt divitiæ, solent Principes
nitates, curationes, legationes conferre damnosas,
nptuosas, & quæ sine rei familiaris dispendio obiri
n possunt. Si favore plebis nitatur aliquis, illum
m favorem iisdem, aut majoribus beneficiis atque
cebris derivant Principes in seipsos, aut in Rem-
licam. Qui nomen, famam & gloriam habet,
n arduis & periculosis objiciunt expeditionibus;
si non successerit negotium, aut spei eventus non
r respon-

responderit, minuatur auctoritas; quam is alias r
rum gestarum excellentiâ meruit. Si alicujus in A
la aliove loco sit nimia potentia, eum specie hon
ris aut legationis in longinquas amandant region
Si armis fulciatur alicujus magnitudo, eum vario pr
textu à militia in Aulam, ad honoratissima quæq
officia, sed quæ potestate omni careant, transfe
solent. Ita Constantius Cæsar Ursicinum in Orien
equitum Magistrum sibi suspectum, ad se sum
cum honore evocavit; eâ specie, ut consilio ejus Pa
thicarum gentium arma minantium insolentia co
pesceretur. *Ammian. Marcellin. lib.* 14. Homi
tumidi spiritûs arcent Principes ab omni Magistra
& Imperio, & iis tantùm admovent officiis, quib
honoratiores, non tamen valentiores evadant.
Dux Bragantiæ, qui nomine uxoris in Regnum L
sitaniæ jura sibi quædam competere putabat, p
Regnum illud à Philippo II. Rege Hispaniæ occ
patum, creatus quidem est Aurei Velleris eques, &
usitatis honoribus affectus (nam & in templo pro
mus Regi consistere jussus est) nihil tamen obtin
quod vel opes ejus, vel potentiam augere potuis
Conestaggius lib. 8. *de bello Lusitan.* Est & illa cau
usitata, ut si in magnum virum conferre imperi
aliquod sit necesse, pravæ illius cupiditates ad-
dito Collegâ, velut Angelo tutelari, coër-
ceantur.

CO

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS VIGESIMUS.

iffidentia & dissensio animorum inter seditiosos Proceres memorabili facto Principis procurata.

MArgarita Parmensis Gubernatrix Belgii, animadvertens evulgato creditoque adventu Phi-
ppi Regis Hispaniarum in Provincias Belgicas, ali-
ios ex cœtu rebellantium Procerum timidiùs agere,
juvandam artificio Politico hanc partem existima-
t: missis ad eos litteris benevolentiâ ac fiduciâ ple-
s; quibus per certos nuncios accommodatas polli-
ationes clam adjecit. Ad aliquos etiam, quos Re-
ioni orthodoxæ non offensos noverat, epistolas de-
: ex earum numero, quas illa apud se habebat Regis
mine subscriptas, cæterùm vacuas; quas verbis com-
suit tempori accommodatis. Has verò ita singu-
tradendas curavit, ut alios nullo invitatu præteri-
s id non omnino lateret: quo inter eos suspicio, at-
e abalienatio suboriretur. Quâ industriâ effectum
, ut multi partim metu, ne à sociis fœderatis dese-
entur, quorum nutare consilium animadverte-
nt; partim spe, cujus pleni erant; quòd se à Rege
oellatos, honoratosque videbant; partim offensione
orum, quibus se suspectos atque invisos facilè re-
ntur, omissis fœderatorum cœtibus, aut domos
s reviserint, privata curaturi; aut transgressi Gu-
ernatricis in partes, gratiam Principis promereri,
quàm indignationem experiri maluerint.

Strada de bello Belgico.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXI.

Diffidia inter Proceres & Populum in Republica hoftili ac rebelli Confilio & Induftria *procurata.*

CUm Rex Hifpaniarum longo bello contra Hollandos eorumque fœderatos Ordines nihil effeciffet, fuafit Juftus Lipfius politicæ doctrinæ Magifter egregius, ut Hifpani cum Hollandis inducias pacifcerentur: eâ fpe fretus, quòd quorum animi in communi periculo adversùs communem hoftem uniti fuerant, periculo per inducias fublato, futuri effent difcordes.

Bellum (inquit Lipfius *in Confultatione fua*) cum Batavis hactenus infelix, nec nunc felicius, nifi in totâ facie rei aliquid immutetur. Loca valida omnia habent & oportuna, militem exercitatum & fatis bonum, victoriis animofum; ordinem aliquem in ærario & tota gubernatione, quamdiu bellum & metus eft haud facilè folvendum. Ut ifta remittantur & amittantur, pax aliqua fit & quies: quæ nunquam in talibus bellis inita fine bono aperto Regis. Majeftas illa Regii nominis & occultum in animis vinculum illos trahit, aut potiùs extrahit, qui malè à Rege abierunt: gaudebunt quidam datum fic regreffum: milleni ad Regem ultro redibunt, fi redeundi occafio concedatur. Hæc præfidia hoftibus detrahimus: & in plebeia illa plurium gubernatione occafiones diffidiis damus. Mihi crede, habent odia, factiones & fua vulnera; fed occuluntur ea omnia, impendente magno illo metu, qui æqualiter tangit omnes. Remitte paullulum: ad ingenia & vitia fua redibunt: ut

boves

boves instante lupo coëunt,capita & cornua jungunt: abeunte quisque sibi pascit.

Hæc Lipsius: cujus consilium videntur secuti Hispani: nec omnino irrito conatu. Vix à Rege metus esserat,cùm prorupêre in dissidia & factiones proceres & populus. Plus Hispanus duodecennalibus induciis, quàm quadraginta annorum bellis profecit.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXII.

Equilibrium Fortunæ inter factiones Consilio & Industria *Principis conservatum.*

SI duæ fuerint in Republica factiones potentes & Principi periculosæ, ante omnia laborandum est, ut pax inter dissidentes concilietur. Hac autem desperatâ, dabit operam Princeps, ne una factio,sublatâ æmulâ,sola regnet.

Quo pacto Catharina Medicæa Galliæ Regina, Condæo & Guisco, Colignio & Cardinali Lotharingo Media, neutram factionem eo usque deprimi volebat, ut ipsa in alterius potestate esse cogeretur. Qua prudentiâ id est consecuta, ut Imperium mutuo æmulatu atque invidiâ permitterent fœminæ, & externæ; quòd alter alteri minimè concessisset. *Henricus Davila lib.2. Histor.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXIII.

Bellicosi subditi à belli studiis, seditiosisque consiliis ad vitam ignavam Consilio & Industria *traducti.*

ROmani, ut Gallos recenter subactos in officio continerent, omnesque rebellandi occasiones tollerent, nullum efficaciùs reperire potuerunt remedium, quàm occasionem illis commoditatemque ditescendi suppeditare. Res adeò feliciter cessit, ut de populis, qui bellicosissimi fuerant, nihil remanserit præter famam, *quòd Galli olim in bellis floruerint.* Imò tempore Taciti penè fabulæ instar fuit, Gallos aliquando bellicosos fuisse. Ex quo non obscurè perspicitur, torporem cum otio conjunctum, occasione divitiarum, quæ velut prodromæ antecesserant, in veterem Galliam intrasse; & illum tam armipotentem quondam populum dulcedine opum quas collegerat, enervatum fuisse, ut Romanis non esset ampliùs metuendus.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXIV.

Frequens Officialium mutatio Consilio & Industriâ *Æsopi Samiis dissuasa.*

ÆSopus declaraturus Samiis, non facilè Præfectos veteres populi mutandos esse, hanc fabellam usurpavit.

Vulpes, inquit, in foveam inter paludes delapsa, cùm à muscis obsessa teneretur, quæ hausto jam sanguine

non

non tenuiter pastæ erant; Erinaceus vexatam miseratus, suam arcendis tam importunis hospitibus operam vulpi detulit, jamque explicatis aculeis, lautè ex hac rapina pastas aut ulturus, aut abacturus erat. At vulpes officium hoc deprecata: noli inquit, frater satiatas abigere, ne aliæ famelicæ & impastæ succedant, quæ me totam denique exhauriant. Leviùs jam plenas sustinebo, quàm exhaustas impletura sum. Ita Samiis, qui Præfectum suum peculatûs damnaverant, mutationem sententiæ & Præfecti absolutionem persuasit. Quòd intelligerent, faciliùs se jam suis opibus ditatum sustinere deinceps posse, quàm si alium ex tenuiori fortunâ ad parem opulentiam aspirantem, admitterent.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXV.

Potentiores irati Consilio & Industria *correcti, & ad saniora consilia traducti.*

EOs, qui potentiâ prævalent, cùm in iram exarserint, non oportet intempestivis monitionibus ac reprehensionibus irritare: sed potiùs eosdem nonnunquam affectus simulare ad tempus, ut, ubi ira resederit, à pacatioribus audiamur. Neque enim ira sub primum impetum ullâ prudentiâ consiliove tractabilis est. Hac ratione Otho Marium Celsum ad supplicium à militibus postulatum, simulatione iræ vinciri jussum, & majores pœnas daturum affirmans, præsenti exitio subtraxit.

Tacitus lib. 1. Histor.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXVI.

Imprudens & importuna vel monitio, vel reprehensio Principis Consilio & Industria *correcta.*

Sigismundus Imperator iter faciens torrentem equo trajiciebat: in quo equus consistens mingere cœpit. Tum quidam Aulicorum, Cæsaris equum naturam Cæsaris habere palàm asseruit. Causam rogatus; quoniam, inquit, equus aquam torrenti addit, Cæsar verò habentibus dat. Animadvertit Imperator hoc dicterio perstringi se, quòd in Aulicum jam veteranum nihil beneficii contulisset: & subjecit, nunquam quidem sibi bene merendi voluntatem defuisse; sed Principum dona non semper eos locupletare, qui illa mererentur, sed quibus à Fortuna essent destinata: & id re ipsa comprobaturum se dixit, quamprimum otii aliquid & quietis nactus esset. Postea negotiis gravioribus expeditis, Cæsar pixides duas parari jussit, magnitudinis & formæ ejusdem. Unam auro, alteram plumbo replet, eodem pondere: & aulico illo monitore vocato præcipit, ut ex pyxidibus unam pro arbitrio eligeret. Anxius Aulicus librando modò hanc, modò illam tollit, nesciens utram potissimùm debeat eligere. Tandem eam eligit, quæ plumbum continebat. Quod ubi ille reclusâ pyxide conspexit: jam patet, ajebat Cæsar, non meam voluntatem, sed tuum infortunium obstitisse, quo minùs hactenus beneficium à me sis consecutus.

Carion. lib. 3. Chronici.

CON-

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXVII.

Nimia Principis in ſubſcribendo facilitas & incogitantia, Conſilio & Induſtria *ſororis correcta.*

THeodoſii Junioris nimiam in ſubſcribendis codicillis facilitatem, cùm etiam ſæpè literis non lectis ſubſcriberet, indignè ferens ſoror Pulcheria, curat conſcribi literas; in quibus uxor ipſius Eudocia, quàm mirificè amabat, petita in ſervitutem tradebatur. Eas non lectas cum ſubſcriptione confirmaſſet Theodoſius, paulò poſt recitata coram fratre ſcriptura, gravi objurgatione ejus negligentiam perſtrinxit, correxitque Pulcheria. *Theodorus lib.* 5. *cap.* 36. *Nicephorus lib.* 4. *c.* 23.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXVIII.

Superbia Regis in receptione feudi Conſilio & Induſtria *ab Imperatore caſtigata.*

CUm Rudolphus primus Auſtriacorum Cæſarum contra Ottocarum Bohemiæ Regem (qui Auſtriam à Margarita uxore dotis nomine obtinuerat, & eam repudiatam veneno ſuſtulerat) bellum ſuſcepiſſet: Moguntinus, Salisburgenſis & Friſingenſis Antiſtites, cum Comite Palatino, concordiam inter duos Principes tractaturi, Ottocarum Viennam accerſunt, & cum eo in hunc modum paciſcuntur: ut relictis terris Auſtriæ, Stiriæ ac aliis, quas Rudolphus jam occupaverat cis Danubium, Ottocarus contentus eſſet parte illa Tranſdanubiana ad Mora-

viam vergente, quæ Marchiæ campus appellatur; atque insuper feudum in posterum de Regno Bohemiæ à Rudolpho Imperatore reciperet; literis denique ac juramento concordiam ratificaret. Consensit Ottocarus in omnia: unum rogavit sibi condonari, ne scilicet in publico feudum accipere cogeretur. Erat enim (inquit *Fulgosius lib. 6. c. 4.*) superbissimus, & verebatur poplite flexo illum adorare, qui olim ei servierat. Concessit Rudolphus, ut sub tentorio, seu papilione id fieret. Erat autem tentorium illud eo artificio factum, ut unico tractu in quatuor partes dissolveretur. Dum itaque flexis genibus accipit vexillum à Rudolpho, quidam fune tracto tentorium dissolvit, ut omnes palam Ottocarum ad Rudolphi genua provolutum videre possent. Id cùm Uxori ejus Cunegundi, quam viventi Margaritæ superinduxerat impius, innotuisset: Vah, inquit, qui potentissimus es Rex, coram servo olim tuo (nam Rudolphus Magister Curiæ Ottocari fuerat) tam splendidè ornatus, cervicem submittis, eumque palàm cunctis videntibus adoras? Emasculatus es, neque Regiâ Coronâ dignus. Quibus verbis impulit Ottocarum, ut contra datam fidem, cùm sua pernicie bellum Cæsari inferret.

Simili Stratagemate politico usus fuit Casimirus III. Poloniæ Rex, dum in fidem reciperet Stephanum Walachiæ Despotam, multorum Regum Victorem. *Cromerus lib. 29.*

CON-

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXIX.

Errores Principum Consilio & Industria *Sapientum correcti.*

MIecislaus III. Polonorum Princeps avarè & superbè imperabat, & per Præfectos suos pooulum expilabat. Gedeon Cracoviensis Episcopus olandè primùm monere Principem voluit; mox ubi ontumacem advertit, solertiâ & industriâ severitate nixtâ utendum censuit. Mulierem subornat, quæ ordido & miserabili habitu assumpto, ubi in conpectum Principis venit, lamentabili voce & ementito ejulatu opem ejus implorat. Motus ejus lacrynis & importuno clamore Miecislaus, accitam, quid ibi velit, rogat. Cui illa: gregem, inquit, ovium, umque numerosum habui, & filio commendavi: qui llum porrò Mediastinis pascendum commisit: hoùm verò negligentiâ grex à lupis devoratus, & ego ad xtremam inopiam inde redacta sum: rogo proinde, t cujus culpâ damnum datum est, ab eo præsteur. Citati Mediastini (& ipsi subornati) negant ia negligentia damnum illatum esse, sed culpa adoescentis, qui ejus mulieris non filius, sed privignus ffet; Eum enim venationi deditum, feros canes alee: qui soluti partim ipsi gregem laniarint, partim isjectum ac dissipatum lupis in prædam objecerint. dolescentem igitur damnum resarcire debere: se eque canes abigere, neque dispersis ovibus sucurrere potuisse. Aderat & Adolescens, crimenue in Mediastinos referebat, negabatque se ad greem perdendum, sed defendendum canes alere. leque tamen satis illorum dicta refellebat. Cognitâ

causâ Miecislaus condemnat adolescentem damni il lati. Approbant, qui tunc aderant Senatores Prin cipis judicium. Tum Gedeon: Justè,inquit,& sapien ter judicasti Princeps. Tu filius es hujus amplissim ac florentissimæ Reipublicæ; Sed tu te privignun ejus haberi mavis. Tu gregem tuum nummariis Ju dicibus & Magistratibus tradis. Tu feros canes, ho est, acerbos & crudeles exactores ac præfectos fa cultatibus & sanguine innocentum saginas: quorur cupiditate & asperitate fit, ut tenuiores à potentio ribus, perinde quasi à lupis, impunè diripiantur & opprimantur. Incensus hac oratione Episcopi Mie cislaus, cum fremitu è Senatu sese proripuit: mult Gedeoni, multa cæteris Senatoribus, qui Gedeon dicta approbare videbantur, minitans. Proceres tar dem impotentis Principis tyrannidem perosi, dignitat eum privarunt, & Casimirum fratrem vel invitum i ejus locum subrogarunt. *Cromerus lib. 6.*

Carolus Philippi II. Hispaniarum Regis filius, pu rili contentione Amitæ Reginæ colaphum impegera Quæ petulantia cùm virgis castiganda videretur, ferc cem puerum hac industria circumvenerunt. Dispe sator Regius crebris suspiriis ingentem simulat dol rem, & postquam multis Caroli minis precibusque a aperiendam tristitiæ causam compulsus esset, tande ei significat, Regem Philippum Caroli Patrem inj ria amitæ illata commotum, morti ipsum adjudicass Perturbatus eo nuncio puer, intercessionem pro se fie rogat. Id se facturum pollicetur Dispensator. I terim simulat accessum ad Regem, ab eoq veluti redux, significat impetratam esse à Rege jactura manûs pro usura vitæ. At quomodo Rex ero, respond puer, si mancus sim? Quid si manus jacturam vi gis redimamus? subintulit Dispensator. Approban

id C

d Carolo, Principum & Episcoporum longa caterva stipatus Dispensator, ut fidem ejus rei puero faceret, Regem se adire fingit, & multa demum contentione, pollicitatione ac precibus hanc se gratiam obtinuisse profitetur. Ergo Cardinalis cujusdam correctioni subjectus, & ab eo virgis castigatus puer, eam pœnam moderatè tulit, quam alioqui morte ipsa præventurus videbatur. *Acroam. Hugonis Blotii.*

Laurentius Medices Cosmi Filii prodigalitatem ndustriè & solerter correcturus, Quæstori mandat, ut ilio largitiones facturo obsequeretur, ea tamen lege & conditione, ut filius ipse manu propria pecuniam numeraret, numeratamque largiretur. Ergo cum octo milia aureorum muneris loco erogaturus esset Cosmus, Quæstorem ea lege habuit obsequentem, si ipse aureos llos manu sua dinumerare vellet. Lætus hac facilitate Cosmus, conditionem accipit. Sed vix bis mille numerarat, cum & temporis jacturam ægrè ferre, & doni magnitudinem oculari inspectione cepit agnosce-e. Atque hac paterna industria effectum est, ut Filius in posterum esset in largiendo parcior atque restrictior. *Corrozetus de dict. & fact. Memorab.*

Simili industria, sed non simili successu usa fuit Agrippina, ad corrigendam prodigalitatem Neronis. Hic, este Dione, militi prætoriano ob causam aliquam jusserat centies HS numerari, hoc est ducenta quinquaginta millia Philippicorum. Agrippina Neronis Conux tam profusam impeditura largitionem, totam eam summam jussit coram Nerone in mensa exponi & expandi; ut vel ipso aspectu ad mutandam mentem moveretur Nero. At ille jussit alterum addi, cum dicto: *Nesciebam me tam parum dedisse.*

Cùm Augustus Imperator aliquando multos esset morte damnaturus; nec Mecænas, qui Augusto valde familia-

familiaris erat, propter circumstantium coronam a[d]
eum perrumpere posset, inscripsit schedulæ hæc verba
Surge tandem carnifex, eamque in Augusti sinum pro-
jecit. Qua lecta Augustus statim surrexit, dimisitqu[e]
quos erat interfecturus.

Ptolomæus Ægypti Rex, cùm in lusu aleæ totus es-
set, astitit puer ludenti, qui reorum nomina & cri-
mina è tabella recitabat, ut scilicet Rex eos designaret,
quos capitis supplicio dignos censuisset. Id videns
uxor ejus Berenice, femina cordata, non passa est ul-
teriùs legi, sed arrepto è pueri manibus libello ad ma-
ritum conversa: quid, inquit, an non oportebat te re-
lictis ludicris, vel maximè animum advertere, quando
de salute hominis agitur? Non enim casus humano-
rum corporum & tesserarum pares sunt. His auditis
Regem mirificè delectatum fuerunt, & nunquam po-
stea inter ludendum de causis capitis cognovisse.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXX.

Reges & Principes Consilio & Industria *Morionum correcti.*

ALphonsus Arragonum Rex Morionem in Aula
habebat, qui censoria Virgula singulorum dicta
factaque notabat, & tabellis descripta Principi stato
tempore offerebat, suo adjuncto judicio, quodnam sibi
ex omnibus stultissimum videretur. Accidit aliquan-
do, ut Rex Maurum servum fidelissimum cum ma-
gna Vi auri ablegaret, equorum comparandorum
causâ. Id factum Morio in diarium suum his verbis
retulit: *Alphonsus Rex Christianus Mahumetanum
servum, aliquot aureorũ millibus onustum, ad Mahume-*
tanos

anos pro equis emendis dimisit. *Exitus acta probabit.* *Ego verò, si bona fide revertatur, Maurum stultissimum Alphonsum sapientissimum: si non revertatur, quòd probabilius est, Alphonsum stultissimum, Maurum sapientissimum, pro eâ quâ polleo, auctoritate Censoria, pronunciare non verebor.* Ægidius Corrozetus de dictis & factis memorabilibus.

Nicolaus Morio Saxoniæ Ducum, cùm inter fratres e dividenda Regione ageretur, Veste splendida indutus, in consessum Procerum venit, &c, ecquid placeret? ridericum Ducem interrogavit. Laudante eum Du-,in proximum conclave se contulit, & forfice vem dissecuit: mox altera vestis parte amictus, ocus Principis se obtulit, &, nunquid placeret? rogat: Principe verò factum ejus virgis castigandum asrente: ut libet, exclamavit Morio, dummodo te ioque virgis cædant, qui divisione cum fratre ini- pulchriorem hac vestem dilacerare conaris. *Hiemiæ Mederi acroama.*

Petrus Berenautus Morio facetissimus, Philippo assiæ Landgravio de dolore capitis ex hesterna vini tatione conquerenti, præsentaneum se remedium mmunicare posse dixit. Data loquendi copia: esterna, inquit, crapula hodierna expellenda est. Tum inceps: At crastino die graviùs ex capite laborabo. gurgites ergo te denuò, subjecit Berenautus. Quid tertio die? iterum. Quid quarto? Idem. Et quis tandem finis? Ut mei similis, inquit, evadas. *Hieremiæ Mederi Acroam.*

CON-

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXXI.

Adulatio Consilio & Industria *Principis rejecta.*

CAnutus Daciæ & Angliæ Rex animi causâ ali-quando juxta littus maris deambulabat, ibiqu à milite quodam appellatus Rex Regum omnium po-tentissimus; utpote qui hominibus, qui mari, qui ter-ræ longe lateque imperitaret: ut suorum assentatione corrigeret ac redargueret, vestem exuit, & ex ea glo-bum fecit, illique insedit proximè ad aquam: æstu ma-ris tum fortè ex alto se incitante & commorente. Moxque conversus ad mare: Unda, inquit, tibi præ-cipio, ne pedes meos tangas. Vix ea verba protulera-cùm subitò fluctus littori allisus, Regem totum con-spersit. Tum ille ad suos: Quo jure, ait, vos me Re-gem potentissimum appellatis, qui hanc parvulam & modicam undam imperio meo cohibere nequeo Deus solus est Rex Regum potentissimus & Dominu Dominantium. Inde Vintoniam profectus, coro-nam, quam gestabat, Capiti simulachri CHRIST crucifixi, quod in templo Apostolorum Petri & Paul pendebat, suis manibus imposuit; nunquam postha tali capitis ornamento usus. *Polydor. lib. 7.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXXII.

Confusio morum & mutatio Imperii in Republica, Consilio & nduſtriâ *vitata.*

STatuta Venetorum nulla inter Patricios & Plebe-jas matrimoniorum commercia concedunt, nisi fortè

orte amplior dos natalium vilitatem compenſet. Hinc cùm antiquo Reipublicæ Venetæ decreto, Patriciæ dos mille ſexcentis aureis definita ſit; plebejam, Patricio nubat, bis mille conferre neceſſe eſt. Cujus legis & conſuetudinis ea eſt ratio, ne Ariſtocraticum Venetorum Imperium plebis affinitatum vinculis paulatim mutetur in democraticum: & ne promiſcua ſanguinis confuſio morum quoque confuſionem inuat.

Similis conſuetudo viguit olim in Republica Romana: ubi legibus duodecim tabularum ſancitum erat, ne Patriciis liceret cum plebe connubia inire; cùmque Canulejus Tribunus plebis hanc legem abrogari peteret, & ſanciri, ut Patriciorum plebisque connubia promiſcua eſſent, Senatus magnopere repugnavit.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXXIII.

Homines otioſi, ignavi, aſoti Conſilio & Induſtriâ *è Republica ejecti, & furta ac latrocinia impedita.*

AD præcavenda furta & latrocinia: decretum fuit olim lege Solonis & Amaſis Regis Ægypti, ut homines otioſi, ignavi, aſoti; imò univerſim omnes, qui tenuioris eſſent fortunæ, ſive cives, ſive peregrini, indicarent Magiſtratui, quâ ratione ſibi victum compararent.

Eadem induſtria commendatur in Hugone Marchione Brandeburgenſi, Ottonis III. Imperatoris Vicario; qui hominibus otio torpentibus, decoctoribus, vagabundis &c. adeo infenſus erat, ut eos in judicium vocaret ad reddendam rationem otii & ſum-

ptuum

ptuum. Unde etiamnum Florentiæ ſervatur conſue tudo ab eo introducta, ut Magiſtratus in prædictæ fa- rinæ homines inquirat, atque ex iis percunctetur, und impenſas vitæ neceſſarias deſumant. Qui ſi innocen tiam & rationem vitæ non probaverint, trahuntur ad ſupplicia, vel ex urbe ejiciuntur, ut Sabinus in vita Mar chionis Hugonis ſcriptum reliquit.

Athenienſes quoque diligentiſſimè inquirebant quid quisque ſuorum ageret, & quonam quæſtu ſu ſtentaretur. Idque eo faciebant conſilio, ut homine honeſtatem ſectarentur: memores, ſibi vitæ rerum que geſtarum rationem eſſe reddendam. *Valer. Max lib. 2. c. 1.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXXIV.

Vitæ & ſanitati Principum adversùs venena Conſilio & induſtriâ *proſpe- ctum.*

LUdovicus Septalius Excellentiſſimus Medicus va rias præſcribit cautiones & Induſtrias, viris Prin cipibus adversùs venena præſidio futuras.

Initio ait nihil aut parum adjumenti eſſe ab iis, qu cibos & potus Principum prægustare ſolent: tum quòd veneni vires aliquantò tardiùs & lentiùs, ſi it præparentur, ſeſe exerant: tum quòd cibus potusqu copioſus perimere poſſit hominem, ſi veneno infectu ſit: etſi exiguus, prout à prælibantibus ſumi ſolet, a hunc præſtandum effectum invalidus ſit. Quòd ſi & ipſi, qui prægustant, ſceleſti eſſe velint, mille modos in venient, quibus fallant & noceant: poſſunt enim præ ſumendo medicamenta ſe adversùs noxiam vener vim communire: poſſunt ventrem priùs multo cib implere

nplere, dein vomitare virus: possunt illam partem
pare, quam veneni expertem sciunt. Cæterùm præ-
pta Septalii hæc sunt.

1. Princeps in Ministeriis secretioribus puerorum
agis operâ quàm adultorum: & horum magis quàm
num (nisi & illi exploratæ fidei sint) utitor.

2. Pauci sint, qui hæc intima ministeria curent. Nam
ter multos semper unus erit sceleri paratus.

3. Indusia cæteraque linea supellex à fidissimis asser-
tor: sitque infecta fumo odorifero ex Lauri & ro-
um foliis.

4. Reconditas & atrâ bile involutas mentes caveto.

5. Uno ciborum genere nimis impensè se delectari
monstrato.

6. Boletos, fungos, ranas ne edito: ne sub prætex-
, quòd hisce cibis naturâ suâ maligni aliquid insit, tu-
s Veneficia parentur & patrentur.

7. Plerumque appositum sibi panem; quæsito co-
e, quòd aut durior sit, aut minùs pistus, mutato.

8. Si cibus aut potus peregrinum oluerit, aut sapue-
, exspuito.

Hæc Septalius; qui addit falli eos, qui se ovorum
bilium esu tutos arbitrantur: nam & his Venenum
illimè infundi potest.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXXV.

nimicus Principis, & insidiator vitæ illius, Consilio & Industria *factus amicus.*

Mperator Augustus, quamvis plurimos, qui con-
ra se conjuraverant, extremo supplicio affecerit,
nnæ tamen toties insidiatori vitæ suæ, toties

 per-

perduellionis reo, toties mortem promerito, non solùm pepercit, sed cum eo etiam, licet hoste acerrimo, sempiternum fœdus iniit, eumque maximis cumulavit beneficiis. Et cùm Cinna capitis sententiam ac supplicium expectaret, hac oratione adversus eum est usus Augustus: Vitam tibi Cinna iterum do, priùs hosti, nunc insidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die amicitia inter nos incipiat: contendamus utrum ego meliore fide tibi vitam dedero, an tu debeas. Neminem deinceps Augustus habuit chariorem; à quo etiam scriptus est heres omnium bonorum: nec quisquam postea inventus est, qui optimo Principi insidiaretur. Vicit nimirum Augustus inimicos suos clementiâ, quos severitate compescere non poterat.

Atque hoc consilium suggessit Augusto Livia conjux, quæ maritum suum sic aliquando allocuta fertur: Ego, Auguste, sic sentio, plus clementiam, quàm sæviciam proficere. Nam benevolos & misericordes non ii tantùm, quibus delicti gratia facta est, charos habent, ac gratiam referre student, sed reliqui etiam omnes reverentur & colunt, ut nemo eos deinde lædere audeat. At eos, qui irâ inexorabili utuntur, non modò odio habent ii, qui sibi metuunt, sed cæteri quoque infensi, insidiis structis suam perniciem evitare student. *Dio lib. 5.*

Non absimili industriâ usus Carolus IV. Roman. Imperator, hominem, qui sibi necem paraverat, ad se vocavit, eique 1000. aureos dono dedit, quibus nubilem filiam nuptui collocaret: ejus se misereri dicens, cui filia natu grandior domi clausa esset. Homo gratias egit Regi, & ad conspiratores reversus: Nesciebam, inquit, qualis Carolus esset: nunc liberalem & clementem Principem ferire non possum. *Æneas Sylv. lib. 4. Comment. de Alphons.*

CON-

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXXVI.

Lethales insidiæ Consilio & Industria *Principum devitatæ.*

ABas Persarum Rex, qui superioribus annis è vivis excessit, ut insidias inimicorum devitaret, singu-s noctibus plures sibi lectos in diversis cubiculis pa-ri jussit: unde nemo, ubi Rex dormiret, scire po-erat: præsertim cùm una nocte sæpius surgere, & ab no loco in alium commigrare soleret.

Quæ providentia Henricum quoque III. Angliæ egem morti eripuit. Nam cùm miles quidam, ob escio quas causas Regi infensus, per fenestras noctu conclave Regium ingressus esset, & ferro pulvinar Regem se cædere arbitratus) iteratis ictibus per-ississet; commodum accidit, quòd Rex ea nocte ali-dormiret. *Polydorus Virgilius lib.16.histor. Anglic.*

Scipio Amiratus in Parallelis scribit Eleonoram To-anam Cosmi Magni Hetruriæ Ducis uxorem primis perii annis, & invalidis adhuc novi Principatûs fun-mentis, longissima noctium spatia lusu & alea ansegisse: non pravâ ludendi libidine, sed contra ebras, quæ tum in maritum designabantur & dete-bantur, conjurationes.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXXVII.

Adversariis & Conspiratoribus Consilio & Industria *Principum Fautores atque Clientes facti.*

ERicus Gothorum & Danorum Rex, cùm conspi-rationem aliquam contra se factam comperisset,

quos majore suspicione notatos habebat, eos majoribus pluribusque beneficiis sibi obnoxios faciebat, majoremque tributorum partem illis remittebat: professus se longè feliciorem ex fide, quàm ex pecunia civium fore; nec tantùm sibi lucra prodesse posse, quantum odia obessent. *Joan. Magnus lib. 4. c. 11.*

Subtiliore, magisque Cosmopolitico artificio, ad devinciendos sibi adversarios utebatur Agesilaus Spartanorum Rex; qui malevolos apertè quidem non lædebat; efficiebat tamen, ut semper eorum aliqui Duces ac Rectores mitterentur peregrè: quorum deinde detegendo in potestate nequitiam & avaritiam, mox imploratus à reis, rursus opem ferendo ac patrocinando, ex alienis necessarios obstrictosque sibi reddebat. *Plutarchus.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXXVIII.

Importunæ petitiones & intercessiones Consilio & Industria *Senatûs Veneti coërcita.*

SÆpe accidebat Venetiis, ut qui rem aliquam magnam, aut difficilem impetrare à Senatu Veneto cuperent, per legatos Regum & Principum causam suam commendarent. Interdum etiam ipsorum Pontificum, Regumque Venetias venientium patrocinio nitebantur: quorum auctoritati Senatus prope cogebatur obsecundare. Quapropter Anno 1505 Senatusconsultum Venetiis factum est, ut qui à Senatu rem aliquam petituri essent, ii neque Legatorum, neque Principum opera uterentur: pœna iis, qui Senatusconsultum neglexissent, constitutâ. *Bembus lib. 7. Histor. Venet.*

CON-

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XXXIX.

Indebiti honoris petitio Consilio & Industria *delusa.*

ISmenias Thebanus officio Legati fungebatur apud Regem Persarum: ad cujus alloquium ut admitteretur, Thraustem Tribunum militum, & admissionum Magistrum enixè rogabat; Cui ille: nobis, inquit, ô hospes lex patria est, ut quicunque ad Regis congressum admittitur, cultum adorationis ei exhibeat. Id si præstiteris, satisfiet desiderio tuo: sin minus, Vicariâ meâ operâ utare, & quidquid negotii mihi commiseris, Regi fideliter referetur. Ismenias sciens rerum suarum pondus, neque conscium ullum, præter Regem, neque dilationem sine periculo pati, personale Regis alloquium postulavit. Intromissus in conclave Regium, calliditate Græcâ annulum è digito elabi consultò passus est, ut causam flectendi poplitem haberet. Quod dum faceret, illud animo cogitans: *Non tibi, sed annulo*, unâ hostiâ duobus Diis litavit; dignitati muneris, & gratiæ Regali.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XL.

Congressus publici Consilio & Industriâ *inter Viros Principes instituti.*

OPortet cautissimos esse Viros Principes in congressibus publicis & colloquiis, ne quid contra eorum dignitatem securitatemve committatur.

Instituto colloquio inter Cerialem Civilemque adversarum partium Duces, scisso Vahalis fluminis ponte, in ejus abrupta progressi collocuti sunt. *Tacit. lib. 5. Hist.*

Ludovicus XI. Galliæ Rex cum suo Equitum Magistro, quo cum simultates exercebat, in colloquium descensurus, pontem amni cuidam imponi jussit, atque in pontis medio cancellatæ velut fenestræ factæ, ut conspici inter se exaudirique colloquentes possent. *Æmil. lib.* 10.

Notatu digna est Francisci I. Galliæ Regis cura, quâ, cùm ex carcere Hispanico rediisset, sibi prospexit. Rex Lanojo Neapolitano Pro-Rege, Alarcone militum Duce, & quinquaginta equitibus comitatus, ad ejus fluminis, qui Hispaniam à Gallia dividit, ripam venit. Eodem tempore ac penè momento Militiæ Gallicanæ Dux Lautrecus, cum duobus Regis Francisci filiis futuris obsidibus, & pari equitum numero in opposita ripa constitit. In medio amnis vacua navis erat anchoris firmata. Ad hanc Rex scaphâ cum Lanojo, Alarcone & octo aliis, qui omnes brevibus armati erant telis, trajecit; & ab adversa ripa Lautrecus cum obsidibus & octo aliis pari armatura ad alterum navis latus se contulit. Deinde Lanojus & Alarco cum Rege & octo comitibus navem conscenderunt. Idem illico factum à Lautreco & suis pari numero. Postquam omnes in navi constitissent, Lautrecus Delphinum Regis Francisci Primogenitum ex sua scapha in navim transtulit: qui Lanojo, & ab hoc Alarconi traditus in Hispanicam scapham imponitur, eodemque momento alter Regis filius Dux Aurelianensis in navim acceptus est. Quòd ubi factum, dicto citiùs Rex in suam scapham desiliit, & ad ripam devectus, Turcico miræ pernicitatis equo raptim conscenso, in tutum abiit. *Guicciardinus lib.* 16.

CON-

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XLI.

Rebus propriis Consilio & Industriâ *prospectum, & impediti, qui impedire volebant.*

PHilippus II. Rex Hispaniarum Cardinalem Riarium ad se missum à Summo Pontifice, per Præfectos in itinere magnificè excipi, ludisque & spectaculorum varietate tam diu detineri jussit, donec Dux Albanus Regnum Lusitaniæ (de cujus controversa successione Pontifex sibi cognitionem arrogabat) armis subegisset.

Eodem artificio usus est Cosmus Medicæus, quando Cardinalem Salviatum, ne noviter jacta Principatûs Florentini fundamenta convelleret, extra Urbem Florentinam per amicos detinuit.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XLII.

Prospera corporis valetudo Consilio & Industriâ *Principum simulata, adversa dissimulata.*

LUdovicus XI. Galliæ Rex, cùm post morbum, quo apud ferrifodinas in Turonibus correptus erat, meliuscule haberet, statim ea omnia agere cepit, quæ morbum ex integro depulsum testarentur. Itaque exercitum lustravit, tributa acerbissimè exegit, equitandi laborem, plusquàm vires permitterent, sustinuit. Maciem ac deformitatem ex morbo contractam splendidis vestibus tegebat: in delinquentes severissimè animadvertebat; creabat novos Præfectos ve-

teribus remotis: Legatos in omnes orbis partes di mittebat. Ex Britannia molossos, ex Regno Neapolitano equos, ex Sicilia mulas, ex Africa leones, ex Dani Alcen & Rhangiferos sive Reinigeros magna pecuni comparabat: atque hæc omnia ideo faciebat, u omnes Regem corpore sanum, judicioque valenten crederent: neve cujusquam animum quidquam no vandi turbandive cupido subiret.

Solymannus Turcarum Imper. luridi coloris vitium fuco, inductoque genis purpurisso corrigere solebat, quotiescunque exterorum Principum Oratore ad alloquium admissurus erat: ut eum valentem a robustum credentes magis reformidarent.

Vivit adhuc, inquit Forstnerus in notis ad Tacit. i Germania Princeps è præcipuis: qui tametsi admodum Senex, quotidiano carnis Suillæ sale conditæ us validam ventriculi constitutionem & integras corporis vires simulat. Idem paucos ante annos quendam ex Aulicis ingentem lapidem ambulanti Domino incommodum, è via submoventem, suo loco reponer jussit; quærens, an se adeò decrepitum putaret, u transilire exiguum silicem nequeat.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XLIII.

Inordinatus auri & divitiarum appetitus Consilio & Industria *correctus*.

PYthius Lydus, quibusdam aurifodinis in sua di tione repertis, subditos suos universos, quà fodiendo, quà purgando, quà elaborando auro ita occupabat, ut neque agrorum culturæ, neque domestica rei, neque ulli omnino negotio vacare possent. Eju itaque uxor subditorum permota querimoniis, hu

mal

malo remedium allatura marito esurienti panes aureos, quos fabrefieri curaverat, in mensa apposuit. Is postquam ingeniosi artificis & uxoris ingenium collaudasset, aptas esui dapes afferri præcipit. Illa rursus aurea fercula & bellaria aurea jussit inferri. Quam ob causam cùm Maritus famelicus vehementer excandesceret; Viden, inquit illa, panem magis quàm aurum vitæ humanæ esse necessarium? Atqui dum omnes, quotquot habes, subditos, in metallum damnas, fieri non potest, ut agriculturæ, aliisque, quibus alimenta parantur, artibus incumbant. Quo ille veluti pharmaco à sapientissima femina sibi propinato, è chrysomania morbo animi periculosissimo convaluit.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XLIV.

Filiis superstitibus Consilio & industria *de successione Regni à Patre mortuo prospectum.*

ALexander Hierosolymorum Rex, ultima pressus ægritudine, scelerum suorum conscientia stimulatus, & avarè crudeliterque in populos grassatus, cùm timeret liberis suis Hircano & Aristobolo, ne post obitum suum Regno à subditis pellerentur, vocatam ad se Alexandram uxorem monuit, ut cùm animam ipse suam efflavisset, confestim cadaver in publicum efferri curaret, convocatisque illicò civibus, in demortuum maritum priùs acriter invecta, quòd injustus, rapax, impius, nefarius, perditissimisque moribus fuisset: inde quasi illorum faveret vindictæ, palàm diceret, tradere se Alexandri corpus dilaniandum civibus, ut quam in vivum nequiissent, in

mortuum saltem iram exercerent. Dilacerarent itaque illud, & hoc vindictæ genere sævissimum ulciscerentur tyrannum; postquam verò hæc peregisset commendaret ipsis liberos ut innocentes, impuberes ac nihil mali commeritos. Quod Alexandra summa severitate & prudentia executa cùm esset, ita quidem universæ multitudinis animos commovit, ut non solùm liberis, Regnoque salubriter prospexerit, verùm etiam mariti sepulturæ ac funeri consuluerit; siquidem populus hac tanquam liberalitate, justoque judicio delinitus, Regio more justa Alexandro persolvit. Prudentissimum enimverò & præcallidum Alexandri morientis consilium, nec minùs Alexandræ post viri obitum egregium factum. Quâ in re etsi sola calliditas videatur locum obtinuisse, non caruit tamen occulto justitiæ præsidio: cùm populus ipse justè secum agi ab Alexandra judicaret, quæ pro patratis à Tyranno sceleribus corpus ejus populariumiræ, qui injuriam acceperant, spontè permisisset.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XLV.

Subditorum animi Consilio & Industriâ *à Philippo II. Hispaniarum Monarcha Successori Filio conciliati.*

PHilippus II. Hispaniarum Monarcha, cùm morti proximus esset, grandem pecuniæ summam à suis subditis postulavit. Viderat ille quidem gravissimam omnibus, & difficultate plenam futuram esse postulationem illam, non tamen mutavit sententiam. Nimirum secum ipse constitutum clam habebat, non exequi eam petitionem, neque aliud eo artificio efficere velle, nisi ut filio heredi decedens ipse viam aperiret

qu

uâis à morte parentis ſtatim primo gubernationis
ordio dextrè,nec ſine regiæ authoritatis ſpecie, in
opuli gratiam,amorem ac benevolentiam ſeſe poſſet
ſinuare; atque ita futurum haud dubitabat ſapien-
ſſimus Rex, ſi heres filius duram illam parentis exa-
ionem proſequi porrò nollet, & remitteret totam.
ruit prudentiſſimi parentis conſilio filius, ita qui-
m, ut mox publico poſt ejus mortem diplomate
ixerit,nunquam permiſſurum ſe,ut paterna illa, po-
loque tam gravis poſtulatio executioni mandetur
uoquam; & ſi quis in Concilio Regio futurus ſit,
i perurgere illius executionem porrò velit, ſciret is,
temeritatem ejuſmodi capite continuò luiturum.
od cùm in vulgus rumore publico emanaviſſet, in-
edibile dictu eſt,quanto omnium ordinum applau-
Rex novus fuerit conſalutatus: nemine non per-
ſum habente, tali Rege ſe fore fortunatum. *Ex*
*.Matth.de Henrico IV. lib.*1. *Narrat.*4.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XLVI.

ubditorum erga Principem amor Conſilio & Induſtria *procuratus.*

VEneti id maximè providerunt (inquit *Egnatius lib.*2. *c.*1.) ut Princeps eorum ab univerſa civitate
enſè amaretur. Inſtitutum igitur, ut is quater in
gulos annos patricios convivio publico exciperet
a palatium ſuum,Primò in feſto S. Iſidori 4. Aprilis.
undò in feſto Aſcenſionis Dominicæ: quo tempo-
nundinæ frequentes habentur, & Princeps Bucen-
ro navi vectus, deſponſato per annulum aureum
ri, iis qui ipſum deduxerunt, Patriciis, ſolenne epu-
præbet. Tertium convivium celebratur menſe
Junio

Junio, quo die festum SS. Viti & Modesti colitur
Quarto convivio deputatus est dies Sancto Stephan
sacer: quo tempore etiam choreis & saltationibu
aliisque modestioribus ludis indulgetur.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XLVII.

Duobus contrariæ factionis Legatis Consilio & Industriâ *Principis satisfactum.*

VIcti erant Galli memorabili acie ab Hispan Consalvo Ferdinando eorum Duce: Venera que Hispanus Orator ad Leonardum Lauretanu Venetorum Principem, Victoriæ Lauream nunciatu rus: & aderat eodem tempore Regis Gallorum L gatus. Qui evocati à Duce ad Collegium seu Sen tum Venetum; cum tristior alter, alter exultabunc similis assedisset, conversus Dux ad utrumque: Eg inquit, coram vobis Pauli Apostoli verbis utar: cùm divinæ voluntati nemo possit resistere, flea quoque ego cum flentibus, & gaudeam cum ga dentibus. Quo Principis dicto adeo omnis invic evitata est, ut Galli non minùs, quàm Hispani gı tias illi agerent, indeque discedentes singularen viri prudentiam magnopere admiraren-tur. *Egnatius lib. 6. cap. 2.*

CO

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XLVIII.

Novitas vestium Consilio & Industria *Principis inhibita & prohibita.*

HUldericus Dux Wirtenbergicus patrii moris constans censor atque vindex, cùm imperante arolo V. Cæsare Hispani in Germaniam frequenr commearent; atque,ut novitatis stultus admirar est populus, vestitum illorum permulti imitarenr,suis ille domesticis curtas tunicas severè interdit: &,cùm quidam pallium solito brevius fieri cusset,re priùs à Sartore exploratâ, centonem versicorem assui jussit, & vestis defectum hac ratione mpensari: eâ lege, ut nisi hac veste indutus coram semper appareret, Principis indignationem incurret: illud sæpe repetens: *Peregrina vestes peregri- mores, peregrini mores peregrinos hospites Germa- inducent.* Christophorus, qui Patri in Principatu ccessit, cùm caligarum laxarum tam turpis, quàm itilis & insanus usus passim inter Germanos milites valesceret, Carnificem eodem habitu indutum edere voluit, omnibusque spectandum proposuit; ut ne quis eo vestitus genere ineptiret, in quo Carnificem haberet æmulum.

Ex Jeremia Medero.

CON-

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS XLIX.

Opes veteres nimiâ liberalitate amissæ Consili & Industria recuperatæ, & novæ acquisitæ.

HEnricus III. vel (ut quidam volunt) II. Castellæ Rex, cognomento liberalis, cùm nimiis largitionibus, & imperitâ rei Oeconomicæ administratione, ad magnam redactus esset egestatem, memorabi facto rem suam restituit in integrum.

Burgis (inquit Joannes Mariana *lib.3. de Reg. instit.*) Rex Castellæ se Aucupio coturnicum oblectare solitus erat. Accidit, ut aliquando fessus ex Venatione rediret, nihilque obsonii ad Cœnam paratur inveniret: Obsonatore Regio significante, non mod pecuniam omnem regiam, sed fidem etiam apud Creditores consumptam esse. Rex dissimulato in præsen animi dolore, oppignerato pallio arietinas carnes em jubet, & ex iis, captisque coturnicibus cœnam appa rari. Audit inter cœnandum, meliorem esse Proce rum, quàm Regis fortunam, lautissima eos inter frequentare convivia, omnique curâ solutos, certar luxu & splendore mensarum. Fortè ea nocte apu Regni Primatem cœnabatur; adest involuto capit Rex, omnia videt lætitiâ deliciisque redundare; au dit peracta cœna pro se quemque narrare, quantur redituum ex paternis oppidis, quantum ex Regi vectigalibus quotannis perciperet. Posterâ die Re fingit se gravi morbo correptum esse, cupereque Pro ceribus suprema mandata dare. Adsunt illi frequen tes in conclavi ad hoc à Rege deputato, qui post lon giusculam moram ferrea lorica tectus, stricto ense a congregatos ingreditur, torvoque vultu & oculis vi

dictar

ctam spirantibus quærit ex iis, quot singuli Reges
Regno vidissent; diversis diversa pro cujusque ætate
spondentibus: Ego, inquit Rex, viginti hodie Reges
Castella novi; vos enim omnes Reges estis, qui Re-
i arcibus & opibus occupatis, mihi inane nomen &
rdes egestatemque reliquistis. Sed hodierna dies
tunæ rotam vertet, & merita reis supplicia decernet,
nulque lictores cum sexcentis, quos armaverat mili-
us, elata voce evocat. Hic proceres metu conster-
i in genua provoluti, profusis lacrymis à Rege ve-
m petunt, quam is supplicibus impertivit quidem,
tamen ex palatio non ante abire permisit, quàm eo-
n arces & vectigalia, quæ sibi jure Regio deberi exi-
nabat, occupasset.

Expositâ industriâ, qua Rex Castellæ opes veteres
uperavit, subjungo aliam, quâ Princeps quidam
lesiasticus magnas opes de novo acquisivit. Is
rium suum non iniquo acquirendi modo augere
iens, in principio regiminis sui uno eodemque die
nes in oppidis omnibus ac municipiis, pagisque
nsuras, stateras, ulnas & pondera, ab incautis, & nil
metuentibus mercatoribus, propolis, pistoribus, la-
aliisque negotiatoribus subditis auferri, ac in unum
im comportari jussit, eosque qui mensuras publicè
batas corrupissent, pro qualitate delicti, personarũ
cultatum ita mulctavit, ut inde multis aureorum
ibus comparatis, ærarium suum non mediocriter
erit. Simili modo quidam Rex Angliæ Mercato-
n falsam ulnam castigavit, adhibita bracchii sui
mensura, omnibusque per Angliam propo-
sita, Klockius *de Ærario lib. 6. c. 36.*

CON-

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS L.

Factio & seditio Atheniensis Consilio & Industria *cujusdam Sophistæ pacata. Ubi plura ad hanc rem pertinentia adducuntur.*

LEo Bizantinus Sophista fuit corpore tam pingu & obeso, ut cùm ad sedandam factionem Athe nis (ubi tum legati officio fungebatur) suggestun conscendisset, risum omnibus moverit. At ille: *qui ridetis*, inquit, *Athenienses? an quòd vobis videar pin guis? Scitote, uxorem mihi esse longè pinguiorem: ta les tamen, ac tantos (cùm sumus concordes) brev admodum lectulus capit; discordes ne tota domus qu dem.* Quibus verbis tempestivè, & ad propositum ac commodatè adductis, seditionem sedavit, populum que paci restituit.

Ut hæc materia de sedandis impediendisque cor jurationibus ac seditionibus penitiùs innotescat; l bet iis, quæ hactenus à me allata sunt, Consiliis & Industriis, alia quædam huc pertinentia adjungere.

Primum itaque nihil est in hoc genere rerum tan quàm leve spernendum. E levissimis vaporibus nu bes generantur, quæ deinde atrocissimas effundu tempestates. Cùm de salute Reipublicæ agitur, cr dulum esse oportet; vel saltem suspiciosum; licet va cuipiam videri possint, quæ afferuntur.

Deinde ubi fraus nondum quidem detecta, s specta tamen est; omnibus modis operam dare opo tet, ut in pleniorem cognitionem veniamus. Quo ubi factum, injicienda seditiosorum aut conjuratoru consiliis mora est; ut ita omnia detegantur, nobisq muniendi nostri tempus suppetat. H

Huc pertinet, quod quidam monent, objiciendam ſſe conjuratis occaſionem falſam (addo ego, & ve-am adimendam: cujus exempla poſtea afferentur) uâ alio tempore commodiùs, quàm nunc conjuratio-em executioni mandare ſe poſſe arbitrentur. Quâ olertiâ Romani ſunt uſi; cùm duæ Legiones, quæ Capuæ in hybernis erant, contra Campanos conjuraſ-ent; ſparſerunt enim Rumorem, quòd legiones anno tiam ſequenti eſſent ibidem hybernaturæ. Inde con-urati ſpatium nactos ſe rati maturiùs conſultandi, di-ulêre ſcelus, donec Rutilius Conſul malo Medicinam cere potuit. *Livius lib.*8. Huic arti affines ſunt aliæ, uæ in decurſu patebunt.

Romani ad motus extra Urbem propellendos bel-m aliquod ſimulabant, aut parabant. Sylla, ſpectan- ad ſeditionem milite, trepidum nuncium de hoſtis lventu finxit.

Piſander & Druſus ſuſpiciones inter Conjuratos & ditioſos ſerendo, periculum diſcuſſerunt. Et ſanè on exigua prudentiæ pars eſt, in ſeditionibus, conju-tionibus ac rebellionibus ſuſpectum reddere illum, l aliunde conflare invidiam illi, cujus potiſſimùm nſilio nituntur cæteri: quam notam Ducum artem acitus *lib.* 4. *Hiſtor.* appellat.

Hac arte uſus Hannibal, cùm in agros Romæ vici-s ignem immiſiſſet, & ad Quinti Fabii ſegetes ven-m eſſet; cæteris omnibus clade atque incendio va-tis, iis tantùm abſtinere juſſit; ac etiam cuſtodes adhi-it, qui prædatores omnes arcerent.

Sultani Ægyptii infinitam hominum Cairum in-lentium multitudinem ſuſpectam habentes, æaltis urbem foſſis diſtinxerunt; adempturi hac duſtria infido populo coëundi facultatem. Inter s cauſas, ob quas Reipublicæ atque urbis Venetæ

constantem per tot sæcula pacem ac tranquillitate nullæ unquam Civium conjurationes perturbarun eam vel præcipuam arbitratur Boterus, quod inte fluentibus passim aquis (Canales vocant) in mult veluti partes divisa sit Civitas.

Romani plebem seditiosam in colonias deduce bant, eique agros dividebant: ut ab seditiosis Con siliis, quæ ex otio proveniunt, ad agriculturam verte retur. Militem seditiosum per Provincias sparsu externis bellis occupabant.

Quòd Helvetiorum Democraticum Imperiu præter morem Democratiæ seditionibus minimè ob noxium sit, ea est causa præcipua, quod illi stipen dia apud exteras gentes facere soliti, hoc modo egere re possint, quidquid in suis urbibus & oppidis seditio sum ac turbulentum est. Magnus Dux Hetruriæ, tes Boccalino, classem perpetuò alit, ut urbium suaru purgamenta, homines inquam otiosi & ad seditioner proclives, militum vel remigum officio in ea fungan tur.

Cum prædictis remediis affinitatem habent popu lorum traductiones & veluti transplantationes. Pau lus Æmilius, subtracturus Macedonibus omnium re bellionum materiam, primores gentis cum univers familia in Italiam transportavit. Philippus Mace doniæ Rex, ut pecora pastores nunc in hyberna nun in æstiva loca trajiciunt, sic ille populos & urbes ad li bidinem suam transtulit. Augustus Cæsar Suevo deduxit in Galliam, & in proximis Rheno agris col locavit. Carolus Magnus Saxonum toties rebellan tium Nobilitatem, partim in Galliam Belgicam, par tim in Daciam seu Transylvaniam traduxit: & hin origo Civitatibus Saxonicis in illa Provincia.

Græci suspectas urbes mœnibus nudare solebant.

Idem

em fecit Leo X. Pontifex, qui præcipuarum urbium uros, quos Urbini Dux munitionis causâ construrat, solo æquavit.

Solent nonnulli Principes Conjuratis aliqua perttere, quæ apertè petunt; sed impedire princie, quod apertè non petitur, sed tamen occultè inditur. Ita Henricus III. Galliæ Rex, cùm contra sub specie fœdoris contra Protestantes, conjurasse isium comperisset; fœderi prudens subscripsit, sed ncipatum fœderis, imperiumque armorum, quod njurati in Guisium transferre cupiebant, sibi assum. *Thuanus*.

Quòd si verò ad manifestam intemperiem res deuta fuerit, tum populares viri, & qui plebem sibi noxiam habent, plurimùm valebunt ad exuntem plebis furorem intra modestiæ alveum redudum.

Magno in populo cùm sæpè coorta est
editio, sævitque animis ignobile vulgus;
amque faces & saxa volant, furor arma ministrat,
um pietate gravem ac meritis si fortè virum quem
onspexêre, silent, arrectisque auribus adstant.

ortè etiam interdum consultum erit, ut vir aliquis toritate præstans, bonus ac prudens, seditiosæ titudini in speciem se ducem præbeat, qui pro imcædes, rapinas & cætera seditionum mala prohi, aut saltem mitigare possit.

xemplum refert *Thuanus lib.* 5. de seditione, quæ n Aquitaniam concussit. Cùm enim seditiosi in Burdigalensi Georgium Chassanæum Curiæ Prææn, virum gravem, & qui gratiâ apud plebem vaplurimùm, sibi Ducem per vim sumpsissent: ille ptâ sensim auctoritate, bonos cives, quasi etiam cietatem adscitos, multitudini seditiosæ immi-

ſcuit : ut hoc modo rapinæ cædesque cohiberentu
& perditorum hominum audacia refrænaretu
Quamquam autem non diu fallebat Chaſſanæus : t
men ille in quamlibet frementes, Imperatoris jure uſ
præcipuos ex ſeditioſis, captatis occaſionibus, qua
dicto minùs audientes per comilitones confodi juſſ
Ita paulatim per quatriduum deſæviente furore, m
tus utcunque ſedatus eſt; donec Momorantius à Re
cum exercitu miſſus, ſeditiones ulturus veniſſet ;
que omnia, pro ea quam ampliſſimam obtinebat, p
teſtate compoſuiſſet.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LI.

Seditio popularis Conſilio & Induſtriâ *Me nenii Agrippæ ſedata.*

LIvius *Decad.* 1. *lib.* 2. refert plebem Romana
ortâ aliquando propter potentiam & opes nob
tatis ſeditione, ab urbe digreſſam eſſe: ſed huic m
lo medicinam feciſſe Menenium Agrippam, qui *Conſ*
& Induſtriâ uſus, commemoratione hujus fabellæ p
bem ad urbem revocavit. Tempore illo, inquie
Menenius, quo in homine, non ut nunc, omnia
unum conſentiebant, ſed ſingulis membris ſuum co
ſilium, ſuus proprius ſenſus erat, orta fuit diſſenſio
ter ventrem, & cæteras corporis partes : his indigna
tibus, quòd ſuâ curâ, ſuo labore, ac miniſterio ven
in rebus omnibus ſerviendum eſſet; venter verò
medio quietus reſideret, & non niſi voluptatibus fru
retur. Unde orta inter membra corporis conſpi
tione, decretum eſt, ne manus ad os cibum appor
rent, nec os aliunde fortè allatum acciperet, nec den
quacunque demum ratione ori ingeſtum commo

re

ent. Atque ita dum membra hac ratione ventrem ame domare vellent, eveniſſe, ut membra ipſa magnopere debilitarentur, ac denique totum corpus tabe contabeſceret. Unde perſpectum eſt, ventris quoque on ſegne eſſe miniſterium, nec magis ali illum, quàm lere; cum cibum concoquat, & ex eo ſanguinem conciat, quo natura noſtra vivit & viget, confectumque reliquas totius corporis partes, ad operationes vitaes exercendas, diffundat.

Corpori humano perſimilis eſt Reſpublica (ajebat lenenius) in qua nobiles & opulenti pleraque Reiublicæ commoda ad ſe derivant, cùm interim plebs nuior laboribus ſe cogatur impendere. Interea men, ut à ventre digeſti cibi in ſanguinem venaſque anſmittuntur, nervique illius virtute animantur; præcipuum Reipublicæ præſidium roburque in bilitate procerum, atque opibus ditiorum conſiſtit: m quibus proinde plebem conſentire, rationi connum videtur.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LII.

Populari ſeditioni Conſilio & Induſtria *Solonis Legislatoris de remedio proſpectum.*

Olon inter cæteras leges hanc quoque ſtatuit: *Si* ob diſcordiam ſeditio atque diſceſſio populi in as partes fieret, & ob eam cauſam irritatis animis imque arma caperentur: tum qui eo tempore non utri parti ſe adjunxerit, ſed ſolitarius ſeparaque à communi malo civitatis ſeceſſerit; is no patriâ, fortuniſque omnibus careto, exul &

extorris esto. Legis scopus est, non augere seditio nem, sed bonorum virorum interventu, qui sese alte rutri parti adjunxerint, compescere seditionem. Quo non fieret, si nulli parti se adjungerent. Nam qui neu tri parti favet, neutrius amicus, imò omnium hostis ju dicatur. At qui uni alicui parti se favere simulat, ha simulatione potest suæ partis cives ad mitiorem tra ducere sententiam; & si ex alia quoque parte vir ali quis bonus ejusdem studii reperiatur, facilè sediti componetur. *Plutarchus in Solone.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LIII.

Plebs seditiosa Consilio & Industriâ *Hera- cliti Philosophi instructa.*

HEraclitus Philosophus in seditione plebis roga tus, ut coram ea sententiam diceret, quo pact civitas redigi posset in concordiam, conscenso sugge stu poposcit calicem aquæ frigidæ, & paululum farin inspersit; dein epoto calice discessit, nec verbu addidit. Hoc facto innuens, tum demum civitate carituram seditionibus, si cives repudiatis delicii assuescerent parvo contenti esse. *Erasmus lib.* *Apopht.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LIV.

Seditio & defectio Subditorum in urbibus lim taneis Consilio & Industria *præpe- dita.*

DArius metuens, ne regiones & urbes limitane si duriùs haberentur, ad vicinos rebelliones co cita

tati, deficerent; tributum multò tolerabilius le-
usque ab iis, quàm à meditullaneis exegit: aliquos
iam ab omni tributorum onere immunes pronun-
avit. Atque hac solertia limitaneos, præsertim Col-
ıos & Æthiopes, in officio continuit.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LV.

ellum impeditum, & composita pax Consilio & Industriâ *Principibus omnibus imitabili.*

CUm duo Reges, Matthias Hungaricus & Casimi-
rus Polonicus adduxissent exercitus ad Urbem
ratislaviensem, & uterque suo regno Silesiam adji-
re conaretur, eluxit eximia concordia & amor pa-
æ nationisque Germanicæ in duobus Principibus,
xonico & Brandeburgico, qui conjunctis armis &
imis ad Germaniæ defensionem se accinxerunt, &
cinos Principes in societatem honestissimi consilii
duxerunt, cùm apud eos plurimùm auctoritate &
nevolentiâ valerent. Itaque Electores illi, Brande-
ırgicus & Saxonicus, adductis ad Reges Hungariæ
Poloniæ sex millibus equitum, testati sunt, se utrique
egi amicos esse, nec permissuros, ut bellum ipsi inter
gerant, exitiale Europæ, & utile Turcis. Quare ho-
stas conditiones pacis utrique Regi se propositnros
e dixerunt: quas uter ex Regibus accepturus sit, ei
copias suas adjuncturos, ut alter vi opprimatur, vel
tem reprimatur, atque ad ponenda arma compella-
r; neque passuros se esse, ut exterorum armis Ger-
ania devastetur. Rex Casimirus & æquitatis, &
ermanorum Principum amicus erat: quare minùs
ace abhorrebat, quàm Matthias, qui ægrè ferebat

ſibi leges præſcribi, & cedebat invitus. Quia tame
videbat ſe Polonis & Germanis, ſi conjungerentu
non fore parem, conditiones paci ſanciendæ propon
paſſus eſt. Re utrimque mutuis altercationibus diſce
ptatâ & diſputatâ, Elector Brandeburgicus totâ cauſa
complexus, quatuor horis diſſeruit, & longâ oration
Germanorum Principum conſilia, & pacis conditio
nes, Regumque voluntates, & pacta exercitibus ex
poſuit. Atque ita pax inter diſſidentes coaluit
Richter in Axiomat. politic.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LVI.

Fortunati bellorum ſucceſſus Conſilio & Induſtriâ *procurati.*

MAgnus Sfortia eum prudentiæ judiciique mili taris tenorem uſque ad vitæ exitum conſtantiſ ſimè tenuit, ut non temerè quidquam in rei bellic negotio decerneret, niſi accito vel infimo quoque cen turione, & milite veterano; ut exquiſitis ſeparatim omnium ſententiis, quod patrandum foret, multo rum judicio probaretur. Sed id tantâ diſſimulatio ne peragebat, ut ſemper alienis exordiis & fabuli animi propoſitum celaret, atque aptè demum ad id quod vellet, inſtituto novo ſermone deferebatur quoniam eo pacto nunquam prolato interiore anim decreto, auctoritatem ſuam egregiè retineret: ne ob id perſuaſione prudentiæ animi minorum Du cum inflarentur; quando ii aliâ ſemper de cauſa ſe vo catos & fortuito demum ſermone in graviorem con ſultationem incidiſſe, humanitate Ducis facilè exiſti marent. Verùm illos confecto negotio jucundè potiùs quàm graviter in corona laudabat, qui feliciter ir diſpu-

lisputatione divinassent: & id quidem jucundiore ;ratiâ, quòd liberaliter & nullo fastu gloriam commuıicare videretur. *Jovius in vita ejus.*

Quidam, ut viam ad victoriam sibi sternant, eamıue veluti complanent; solent ejus hostis, quem oppugnaturi sunt, vicinos, sibi ante belli denunciationem ɔcios adjungere, vel certè conciliare eorum beneolentiam; præsertim si è Regione illorum commeaıs petendus sit.

Ita Cambyses Regem Arabum sibi conciliavit.

Ita ante annos aliquot supra triginta Ludovicus :III. Galliæ Rex aggressurus bello statum Mediolanenm, priùs sibi belli socium adjunxit Ducem Sabaudiæ, ui Mediolanensibus confinis est.

Eodem Consilio eademque Industria usus est Rex ;alliæ, quando ante quadraginta plus minùs annos oppugnaturus Hispanos in Brabantia, conciliavit sibi ıiùs animos Hollandorum, eorumque in bello societem expetivit.

Optimum fuit consilium Scipionis, quo censuit, 'annibali in Italiam irrumpenti primo quoque temɔre, & in ipso quasi limine occurrendum esse; neque llo modo permittendum, ut meditullium, atque ipsa nperii viscera penetraret, metum sui omnibus incusrùs. Imprudenter è contrariò egerunt Status Boheıiæ Anno 1620. adversus Ferdinandum II. legitiıum Regem suum rebellantes; qui, cùm exercitım hostilem in ipso Bohemiæ ingressu impedire posnt, eum usque ad Urbem Pragensem Regni Metroolim, in ipso Meditullio sitam, progredi passi sunt.

Prudenti, & ad reportandam victoriam accommoıtâ industriâ usus fuit Comes Mauritius copiarum Iollandicarum Ductor, dum in prælio Novioportensi Flandria cum Hispanis commisso, naves omnes

à littore jussit abduci, ut occasione fugæ, speque elabendi militibus præcisâ, eos ad conflictum animaret monstraretque solâ eos virtute periculum imminens evadere posse.

Nulli in bello conatus feliciorem sortiuntur exitum, quàm de quibus hostis minimè suspicatur. Omne enim subitum hosti formidabile est. *Xenophon.* 3. *Cyropæd.* Unde Julius Cæsar hyberno tempore, &, ut Tranquillus loquitur, spurcissimis tempestatibus vel infido se æquori committere, vel aliàs ad expeditionem proficisci solebat, quò incautioribus hostibus superveniret. *Dio Cassius.*

Julius Agricola cum contra Monam Insulam exercitum duceret, navesque deficerent; depositis omnibus sarcinis, lectissimos auxiliarium militum, quibus nota vada & nandi usus, quo simul & se & equos & arma regere noverat, ita repentè immisit, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui naves exspectabant, nihil arduum, nihil invictum crederent sic ad bellum venientibus. *Tacitus in Agricola.*

Recentius exemplum est, quod ex Guicciardino recenset Forstnerus. Novaria Urbs Italiæ à Gallis obsidebatur, ab Helvetiis defendebatur. Inter hos Mottinus Tribunus militum consilium cepit ob audaciam planè stupendum. Is convocata suorum concione; vehementi hortatur oratione, irent, & ultrò hostes in suis castris adorirentur. Rem quantò difficilior & periculi plenior videretur, tanto faciliùs successuram. Adjumento fore noctem, illatos tumultus atque terrores geminaturam. Igitur provecta jam nocte cùm in vallum hostilium castrorũ eniterentur, primùm à tormentis ingentem cladem acceperunt. At illi ferociã incredibili non periculis, non vulneribus, non miserabili cadentium ululatu deterriti, ad locum, in quo tor-

menta

nenta dispoſita erant,contendebant. Atrox ibi re-
um facies: utrinque infeſta nox; incertis per tene-
ras,quid oppugnare potiſſimùm,aut tueri oporteret:
lonec Germani milites, qui in caſtris Gallicis ſtipendia
acientes, ferè ſoli illa nocte egregiè pugnaverant,
riente jam ſole, amiſſis tormentis cederent. Ergo
ictoria penès Helvetios fuit; tantâ famâ toto orbe
elebratâ,ut multi conſiderata conſilii audacia,ferocia
ugnæ, certiſſimæ mortis deſpicientia, felicitateque
ucceſsûs; non dubitaverint anteferre facinus iſtud
mnibus fortibus factis,quæ Græcas Romanasque im-
lent hiſtorias. Scilicet pugnaſſe paucos contra mul-
os, ſine equite,ſine tormentis,nullâ adductos neceſſi-
ate (quippe Novaria extra periculum erat, & brevi
on parvam ſuorum manum ſibi acceſſuram ſpera-
ant) denique gloriam cum periculo, quàm ignobi-
m ſecuritatem maluiſſe.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LVII.

Exercitus Conſilio & Induſtria *cladi ſubductus.*

PRimo bello Punico Romanus Conſul, parum pro-
vida itinerum locorumque conſideratione, exer-
tum in locum humiliorem & collibus undique cin-
um per imprudentiam induxerat. Hoſtes aditus
ſederant: & rés, ſpectatis circumſtantiis, ſic erat
mparata, ut ſine ferro confectum bellum videre-
r. In eo neceſſitatis extremæ articulo, & vitæ mor-
sque confinio, Tribunus quiſpiam ſalutare ſuppedi-
ns conſilium: Conſul, inquit, videſne collem illũ non-
um ab hoſtibus occupatum? illuc cenſeo mittendam
hortem militum, ſi te tuosque ſalvos cupis. Hoſtes
enim

enim in eos irruent; interea tu, si Vir es, cum exercitu evades. Placet, inquit Consul, sententia tua; nec de cohortis mittendæ obedientiâ dubito: sed Ductorem illius, qui in certam mortē eat, ubi reperiemus. Me ipsum offero, inquit Tribunus. Nec mora: quadringenti ad moriendum proficiscuntur, & cadunt. Solus Tribunus inter mortuos semimortuus ipse repertus convaluit; & sæpè postea utilem operam Reipublicæ navavit.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LVIII.

Epistolæ occultæ Consilio & Industriâ *belli pacisque temporibus transmissæ & transmittendæ.*

JOannes à Porta *lib.* 11. *de Notis cap.* 21. existimat, intra siccas tabellas aliquantulum excavatas, & glutine denuò compactas, secretissimè posse litteras abscondi, & ad locum destinatum transmitti.

Pani incoxit epistolam arbitrariis notis scriptam Laurentius Medices Florentinæ Reipublicæ Princeps; & per nobilem quendam, mendici habitu tectum, misit ad Regem Ferdinandum Neapolim, quibus eum de salute filii, certiorem reddebat. *Brutus lib.* 8. *Histor. Florent.*

Placentæ plumbeam epistolam inseruit Polycrete capta à Drogneto Duce Erythræorum, misitque ad fratres suos. *Polyænus lib.* 8.

Lepori inclusit epistolam Harpagus ad Regem Cyrum; quâ eum incitavit ad oppugnandos Medos. *Herodotus lib.* 1.

Interiori vaginæ parti fuisse à quodam inscriptam Epistolam, testatur Frontinus *lib.* 12. *c.* 13.

Capi-

Capiti humano fuerunt inſcriptæ litteræ ab Hiſtyæo Mileſio, qui mancipio ſuo ægrotanti, facta curationis ſpe capillos raſit, & cuti capitis inſcripſit quæ ſignificata volebat: Mancipium verò, poſtquam crines iterum excreviſſent, ad Ariſtagoram miſit, cum mandato, ut ad reliquam ſui perfectamque curationem ab Ariſtagora raderetur. Raſit mancipium Ariſtagoras, & capiti ejus inſcriptam reperit hanc ſententiam: *Hiſtyæus Ariſtagoræ. Joniam ad defectionem ſollicita.* Gellius *lib.*17. *cap.*9.

Candelæ cereæ incluſam epiſtolam ad Cameneciæ urbis Præfectum miſerunt Tencinius & Drevicius Poloni, per puerulum, cum hoc mandato, ut quando Cameneciam veniſſet puer, juberet verbis ſuis Præfectum urbis ex ea candela accipere lumen. Præfectus ſuſpicatus quod erat, diſſecta candela epiſtolam reperit, quæ magnam rebus ejus lucem afferebat. *Cromerus lib.*20.

Alii per aërem miſerunt epiſtolas, easque vel telis inſcriptas, vel alligatas. Inſcriptas quidem à Cleonymo Lacedæmonum Rege, dum Trœcenem obſideret, hac ſententia: *Venio, ut civitatem in libertatem aſſeram.* Ita refert *à Porta lib.* 2. *c.* 21. Alligatæ verò à Timoxeno, apud Herodotum *lib.* 8. Idem factum ab Artabazo, & non rarò à Turcis.

Avium quoque volatu latæ per aërem litteræ. De hirundinibus id ſcribit Plinius *lib.*10.*c.*24. De Cornice, quâ uſus eſt Marrhes Ægypti Rex pro curſore, ita ſcribit Ælianus in hiſtor. animal. *lib.* 6. *cap.* 7. Marrhis Ægyptiorum Regis cornix fuit animal oppidò manſuetum & cicur; ita ut epiſtolas quò ille vellet, facilè perferret, eſſetque omnium nunciorum multò celerrima. Eam itaque pro hujuſmodi officiis, Marrhes, cùm defuncta eſſet, & columnâ, & ſepulchro honoravit.

De

De columbis ſcribit Plinius *lib.10. c.37.* eas magnis in rebus fuiſſe internuncias &c. Quid, inquit, vallum & vigil obſidio, atque etiam retia amne prætenta profuêre Antonio, per cœlum eunte nuntio? Loquitur Plinius de Hirtio, qui ad Decium Brutum Mutinæ ab Antonio obſeſſum litteras mittebat per columbas, quas fame & tenebris confectas vicino mœnibus loco immittebat, ut faciliùs ad eſcam à Decio rerum conſcio expoſitam advolarent, atque ita Decius litteras eis demeret.

Columbam quoque Sultanus, dum à Gallis, Venetisque obſideretur Ptolemais, eò miſit, quibus ſignificabat ſe tridui intervallo cum copiis affuturum. Sed Veneti columbam conſpicati, militari clamore ita eam terruerunt ſimul & debilitarunt, ut ex aëre delaberetur; moxque alligatis ei epiſtolis, Sultani nomine ſcriptis, quibus ſignificabatur urbi obſeſſi ſuccurri non poſſe, miſerunt Ptolemaidem; quæ deſperato auxiliorum adventu, ante triduum ſe ſuaque hoſti tradidit in poteſtatem. *Sabellicus lib.6. c.6.*

Quidam ſcribunt epiſtolas, quæ non niſi nocturno tempore, vel non niſi pulvere, aut aqua aſperſæ, vel igni admotæ legi poſſunt.

Nocte tantùm legi poſſunt litteræ ſcriptæ aquâ diſtillatitia nitedularum, vel aqua ſalicis putrefactæ.

Aſpectum fugiunt litteræ omnes ſcriptæ aceto, urina, lacte, adipe, ſepo, pinguedine, gummi, lacte herbæ tithymalli, donec pulvere aſpergantur; tum protinus fiunt viſibiles.

Scripta item omnia ſucco mali citrii, cæparum, ceraſorum, cyclamini, aliuſve cujuſpiam pomi acris, ſale denique ammoniaco, non niſi igne admoto leguntur.

A lumine aut calchanto ſcripta, tantùm legi poſſunt, poſtquam charta in aquam demerſa fuerit.

Quæ-

Quædam legi non possunt, nisi interposito lumine siderum, aut candelæ: quædam affusâ aquâ hydrargyri; de quibus singulis latè Joannes à porta lib.1. cap.ult. Quod vero tithymalli supra dixi, habetur ex Plinio *lib.26. cap.8.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LIX.

Pœna ob infelicem cum hoste conflictum formidata, Consilio & Industria *declinata.*

HAnnibal, cùm à Julio Consule Romano navali prælio victus esset, timeretque pœnam à Senatu Carthaginensi propter infelicem conflictum irrogandam; priusquam cladis acceptæ nuncius Carthaginem veniret, quendam ex amicis suis celerrimè ad Senatum misit, significatum, Romanum Consulem cum classe prævalida adventasse: censeretne Senatus cum hoste confligendum esse? Conclamavit Senatus fortunæ aleam tentandam, hostem invadendum esse. At ille: Invasimus, inquit, & confliximus, sed hosti fortuna favit. Siluerunt universi, nec quisquam damnare potuit, quod fieri debere omnes judicassent. *Valer. l.7.c.3.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LX.

Milites Consilio & Industriâ *Ducis sui, modum debellandi hostes edocti.*

SErtorius Hispanorum contra Romanos Archistrategus, quòd experimento didicisset, universo Romanorum exercitui se minimè parem esse, ut milites

suos

ſuos inconſultè pugnam depoſcentes idipſum docere
adductis in conſpectum duobus equis, altero præva
lido,altero admodum exili, duos admovit juven
ſimiliter affectos, robuſtum & gracilem: ac robuſtio
ri imperavit, ut equo exili univerſam caudam un
impetu abrumperet: gracili autem, ut valentio
pilos caudæ ſigillatim, repetitis vulſionibus extrah
ret. Cumque gracilis feciſſet, quod imperatum erat
Validiſſimus autem in equi debilioris cauda ſine eff
ctu luctaretur: Jam, inquit Sertorius, naturam Rom
narum cohortium hoc exemplo oſtendi: inſuperab
les ſunt univerſas aggredientibus: eaſdem lacerab
carptim, qui per partes aggreſſus fuerit.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXI.

Hoſtis Conſilio & Induſtriâ *in fugam actu & victoria obtenta.*

REx Macedonum Antipater (vel, ut alii volun
Antigonus) Megarenſes bello adortus, elepha
torum copiâ hoſtibus facilè ſuperior erat. Megare
ſes aſtu utendum rati, porcos pice oblitos, & ab ig
injecto ardentes, in Elephantorum agmen immi
runt. Qui partim grunnitu (quo naturaliter terre
tur elephanti) partim aſpectu ignis turbati, inque f
gam verſi, Megarenſibus præclaram peperêre vict
riam. Qui victi fuerant, nocumentum vertentes
documentum, unà cum elephantorum pullis porc
alere deinceps ceperunt, ut conſuetudine natura
vincerent, & grunnitui porcorum aſſueſcerent.

Ælianus lib. 16. cap. 36. de animalibus.

CO

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXII.

Victoria adversus hostes pio Consilio *parique* Industriâ *obtenta.*

PHilippo II. Hispaniarum Monarchæ gravissimum ab Anglis, Gallisque armorum conspiratione unctis, bellum incumbebat. Ille viribus impar, ad Deum sibi confugiendum esse censuit. Quo circa die S. Laurentii, quo decretoria imminebat pugna, ad sancti illius memoriam, illustre Monasterium construendum Deo promisit: obtinuitque tam insignem ab Henrico II. Galliarum Rege ad S. Quintinum victoriam, ut ille viribus prorsus attritis, nihil deinde egregium ausus sit. Philippus igitur, qui tam præsens Cælitum auxilium expertus esset, non minus in exequendo munificus, quam in promittendo liberalis, apud Escurios monasterium veluti quadruplicatum (Escuriale à loco dictum) Divo Laurentio extruxit, cum palatio Regio tam amplo, ut aulis suis, atriis, porticibus, conclavibusque quatuor Regum habitationi sufficiat, & intra septa fontes facilè quadraginta recenseat. Academia hic insignis est, in quâ omnium facultatum disciplinæ traduntur, bibliothecam regiam conjunctam habet, quæ suâ latitudine pedes 32. longitudine 185. complectitur. Monasterii latera, quæ quatuor angulis absolvuntur, ad passus 224. excurrunt. Omnia ex variegato marmore, crystallo, jaspide, aliisque pretiosis lapidibus fabricata sunt. *Ortelius in Cosmograph.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXIII.

Bellum pio Consilio *piaque* Industria *impeditum.*

CUm Fridericus Dux Saxoniæ, Comiti Bichlingi Antistiti Magdeburgensi bellum esset illaturu exploratorem misit, qui ejus consilia & apparatur bellicum indagaret. Is renunciavit, nihil bello opor tunum parari, neque etiam conscribi militem: Anti stitem insuper dixisse, se causam commissurum D e c qui pro se arma sumpturus sit. Quòd cum Frideri cus cognovisset: Alius, inquit, insaniat, ut bellum in ferat ei, qui confidit se Deum defensorem habiturum Laudandus Antistes, qui spem suam in Deo collocavi Laudandus Dux, qui Deum veritus, arma deposuit.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXIV.

Hostis Consilio & Industria *à territorio alieno ad sua tutanda abductus.*

BOno *Consilio* utilique *Industria* utuntur, qui bel lo petiti, incursiones hostis præveniunt, eumqu transportatione belli in solum ipsius, ad propria tutan da abducunt. Sic Athenienses, consilio Periclis irru perunt in Peloponesum: Scipio in Africam: Agathocles in agrum Carthaginiensem.

Tentarunt idipsum superiore bello Batavi, & quidem eventu felici, dum juncti Anglis, instructissimâ classe Gades munitissimum Hispaniæ oppidum v armisque expugnârunt, ac in prædam militibus dederunt. Deinde secundâ expeditione navali Canariam

for-

fortissimum oppidum, nec non insulam Divi Thomæ ferro armisque subegerunt.

Idem ab iisdẽ factum Año superioris Sæculi 99. cùm classem emiserunt ad debellandam Indiam, Duce Petro Verdoësio, Viro perquam strenuo & rei polemicæ apprimè perito. Eadem belli alea tentata Anno equenti, traducto exercitu in Flandriam, ubi hostem n proprio, & præ aliis amato solo oppugnârunt. Denique idem factitatum Anno 1604. cùm armis & fame expugnarunt Slusam Urbem, maritimam Flandriæ, n hostium ferè conspectu, qui jam ampliùs, quam binnali obsidione Urbem Ostendanam cinxerant & fflixerant.

Non minori prudentia Ludovicus Crassus Rex rancorum, postquam Imperatorem Henricum unà im exercitu in Galliam adventare audiisset, exercim ducentorum millium conscripsit, & extra fines egni, finitimas Imperii Provincias usque ad Rhenum nge lateque populatus hostes antevertit. Quâre rritus Imperator, arbitrio Regis conditiones accet.

Pari fortitudine ac prudentiâ Philippus Rex Gal-e, Ludovici Crassi nepos, cùm intellexisset Othonem peratorem magno cum exercitu Galliam invasum, arces & oppida præsidio firmavit: deinde extra es Galliæ progressus, hostes ingenti clade superavit. *dinus lib. 5. de Republ.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXV.

ulti à paucis Consilio & Industria *utentibus, aut bello victi, aut metu consternati.*

Atavi, cùm non ignorarent illud Thucydidis: *Si paucis navibus contra plures dimicandũ sit, angustiæ*

maris sunt eligendæ; Anno 1588. Alexandrum Ducem Parmensem quadraginta millia militum sub signis habentem, parvo numero navium ante portum Dunkerkanum coërcuerunt, & , ne cum exercitu suo egredi, alterique classi Hispanicæ se conjungere posset impediverunt.

Anno 1598. cùm Franciscus Mendoza, Admirantius Arragoniæ & Castiliæ præesset exercitui Hispanico instructissimo, ex viginti octo millibus militum conflato, Mauritius Comes Nassovius, Hollandicarum copiarum ductor, cum septem millibus illi obviam processit, & circa Eltenam oppidum Cliviæ aliquot horarum spatio paratus in acie stetit hostem ad pugnam provocans: sed is metu & consternatione perculsus, cum provocante confligere recusavit.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXVI.

Ipsa Hostium multitudo Consilio & Industri[a] *in proprium commodum periculique depulsionem conversa.*

PRudenter observavit Guicciardinus *lib.* 2. *hi[st.]* fœdera inter multos icta non eâ esse firmitat[e] ut sperari non possit, unum fœderatorum aut remi[s]siorem fore, aut ab aliis disjunctum iri: cùm ci[to] primi impetus defervescere, citò varietate senten[tiarum] tiarum inter eos exortâ fides debilitari soleat. Im[o] sicut Romanis olim salutare remedium contra Trib[u]nitiam ambitionem fuit ipsa multitudo Tribunorum ob quam semper illorum unus in partes Senatûs pe[r]trahi potuit, qui deinde collegis intercederet; ita sem[per] Principi auxilio esse posse ipsam hostium contra fœderatorum multitudinem: cùm facilè fieri poss[it]

ut eorum unus (indulgendo ei quæ privatim quærit) à fœdere abducatur.

Hinc Sfortia Ludovico XI. Franciæ Regi, Procerum suorum rebellione agitato suasit: ut in dissimi-i cujusque causa singulis eorum suam spem objiceret, nihil denegaret. Ita res illorum retrò ituras; ac are disjecto præsenti belli conatu, cætera proclivia fore ebus ex sententia componendis. *Æmilianus lib.*10. *le reb. gest. Francor.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXVII.

Bellum offensivum Consilio & Industria *impeditum.*

Corio Dacorum Dux, cùm sciret dissociatum quidem armis civilibus Populum Romanum, non men occasione inde arreptâ lacessendum, exsti-ulandumque existimabat; quamquam imperitia ulgi ad bellum incitantis non deesset. Etenim orio velut ex specula prospectans, cogitabat facilè osse contingere, ut bello externo ingruente dome-ca restinguerentur incendia, & voluntatum in em tendentium conjunctione, funestior extra-is infligeretur clades. Popularium vero animos, i bellum & arma adversùs Romanos identidem petebant, & acriter urgebant, hoc ludicro specta-lo coërcuit. Duos siquidem canes, ipsis inspe-ntibus inter se commisit; iisque strenuè & perti-citer compugnantibus lupum immisit: quem illi i conspexêre, omissâ protinus, & velut condonatâ vicem irâ, conjunctis viribus invadentes, confecêre. io exemplo ingenii perspicacis Dux, & in conje-ndis rebus solertissimi à bello Romanis inferendo,

utpote ipsis, non sibi suisque profuturo, imprudente subditos deterruit. Enimvero compluribus edoctu experimentis Scorio, probè intelligebat, si Romano bello intestino occupatos, bello extraneo adoriretur fore, ut ipsi pace inter se composita, conjunctis viribu hostem extraneum, usque ad ejus internecionem, persequerentur. *Cælius lib. 17. c. 25.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXVIII.

Flamma belli civilis & intestini, imò domestici inter Patrem & filium, Consilio & Industria, *antequam in plenum incendium erumperet, extincta.*

LUdovicus XI. Caroli VII. Gallorum Regis filius Adolescens naturâ moribusque ferox, & ante tempus sui juris cupidus, cum suis æqualibus adversùs Patrem conjuravit, exercitu prævalido conscripto Carolus Pater se ad miseriam natum clamans, quasi parum sit tot annos in patrio solo cum externis Anglis atque Burgundis de dignitate pugnasse, ut etiam cum filio de Imperio certare cogatur: non tamen concidit animo, sed principiis obstandum ratus, antequam in se impetus fieret, Principes convocat. Plerique sentiunt, non armis sed *Consilio* & *Industria*, non asperitate, sed lenitate malum avertendum. Quapropter primùm litteris ad omnes Regni sui Civitate datis subditis præcepit, ne mandatis Ludovici filii obtemperarent. Deinde conjuratis impunitatem promisit. Postremo per Viros Principes magna auctoritate præditos, cum Ludovico Filio & Conjurationis Capitibus egit de reconcilianda pace, demonstravitque, nihil aliud esse eo tempore tam turbulento d

Impe

Imperio certare, quàm Patriam perdere, quæ jam ante Anglorum armis tantopere vastata erat, ut non procul ab interitu abesset. His Consiliis & rationibus effectum est, ut Conjurati depositis armis confestim in gratiam cum Carolo redierint. Atque ita magna labes, quæ Rempublicam obrutura videbatur, priùs est restincta, quam convalescere posset.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXIX.

Tempore belli civilis saluti & incolumitati familiæ Consilio & Industria *prospectum.*

SI quando in Republica bellum civile exardesceret inter duas factiones, quod esset ancipitis justitiæ; ta ut perpensis utriusque partis belligerantis probabiibus fundamentis, videretur esse bellum utrimque ormaliter justum (ut Theologi loquuntur) pruden-er egerit Paterfamilias; si uni parti suam Ipse, alteri ilius aut frater operam addixerit: ut quomodocunque demum fortunæ eventus ceciderit, saluti familiæ onsuli possit per eum, qui partes feliciores secutus fuit; s enim apud victorem sibi præmium, proximis suis eniam obtinere poterit.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXX.

ocietas belli, & quæ ex ea nasci solent calamitates, Consilio & Industria *declinatæ.*

FLagrante bello civili inter Cæsarem & Pompejum, soli ex omnibus Galliæ incolis Massilienses neque

Cæsaris partes, neque Pompejanam factionem secuti; cùm ab illo rogati fuissent, ut in Urbem suam reciperetur, hoc memorabile responsum dederunt: Esse se socios Populi Romani; cæterùm in præsentia neque curiosè se inquirere, neque sufficientes esse adinquirendum, utrius causa justior sit: proinde si quis amici more ad se venire vellet, utrumque se absque armis venientem accepturos: sin bello veniant, neutrum. *Dio lib. 41.*

Versabatur nimirum ob oculos Massiliensium ille Aphorismus Politicus Thucydidis: *Vicinæ calamitates potiùs, cùm licet, absque periculo spectandæ, quàm sese illis absque causa gravissima implicandum: Ne tota clades in nos ipsos tandem, quamvis duntaxat incendio supervenientes, non autem in ipsos incendii auctores incumbat & ruat.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXXI.

Bellum à Regibus contra Civitates & Respublicas Consilio & Industriâ *gestum.*

BElla quæ à Regibus & Principibus contra Urbes & Respublicas geruntur, trahendo & cunctando plerumque fortunata Principibus extitêre. Quantumvis enim illa cupidè decernantur, tamen suscepta (ob sumptus, quos naturaliter civitates horrent, & propter commerciorum impedimenta, quæ plurimùm detestantur) mox gravia esse incipiunt. Inde vel ob stipendia parcè præbita, vel commeatuum inopiam, vel parum amicam de Ducibus opinionem, quos plerumque aut conspirare cum hoste, aut sui commodi causâ trahere bellum arbitrantur, vel certè suspicantur: quantumvis magnos exercitus dissolvi necesse est.

CON-

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXXII.

Urbes obsidione hostili cinctæ, Consilio & Industria *liberatæ*.

MAximilianus I. Imperator ad recuperandum Mediolanum cum ingenti exercitu in Italiam venerat, eique Cardinalis Sedunensis cum delecta Helvetiorum manu sese conjunxerat. Trivultius, qui cum Carolo Borbonio Mediolanum defendebat, ut Cæsarem ab Helvetiis, quorum ope invictum fore certò sciebat, alienaret, talem dolum commentus esse dicitur. Nactus Clientem suum Helveticæ linguæ peritum, literas sua manu ad primarios Helvetiorum Duces scripsit, ut Cæsari in eo rerum momento suspecti redderentur. His litteris postulabat, ut quæ secum pepigissent, bidui spatio perficere maturarent; se enim ad condictum instructa parataque omnia habiturum. Literarum bajulus præmiorum spe illectus, Cæsareanis excubitoribus ultrò se capiendum obtulit. Cùm interrogaretur, cur sine tessera in eum locum venisset, fassus est, se à Trivultio cum litteris, ad Helvetiorum Duces deferendis, urbe emissum esse: quas calceo insutas mox promit. Eæ ad Cæsarem deferuntur, qui anxiè lectas, atque relectas Cardinali Sedunensi tradit legendas. Præmissa consultatione Cæsar, quòd insidias Helvetiorum timeret, crederetque Duces tantæ inter Helvetios auctoritatis, sine perturbatione periculoque rerum omnium neque accusari ex Trivultii litteris, prout oporteret, neque comprehendi posse; retrò castra repentè vertit; præsertim cum aliam Helvetiorum manum contra Sedunensem ab æmulis evocatam adventare audivisset: affirmans

ſibi per quietem ea nocte apparuiſſe Leopoldum Au-ſtriæ Archiducem atavum, & Carolum Ducem Bur-gundiæ Socerum ſuum, eâ torvi oris ſpecie, eoque cru-ento armaturæ cultu, quo hic ad Nancejum, ille ad Sempacum trucidati fuiſſent: acri ſermone geſtuque vetantes ipſum diutius morari, & ut ſe periculo ſta-tim eriperet, ſeverè imperantes. Atque ita motis ca-ſtris ad Alpes iter intendit, tanta omnium (præſertim Gallorum) admiratione; ut qui dudum formidan-do copiarum hoſtilium numero, apparatuque tor-mentorum maximo conterriti fuerant, inopinati even-tûs gaudium vix perciperent. *Supplement. Jov. lib. 6*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXXIII.

Munitiſſimæ Arces & Urbes Conſilio & In-duſtria *occupatæ.*

ANno 1591. 24. Maji novem milites Hollandi veſti-bus, partim femineis, partim ruſticanis induti ova, caſeum, butyrum &c. venum adferentes, cepe-runt munitum propugnaculum Zutphanienſe: poſtea-quam cuſtodes loci iis armis, quæ veſtibus tecta ha-buerant, interfeciſſent: ſubſidiariam præſtante ope-ram turmâ militum, quæ in inſidiis latens accurrerat.

Inſigne fuit Stratagema illud, quo Anno 1590. Co-mes Mauritius Naſſovius Polemarchus Hollandorum nave 70. fortiſſimis militibus, quorum Dux erat Caro-lus Heraugierius Capitaneus bello inclytus, repleta & ceſpitibus, ne apparerent, ſupernè tectâ, muni-tiſſimam Urbem Bredanam, unà cum arce ſeu propugnaculo, occupa-vit.

CON

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXXIV.

Exercitui de annona aliisque rebus necessariis Consilio & Industria *prospe-ctum.*

LAudabilis & imitabilis est Industria Hollandorum, qui quotiescunque cum exercitu in hostem pro-ficiscuntur, edicto publico mandant (quod in omni-bus ferè unitarum Provinciarum Urbibus promulg-ur) ut omnes mercatores, lixæ, aliique, qui necessa-ia alimenta exercitui suppeditant, magnâ copiâ & sin-ulari diligentiâ, panes, carnes, vinum, cerevisiam, alia-ue esculenta & poculenta, omnem denique comea-um, & quidquid vitæ humanæ, præsertim militari, ecessarium est, conquirant & convehant ad usum ex-rcitûs: adjuncto privilegio immunitatis à vectiga-bus; quia castra Hollandorum sunt libera, & ab mnibus tributis immunia. Additurque, ne ulli lice- quemcunque mercatorem, institorem, lixam, alium- exercitui necessaria advehentem propter debita uovis modo contracta, eo tempore detinere, vel in s vocare.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXXV.

Copiæ militares Consilio & Industria *per alienum territorium tradu-ctæ.*

Icet copiarum militarium per alienas terras tradu-ctio jure gentium omnibus debeatur, qui nobis & ibus nos hostes non sumus: Est tamen hîc opus

Con-

Consilio & Industria, suntque observandæ certæ cautiones, quas dictabit prudentia, ut res sine utriusque partis periculo & damno peragatur. Insignes fuerunt illæ, quas Mutinæ Dux Urbano VIII. Pontifici, transitum per Mutinensem ditionem petenti, hunc in modum præscripsit: Ut ante sextum diem, quàm Exercitus Pontificius fines Mutinenses attingeret, Dux Mutinæ à Thadæo Barberino de adventu suo certior fieret: Ut eâdem viâ, quâ primi, sequentes incederent: Ne singulis diebus plures cc. equitibus & cccc. peditibus traducerentur: Ut in reditu eadem, qua in transitu, observarentur: Ut damna à milite illata resarcirentur: Ne exercitus citra quinque milliaria Mutinæ, aut Rhegio Lepidi appropinquaret: Neve in oppidis, mœnibus, aut vallo munitis hospitaretur: Ductores Pontificii Commissarios Mutinenses reciperent, qui transeuntes comitarentur, commeatibus pretia statuerent, & licentiæ militari obstarent Dux pontibus struendis ligna, militi annonam, justo pretio & determinatâ in singulos dies annonæ pabulique portione præberet. Præscriptum insuper, quantum itineris primo die, quantum secundo, & sic deinceps, exercitus emetiretur: & quibus in locis pernoctaret. Postremò conventum fuit, ut si quis ex Mutinensibus in militem deliquisset, is captus Provinciali Magistratui; & ubi versâ vice miles Mutinensem offendisset, supremo Pontificii exercitûs Duci puniendus traderetur.

CON

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXXVI.

Ab agris & segetibus Consilio & Industria *propulsatæ militares injuriæ, & Agricolarum indemnitati consultum.*

CUm Anno 1462. Fridericus I. cognomento victoriosus, Comes Palatinus, commisso non procul ab Heidelberga prælio, cepisset Carolum Marchionem Brandeburgicum, Joannem ejus fratrem Episcopum Metensem, & Uldericum Comitem Wirtenbergicum: iis in arcem suam deductis, & ad convivium invitatis, prohibuit apponi panem, eumque postulantibus dixit, se hoc agendi modo iis significare voluisse, bella sic geri debere, ut impetatur hostis, non innocens Agricolarum turba fame necetur: quorum segetes Illi crudeliter vastassent, & frumentum in horrea comportatum succensis pagis corrupissent.

Laudabilius multo egerunt Hollandi: qui, cùm castra amplissima ad Gertrudebergam locassent; ita ut etiam pagus Ramsdonck castris inclusus esset; tanto rigore militarem servavêre disciplinam, ut rustici securissimè agros suos colere, pecudes pascere, ova, lac, butyrum, caseos, carnes in castris venum exponere possent. *Lambertus Danæus in Aphoris. Polit.*

CON-

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXXVII.

Periculum ab epistolis hostium imminens memorabili calliditate depulsum.

PRudentes Principes & belli Duces litteras hostium, quibus civium aut militum fides ad scelus incitatur & solicitatur, supprimendas arbitrantur. Licet enim Principes & belli Duces benevolentiæ fideique suorum confidant, non expedit tamen eorum aures hostilibus promissionibus & corruptionibus imbui. Patet vel unius insidiis vita, & nullum crimen avaritiæ sat grave est.

Quod si verò pluribus innotuerit proditionis merces, in parte consilii erit prudentissimum Eumenis factum. Epistolæ sparsæ erant totis castris: quibus, qui Eumenis caput ad Antigonum detulisset, maxima præmia sperare jubebatur. Eumenes vocatis ad concionem militibus primò gratias egit, quod nemo inventus esset, qui spem cruenti præmii juratæ fidelitati prætulisset. Deindè callide adjunxit, confictas has à se literas, ad experiendos suorum animos. Hoc facto Eumenes & in præsens dubios fidei deterruit, & in futuros eventus instruxit universos, ut si quid ejusmodi rursus accidisset, non se ab hoste corrumpi, sed à Duce tentari arbitrarentur.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXXVIII.

Impedimenta pacis conservandæ Consilio & Industria *sublata.*

FRidericus III. Saxoniæ Dux, pacis studiosissimus Princeps, ut eam conservaret, & impedimenta omnia

omnia conservationi obstantia amoliretur, nullas arces aut munitiones construxit, quin potiùs ab aliis constructas solo æquavit. Id quoque unicè egit, ut pecuniis, si quas corrasisset, ritè impensis, nihil earum posteris post mortem superesset. Admirantibus autem, ejusque rei causam, interrogantibus: Ne ajebat, ego leviter offensus aliquando, arcibus & pecuniis meis confisus, nimis facilè vicinos me inferiores bello lacessam & pacem violem. Quod utique facturus non erat, omnibus belli nervis destitutus. Censebat Fridericus Rempublicam à Christiano Principe ferendo & dissimulando rectiùs quàm inferendo & ulciscendo administrari.

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXXIX.

Pacis publicæ dissolvendæ, belliqne intestini suscitandi occasio Consilio & Industria *remota.*

MOriens Ludovicus XII. Galliæ Rex duas reliquit filias, Claudiam & Renatam. Claudia Francisco Regi Galliarum nupsit; Renata autem, sapori Procerum Gallorum *Consilio & Industria*, extra regnum Galliæ collocanda in matrimonium censebatur; ne si alicui Galliæ procerum potentissimo jungeretur, quod dimidiam maternæ hæreditatis partem secum traheret, lis oriri posset cum aliis liberis Francisci Regis ex Claudia susceptis, cum maximo pacis publicæ detrimento; timebatur enim, ne belli intestini semina inde provenirent. Itaque Renata Herculi Duci Ferrariensi in matrimonium data est. *Jovius in Alphonsi Atestini vita.*

CON-

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXXX.

Pax Consilio & Industria *ab hoste impetrat. & excidium urbis impeditum.*

LAmpsacenis Alexander M. infestis armis imm nebat, propterea quod ad Regem Persarum v defecissent, vel deficere attentassent. Missus a eum fuit Anaximenes Legatus, qui Alexandri & Ph lippi Patris res gestas diligenter descripserat, deprec turus pacem. Cùm verò Alexander, metuens, Legatus veniam Lampsacenis exoraret, conceptis ve bis jurasset, se facturum omnia contra quàm ille roga set. Hoc ergo, inquit Legatus, abs te peto, Rex, Lampsacenorum conjuges & liberos in servitutem r digas, urbem totam exscindas, & Deorum temp exuras. Hac Legati industria circumventus Al xander, Lampsacenis invitus pepercit. *Pausanias lib.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXXXI.

A Venetis optimo Consilio *& laudabili* Ind stria *pax cum Turcis, metu gravioris mali, inita.*

VEneti bello gravi à Solimanno Turcarum I peratore pressi, ad pacem inclinabant. Fr ciscus I. Gallorum Rex, cùm Venetam Rempub eam armis Turcicis ita cuperet attenuari, ut posth tam fortiter conatibus suis in Italia resistere non pos Legatum Venetias misit, qui mentione pacis inter C sarem & Regem Galliæ injecta, ostentataque spe xiliorum, à Cæsare & Gallo adversus Turcas con


ren

tendorum; non modò pacem, sed inducias etiam cum Solymanno dissuaderet: cùm interea per Gallos Venetorum decreta & consilia omnia, quorundam Patriciorum perfidiâ, Solymanno detegerentur: Veneti insidias præsentientes, pacem cum Turcis, vel iniquissimâ conditione, Nauplio & Epidauro traditis, pepigêre. *Sabell. Supplement. lib. 24. ex Jovio.*

CONSILII ET INDUSTRIÆ EFFECTUS LXXXII.

Ex Consilio & Industriâ *prudentis amici, etiam cum aliqua jactura dignitatis, bello prælata.*

LUdovicus XI. Rex Galliæ bellò à Carolo Fratre natu minore, qui cùm Carolo Burgundo, & Francisco Britanno fœdus percusserat, pressus; licet omnium Regum callidissimus haberetur; Francisci Sforciæ Mediolanensium Ducis *Consilio & Industriâ* usus, tempori cessit, & quasvis graves, durasque pacis conditiones suscepit: æquiore animò dignitatis, quàm Regni jacturam ferri debere persuasus; donec fœderis inani specie elusos, disjectis ac dissipatis eorum viribus, opprimeret. *Brutus lib. 1. Histor. Florent.*



DISCURSUS QUADRAGESIMUS OCTAVUS.

EX POLITICA.

Complectens Regulas particulares, ad gubernandam benè Rempublicam accommodatas.

CAPUT I.

Regulæ Platonicæ.

REGULA I.

De Prudentiâ & Fortitudine Principis.

Princeps ac Magiſtratus quilibet debet eſſe & prudens & fortis. Prudens, ne ex imperiti vulgi judicio pendeat: fortis, ut quæ ſalutaria ſunt, conſtanter exequatur. *Plato lib. 2. de Legibus.*

REGULA II.

Bonum commune in Republica ſollicitè procurandum eſſe.

Summa Principis aut Magiſtratus in eo cura eſſe debet, ut cives omnes in communi Reipublicæ ſalute ſanctè & honeſtè tuenda conſentiant. *Plato ibid.*

REGULA III.

De pravis peregrinorum moribus non imitandis.

Ne in veſtitu, victu, cæteriſque hujuſmodi cives peregrinorum intemperantes mores diſcant, diligenter proſpiciendum, ac cavendum bono Principi. *Ibid.*

R

REGULA IV.

De Legibus Convivialibus.

Leges conviviales neque ſint nimiùm laxæ, neque nimiùm ſeveræ. *Plato citatus ſupra.*

REGULA V.

Nimia Principum licentia Reipublicæ perniciosa.

Infinita poteſtas etiam in Regibus ipſis, quæ ſeſe legum vinculis coërceri non patitur, eſt certiſſima regni ac Reipublicæ ruina, & proximè occaſuræ prognoſticon. Contra quam remedium eſt, ut leges obſerventur etiam ab ipſo Principe, idque facere cogatur ab Ordinibus Regni vel invitus. *Plato lib. 3. de Leg.*

REGULA VI.

De Celeritate & Opportunitate agendi.

In rebus humanis ſecundùm Deum agendi opportunitas & celeritas valet plurimum. *Plato lib. 4. de Legibus.*

REGULA VII.

Leges dominentur Magiſtratui.

Peſſimè regitur ea civitas, in qua non leges præſunt, ſed voluntas Magiſtratuum. Optimè verò illa, in qua leges dominantur ipſis Magiſtratibus. *Plato lib. 4. de Legibus.*

REGULA VIII.

Opes nimiæ Reipublicæ noxiæ.

Nimiæ opes divitiarumque copia Reipublicæ perniciosa. Nam ex illa inſolentia, diſſidia, & immanis voluptatum fœdiſſimarum uſus & luxus oritur. *Plato lib. 5. de Legibus.*

REGULA IX.

Coërcenda Lucri appetentia.

Lucri faciendi modus in Republica eſt Legibus

definiendus, ne quævis ars pecuniaria liceat, aut quodvis lucri genus concedatur. *Plato lib. 5. de Legibus.*

REGULA X.

Educatio Juventutis.

Adolescentiæ recta institutio est publicorum negotiorum omnium maximè serium. *Plato lib. 6. de Leg.*

REGULA XI.

Officii ratio reddenda.

Nullus Magistratus à reddenda sui muneris ratione immunis esto. *Plato citatus.*

REGULA. XII.

Mutatio rerum externarum cavenda.

Rerum externarum, ut ludi, supellectilis, vestitûs victûs mutatio, semper est periculosa Reipublicæ morum enim immutationem simul affert. *Ex lib. 7 Platonis de legibus.*

REGULA XIII.

De Editionibus Scriptorum.

Ne quod scriptum in lucem edatur inscio Magistratu. *Plato citatus.*

REGULA XIV.

De vitanda & punienda disputatione contra Deum ac Religionem.

Nequaquam in Republica bene morata toleranda disputationes contra DEUM, & ejus providentiam. Mala est enim consuetudo contra Deum disputandi sive id ex animo fiat, sive simulatè. Deinde eorum hominum voces coërcendæ, qui ajunt, religionem esse hominum commentum, aut institutum, ut majoris cujusdam & augustæ potestatis metu homines in officio continerentur. *Ex lib. 10. Platonis de legibus.*

RE

REGULA XV.

Ignava mendicitas prohibenda.

Mendicitas otiosa & ignava non est in Republica toleranda, sed cogatur unusquisque victum sibi honestis artibus comparare. *Plato lib. 11. de legibus.*

CAPUT II.

Regulæ Aristotelicæ.

REGULA I.

De iis rebus, quibus potissimùm Respublica conservatur.

EA, quæ maximè Rempublicam conservant, sunt, 1. Bonarum legum inviolabilis auctoritas. 2. Magistratuum in munere obeundo prudentia, diligen-,alacritas. 3. Populi adversùs Magistratus obsequi-n. 4. Civium inter se concordia. 5. Juris cuique sui, bonorum tuta possessio & conservatio. 6. Paupem & inopum Civium publicum sublevamentum. Æquabilitas inter Cives,& pro conditione cujusque is honos, locus, & gradus assignatus. 8. Partium in publica diversarum justum quoddam inter se temamentum, ne una pars alteram opprimat, aut nim possit. 9. Ea Reipublicæ forma, otiique dulo, quæ faciat,ut omnes præsenti rerum statu conti sint. *Aristoteles lib. 5. Politic. c. 7. 8. 9.*

REGULA II.

De qualitate commerciorum.

n commerciis Civium cum peregrinis maximè cadum est, ne civium boni mores externorum meris lascivis, aut moribus turpibus corrumpantur. *stoteles lib. 6. Politic.*

REGULA III.

De foro pro commerciis constituendo.

Quia sine foro commercia esse non possunt, forum rerum venalium commodè exstructum, unum vel plura esse oportet: Civium quidem aut vicinorum inter se, intra urbem: peregrinorum autem remotiorum, extra urbem. *Aristot. lib. 7. c. 12.*

REGULA IV.

De discrimine inter Reges & Tyrannos.

Noverint Reges discrimen inter Reges & Tyrannos: quod in hisce consistit. 1. Reges à Civibus custodiuntur, Tyranni ab extraneis. 2. Reges amant suos Cives, & ab iis vicissim amantur: Tyranni eos oderunt, imò ipsosmet satellites suos metuunt. 3. Rege[s] sublevant subditos suos tributis quantum possunt Tyranni eos onerant, ut exhauriant & oppriman[t]. 4. Reges nobilitatem Regni & viros bonos alunt, fo[-] vent & conservant: Tyranni eosdem vi vel clam to[l-] lunt. *Aristoteles lib. 5. Politic. c. 10.*

REGULA V.

Uni non esse imponenda plura officia.

In Republica uni & eidem plura munera publi[c-] ne delegentur, sed singula singulis. Unum enim u[-] gerendo idoneum esse, multum est. *Aristoteles lib.* [...] *de Politic. cap. 7.*

REGULA VI.

Magistratus non debere esse perpetuos.

Perpetui Magistratus non solent esse tam since[-] quàm si ad tempus duntaxat eligantur. Et vices [p-] rendi ac imperandi inter cives esse, longè tolerabil[-] est. *Aristoteles lib. 6. Politic. c. 2.*

REGULA VII.

De bono situ Civitatis.

Urbs commodo loco ponenda est, ubi & re[l-]

ad hanc vitam necessariis abundet, & adiri commodè possit à civibus, difficilè verò ab hostibus. *Aristoteles lib.6. Politic. c.7.*

REGULA VIII.

De eodem.

Bonus censebitur Urbis situs, si salubris eo loco sit aër, si in colliculo statuatur, aut editiore loco & libero in prospectum; si ad Solem orientem spectet; si egrediendi & ingrediendi ratio, utpote flexuosa, civibus sit facilis, hostibus & extraneis difficilis. *Aristoteles lib. 7. Politic.*

REGULA IX.

Civitas non sit nimis magna.

Civitas non eò felicior est, quo majore numero civium constat. Parvam enim præfert immensæ Aristoteles, quòd parva meliùs regatur. *Aristoteles lib. 7. cap. 4.*

CAPUT III.

Regulæ Plinianæ ex Plinii Secundi Panegyrico ad Trajanum.

REGULA I.

Requisita in Consiliario Principis.

IN Consiliario Principis tria maximè requiruntur; Libertas, fides, & veritas.

REGULA II.

Princeps assentationes oderit.

Princeps ut se hominibus imperare norit, ita seipsum hominem quoque esse cogitet. Itaque voces & laudes, quæ Numini soli debentur, tanquam putidissimas assentationes oderit.

REGULA III.

De præcipuis Principis Virtutibus.

In Principe tres maximè virtutes prædicantur: Pietas, Abstinentia seu Temperantia, & Mansuetudo, seu facilitas eum adeundi.

REGULA IV.

De Successore Principis.

Optima prædecessoris Principis laus si successorem bonum elegit & reliquit.

REGULA V.

De reddenda à Principe ratione.

Assuescat Princeps cum Republica calculum ponere, & accepti expensique rationem illi reddere.

REGULA VI.

Plebs non negligenda Principi.

Princeps frustra Rempublicam, plebe neglecta (velut defectum corpore caput, ac mox nutaturum) tueri studet, & se posse putat.

REGULA VII.

De cura itinerum, portuum, commerciorum & annonæ.

Est boni Principis curare, ut itinera, portus & commercia sint in toto regno tuta & libera: prospicere item annonæ, & si qua ipsius regio inopia frumenti premitur, eam sublevare.

REGULA VIII.

De Fisco sub bono Principe.

Fiscus nunquam inops, aut nunquam ipsius mali causa est, nisi sub bono Principe.

RE

REGULA IX.

De Custodia Principis.

Fidelissima Principis custodia est ipsius innocen-tia.

REGULA X.

Notæ boni Principis.

Notæ boni Principis sunt 1. Si sub eo malos Prin-ipes insectari liceat absque periculo. 2. Si subdi-is, & præsertim ipsis provinciis inter se diffidenti-us sincerissimè & promptissimè jus dicat. 3. Si onos amicos sibi comparare studeat. 4. Si nobi-s familias, etiam collapsas, restituat, & bene ieritas augeat ac foveat. 5. Si ita det arma militi-us, ut iis utantur in seipsum, si in Rempublicam eccet.

REGULA XI.

Aulicis detractoribus non esse præbendam aurem.

Nullis Aulicis à bono Principe minùs credendum, ıàm iis, qui contra famam publicam susurros illi de quo malos clam instillant. Meliùs enim omni-s, id est, famæ, quàm singulis, præsertim talibus cre-ur.

REGULA XII.

De Observantia Legum.

Non est Princeps supra leges, sed leges sunt supra incipem.

REGULA XIII.

De cavenda fraudulentia.

Nunquam à quoquam deceptus est Princeps, nisi priùs alios ipse decepit.

REGULA XIV.

De amore Principis.

Diligi Princeps,nisi ipse diligat, non potest.

REGULA XV.

Princeps bonus, quàm felix dici malit.

Honestius est ad posterorum memoriam dici optimum Principem, quàm felicem. Illud enim est virtutis, hoc fortunæ.

REGULA XVI.

Magistratus virum arguit.

Tunc verissimè judicatur, meruerit quis honorem nec ne, cùm eum adeptus est; nam Magistratus virum arguit. Prudenter tamen dijudicandi & examinand priùs sunt ii,quibus honores commendantur.

CAPUT IV.

Regulæ Livianæ.

REGULA I.

Quid faciendum sit populo imbecilliori, si læsu sit à valentiore?

Vana est sine viribus ira. Itaque quantumvis inju ria sit imbecilliori populo facta, illa tamen ab eo e dissimulanda; vel demum vicinorum viribus adjun ctis (ut pares esse possint potentiori) ulciscenda es *Livius Decade* 1.*lib*.1.

REGULA II.

De Legatis sævum aliquid in nos molientibus tempore Legationis.

Legati, qui tempore & prætextu Legationis al quid sævum in nos moliuntur, puniri quidem possun honestius tamen ad suos cum querimonia de ea Le gatorum injuria & consilio remittuntur. *Livius D cad.*1.*lib*.2.

RE

REGULA III.

Quid agendum Novo Magistratui?

Ne plebs veterem statum, novo repudiato repetat, rospiciendum est ac curandum iis, qui novo illi Magitratui præsunt, ut plebem tenuiorem multis oneribus ublevent, beneficiis deliniant, denique efficiant, ut se ub hoc novo statu longè feliciorem sentiat, quàm sub riori. *Livius Decad. & lib. cit.*

REGULA IV.

Non simul omnes subditi irritandi.

Cujusvis Principis vis tota in obedientium consen- sita est. Itaque magnopere cavendum, ne Princeps ios subditos omnes in se suâ sævitiâ concitet. *Ibid. lib. 2.*

REGULA V.

Temeritati plebis comitate obviandum esse.

Adversùs plebis temeritatem nunquam Proceres Senatus ira certent, sed comitate. *Ibidem.*

REGULA VI.

Quæ populo grata sunt, non vi eripienda.

Quæ populo grata sunt & commoda, vix illi eripias. que vel concedenda, si cum justitia aut salute Reiiblicæ non pugnent: vel aliis beneficiis oblatis ea nt adimenda. *Livius lib. 3.*

REGULA VII.

Quòd plebs frequenter sit contenta jure honoris, nec usum desideret.

Sæpe plebs potiùs ipso jure & honore sibi concespotestatis contenta est, quam illius usu; ne videlicà potentioribus videatur spreta, si jus illi negetur. .4.

REGULA VIII.

De largitionibus in statu Democratico.

In Democratico statu non tolerandus, qui plebis animum

animum privatis largitionibus (quæ ex publico fieri debent) delinit,& sibi sic conciliat,ut ex eo uno plebs in omnibus,velut ex Rege, pendeat. *Lib.* 4.

REGULA IX.

De subjectione Magistratûs in Statu Democratico.

In Democratico populi statu, usquequo Magistratus omnes populo subjiciantur, & communicentur, nulla quietis spes. Ubi iidem plebi subditi fuerint summa quies. *Lib.* 4.

REGULA X.

Providendum, ne Religio heterodoxa in Rempublicam irrepat.

Pestis,aut fames, aut bellum, aut quævis alia diuturna & publica calamitas, ut plurimum prætextus affert, ut multiplex & externa Religio tunc invadat Rempublicam, ac convalescat. Itaque tunc temporis,ne qua inducatur veræ Religionis corruptela, maximè cavendum est à Magistratu. *Lib.* 4.

REGULA XI.

Plebs irritata deliniendâ.

Irritati plebis animi à potentioribus, sunt ab iisdem beneficiis,deliniendi,non vi cogendi. Sic sæpe Senatus Romæ egit. *Lib.* 4.

REGULA XII.

De reædificatione Urbis, incendio destructa.

Ad Urbem priùs incendio consumptam citò reædificandam, debet Respublica ædificantibus materiam gratis,vel minimo pretio concedere: eosdemque privilegiis & prærogativis donare, vel in perpetuum vel ad tempus. Sic Roma à Gallis exusta reædificata. *Lib.* 6.

RE-

REGULA XIII.

Authoritas Principum, populi consensu & viribus nititur.

Principes & Magistratus in populo regendo, imperioque tuendo, sese consensu hominum subditorum, & Dei auctoritate niti intelligant potiùs quàm viribus propriis. Nam ubi populus vires suas semel agnoscit & æstimat, facilè Reges de solio dejicit. *Livius lib. 6.*

REGULA XIV.

De Pactis Principum in totius Regni detrimentum.

Princeps in totius Regni incommodum absque Ordinum consensu nihil pacisci, vel spondere potest. Non enim est Dominus regni usquequaque absolutus, sed potiùs ex legibus Administrator. Itaque soli Ordines de ipso Regni jure quidpiam imminuere possunt. Quapropter hujusmodi promissa à Principe facta sunt nullius valoris. *Lib. 9.*

CAPUT V.

Regulæ ex Annalibus & Historiis Cornelii Taciti.

REGULA I.

De Successoribus in Regnis Electivis.

In Electivis Regnis paulatim producendi, & in ...gnorum honorum consortium vocandi maturè à ...nantibus ii, quos sibi succedere cupiunt. Sic Au...tus Cæsar successorem suum Tiberium evexit ad ...perium. *Lib. 1. Annal.*

RE-

REGULA II.

De stabiliendo novo Principatu.

Ut novus & insolitus populo Principatus confirmetur, & libentiùs suscipiatur, veterum, & jam notorum Magistratuum nomina sunt retinenda, minimeque mutanda. *Annal. lib. 1.*

REGULA III.

De retinenda Ordinum Respectu Principis auctoritate.

Reipublicæ Ordinum & Procerum ad Principem nimis humiles preces, & servilis adulatio, eum e bono Principe faciunt Tyrannum. Sua enim à Concilio publico etiam in Principem auctoritas est servanda. *Ibidem.*

REGULA IV.

De Ingenio Vulgi.

In vulgo nihil modicum: terret, ni paveat: ubi pavere cœperit, impunè contemnitur. Tamen ubi est & collectum, & adhuc armatum vulgus, comitate permulcendum est, non armis & fortioribus remediis irritandum. *Lib. 1. Annal.*

REGULA V.

De Popularitate Principis.

Populi favorem popularitas Principi conciliat; v luti si ludis, publicisque populi voluptatibus ipse fr quens intersit. Sic Augustus Cæsar intererat ludis pub cis. *Ibidem.*

REGULA VI.

Colendi, qui in spem Imperii aluntur.

Qui in spem Imperii aluntur, etiam privati col di. Nam meminerunt in Imperio hujusmodi c temptûs de se facti, & eos, qui se contempserunt, a

gr

gunt, atque odio prosequuntur. Sic Tiberius Cæsar Archelaum Cappadociæ Regem odio habuit. *Ibidem.*

REGULA VII.

De dilatione sententiæ Capitalis.

Judicum Capitalium sententias, etiam Principis ipsius, ad tempus aliquod differri satius est, quàm statim executioni mandari, quò maturiùs deliberentur, & examinentur. *Lib.3. Annal.*

REGULA VIII.

De eligendo successore, vivo Regnante.

In Regnis electivis, quò seditiones vitentur, satius est quempiam Virum bonum, nobilem, & bene de Republica meritum, ex Ordinum sententia designari, etiam adhuc vivente Principe, ad Imperii successionem, quàm incertum relinqui, quis eo mortuo sit successurus. Sic Augustus Tiberium designavit, Tiberius rursum, Nerva Trajanum. *lib.3. Annal.* Quam Taciti sententiam non probo, si vel alio modo seditiones evitari, & securitati publicæ consuli possit: vel graviora mala ex hujusmodi anticipata electione in Rempublicam redundent.

REGULA IX.

Principi non exprobanda beneficia.

Principi collata beneficia neque obscurè, neque apertè sunt à privatis, vel Proceribus illi exprobanda, nimiùm jactanda. *Lib.4. Annal.*

REGULA X.

Magistratus faciat ipse, quæ facta cupit.

Quæ Magistratus vult & citò & accuratè esse perfecta, ipsemet curet, neque alii deleget. *Lib. 4. Annal.*

REGULA XI.

Habendam esse curam boni nominis.

Plerumque evenit, ut qui Principes famam hominum contemnunt, iidem etiam contemnant virtutes, &

præ-

præclarum quidpiam, dum vivunt, agere negligant. *Lib.* 4. *Annal.*

REGULA XII.

De Aulicis Regimen affectantibus.

Hæ sunt Aulicorum gubernacula Reipublicæ affe-ctantium artes, ut Principes à rebus publicis cogno-scendis avertant, illisque voluptates pro hujusmod tædio objiciant, aut in secessus aliquos & peregrinatio-nes procul à Concilio publico abducant. Tun enim ipsi rerum omnium arbitri sunt. Ita Sejanu Tiberium Cæsarem abduxit. *Lib.* 4. *Annal.*

REGULA XIII.

De coercendis delatoribus & accusatoribus.

Delatorum & Accusatorum præmia aut omnin tollenda, aut moderanda. Ita censuit Senatus Ro-manus sub Claudio. *Lib.* 11. *Annal.*

REGULA XIV.

De extraneis in Senatum admittendis.

Etiam extranei, modò fidi, prudentes, ingeniosi, & Reipublicæ utiles, sæpe possunt, imò debent ad Re-publicæ gubernacula & Senatum admitti. Hoc Clau-dius Imperator in Senatu disseruit. Unde multi ad-venæ Romæ Senatores facti. *Lib.* 11. *Annal.*

REGULA XV.

Securitati potiùs, quàm vindictæ consule.

Princeps quantumvis graviter offensus, priùs secu-ritati, quàm vindictæ consulat. Sic amici ad Claudi-um. *Lib.* 11. *Annal.*

REGULA XVI.

Prognosticon futuri Principis.

Quale sit futurum novi Principis ingenium & reg-men, apparet ex iis, quos primos muneribus publi

pr

ræficit. Si enim bonos & egregios Viros eligit amiços & Magiſtratus, bonum & felix futurum eſt Regimen: ſin malos, & gratiâ, pecuniâ, vel ambitu potiùs, quàm virtute ſubnixos admovet, infelix futurum eſt. *Lib. 13.*

REGULA XVII.

De ſuſpecta mutatione Aulicorum.

Repentina Aulicorum, qui conſilia & mores Principis improbant, & poſtea eoſdem laudant, mutatio, ſemper inſidioſa & ſuſpecta cenſeri debet. *Lib. 13. Annal.*

REGULA XVIII.

Metui velle à Principe, periculoſum.

Periculoſum eſt, neque unquam cuiquam ſubdito bene ac feliciter tandem cedit, ſi ſe à ſuo Principe metui velit. *Lib. citat.*

REGULA XIX.

Mercenarium præſidium fluxum.

Nihil tam fluxum eſt, quàm potentia Principis non vi nixa, ſed alieno duntaxat favore. *Ibid.*

REGULA XX.

Princeps iratus placandus.

Eſt prudentum Conſiliariorum, irritatum Principis animum lenire, non accendere: & detractorum, ac ...torum fraudibus obviam ire. Sic Seneca & ...rus Neronem Agrippinæ iratum placarunt. *Ibid.*

REGULA XXI.

De repentina Principis mutatione.

Crudelis & feri Principis animus iratus priùs in ...piam è ſuis, & ſtatim poſtea mutatus, & in ...dem comis ac blandus, certiſſimum eſt exitii in eum conſtituti, ac brevi exequendi prognoſticum. ... Nero in Agrippinam Matrem. *Lib. 14.*

REGULA XXII.

De Artibus Principem dedecentibus.

Maturè in earum artium odium inducendus Pri-
ceps, quæ eum dedecent, ut Aurigarum, Ludionu
Citharistarum, Pictorum, reliquarumque similiu
Principis enim in hujusmodi rebus occupatio ac s
dium, tum illi parat dedecus ac contemptum, tu
curâ Reipublicæ avocatum, denique ingenio stolid
reddit. *Lib.* 14. *Annal.*

REGULA XXIII.

De Aulici ex aula maturo discessu.

Aulicum prudentem, ubi animum Principis e
se mutatum, & crescere, qui sibi invideant, agno
oportet discedendi ex aula honestam veniam mat
petere, honoribusque cedere, quàm pati, ut ex ea
ciatur à Principe. *Lib.* 14. *Annal.*

REGULA XXIV.

Anarchia in Republica periculosa.

Præstat sub malo Principe esse, quàm sub nu
Lib. 1. *Histor.* Patet hoc ex bellorum civilium exem
post mortem Neronis.

REGULA XXV.

De ingenio plebis.

Difficile est plebi vel totam Libertatem pati, vel
tam servitutem. *Lib.* 1. *Histor.*

REGULA XXVI.

De retundendo sceleratorum impetu.

Scelera impetu, bona consilia morâ convalesc
Itaque primus sceleratorum impetus primo quo
tempore vel infringendus est, vel objectis impedim
tis ad tempus retardandus, ut evanescat. *Ibid.*

R

REGULA XXVII.
Consilia statim exequenda.

Nullus cunctationi locus est in eo consilio exequen-
o, quod non potest laudari nisi peractum.
idem.

REGULA XXVIII.
De subtrahendis furori plebis.

Quos furori plebis subtrahere velis, vincias, & qua-
ad majorem pœnam destinatos custodias. Sic
vilis servatus sub Vitellio, sic Marius Celsus sub
thone. *Lib. 1. Histor.*

REGULA XXIX.
Consilia media non semper probanda.

In rebus desperatis, & in quibus remedio citissimo
opus, semper est teterrimum media consilia anci-
ia, aut cunctationes sequi. *Lib. 3. Hist.*

REGULA XXX.
Imperii munimenta Liberi Principis.

Non legiones, non classes perinde sunt firma Impe-
munimenta, quàm numerus liberorum: in Re-
s tamen electivis sæpè gravissima bella inter eos
riuntur. *Lib. 4. Histor.*

REGULA XXXI.
Princeps qualiscunque tolerandus.

Quomodo sterilitatem, nimios imbres, & cæte-
aturæ mala toleramus; ita luxus, avaritia &c.
ninantium toleranda. *Ibidem.*

CAPUT VI.

Regulæ ex Historiis Herodoti.

REGULA I.

De non permittendis homini privato armis &
militibus.

TYrannidem facilè in Rempublicam usurpat, c
arma tractare, & milites habere ad sui custodia
speciali privilegio præ cæteris licet. Itaque hæc n
mini in Republica sunt concedenda. *Lib.* 1. *Histor.*

REGULA II.

Non sit difficilis aditus ad Principem.

Princeps ad tyrannidem sibi parat viam, qui vel pa
cis, vel nullis subditis suis concedit, ut ad sese absq
internuncio accedant. *Lib.* 1. *Histor.*

REGULA III.

De communi totius Gentis Consilio constituen-
do.

Ad pacem inter ejusdem Gentis & Linguæ Resp
blicas liberas colendam, necesse est commune quo
dam totius Gentis concilium constitui, in quo de t
tius gentis controversiis rebusque communibus co
sultetur & statuatur. *Lib.* 1. *Histor.*

REGULA IV.

Cives vitæ suæ rationem reddant.

Demonstrent apud Magistratum tenues, tum ci
seu incolæ, tum peregrini, quâ ratione victum s
comparent: ne furtis & latrociniis abundet urbs, a
Regio, in qua id negligitur. Hoc Amasis Rex Æg
pti & Solon lege statuerunt. *Lib.* 2. *Histor.*

R

REGULA V.

De extraneis Mercatoribus.

Extraneos Mercatores, unius & ejuſdem mercis, l certam & eandem Regni & Reipublicæ Urbem acdere, quàm per totam Regionem liberè vagari, ſatiùs :, ne pro mercatoribus fiant exploratores: & ut rtus cuique merci extraneæ ſit locus deſtinatus. *b. 2. Hiſtor.*

REGULA VI.

De exploratione Regni ſub ſpecie munerum.

Sub ſpecie munerum mittendorum maximæ regni ni explorationes fiunt. Ita Cambyſes exploravit Æthiopum. *Lib. 3. Hiſtor.*

REGULA VII.

Novus Princeps beneficentiâ ſibi ſubditos conciliet.

Novo Principi magnam ſubditorum benevolen-ı conciliat liberalitas in eos, tributorum reio, onerum imminutio, privilegiorum conceſ- *Ibidem.*

REGULA VIII.

De ratione aſſervandi theſaurum publicum.

heſaurus publicus, quodque in eo aurum & arum ad publicas neceſſitates reſervari debet, mein fidelias vel laminas contuſum, aut conditum, iquefactum aſſervatur, quàm in moneta jam cuſa: tunc minùs facilè patet furibus, vel expenditur. fuit ratio aſſervandi Regii theſauri in Perſide. 3. *Hiſtor.*

REGULA IX.

Non onerandæ Provinciæ Limitaneæ.

Limitaneæ Regni & Reipublicæ regiones non sun tam gravi tributo, quàm Meditullianæ, onerandæ quantumvis illæ sint opulentæ: ne fatigatæ rebellent ac desciscant. Darius quosdam populos minimè tri butarios fecit, quod essent Limitanei, ut Colchi & Æthiopes. *Ibidem.*

REGULA X.

De dissimulatione novo Principi necessa-ria.

A novo Principe & nondum satis confirmato n hil in quempiam è proceribus gratiosum populo, au potentiorem, quantumvis meritum, vi apertâ ten tandum est acerbius, sed multa ad tempus dissimu landa. *Lib.3.Histor.*

REGULA XI.

De Proceribus Principi suspectis.

Proceres, qui ob potentiam Principi suspec sunt, sub honesto prætextu, verbi grat. legation obeundæ &c. abducendi sunt. *Lib.5.Histor.*

REGULA XII.

De eodem Argumento.

Cùm quis magni jam apud populum nominis, d primendus ac dejiciendus est, ut id absque murmu & seditione fiat, debet alterius jam commendati no que viri oppositis laudibus & cooptatione sensim c cuti ac dimoveri. *Ibidem.*

REGULA XIII.

De Exterminatione sceleratorum Proce-rum.

Eorum Procerum, aut familiarum, quas de Rep blica exterminari oportet ob perpetrata scelera, om

eg

gregia monumenta, præsertim publica, sunt vel orsus tollenda, vel commutato nomine aliis tri-nenda. *Lib. 5. Histor.*

REGULA XIV.

Sententiæ in Concilio debent esse liberæ.

Summus Princeps, aut qui Concilio præest, æquo imo ferre debet, ut contrariæ sententiæ dicantur. *b. 7. Hist.*

REGULA XV.

De moderatione in periculis.

Qui omnia pericula timet, nihil aggreditur: qui lla, facillimè perditur. *Lib. 7. Histor.*

REGULA XVI.

Adjumenta Exactionum.

Magna ad pecuniam à populo & subditis exigen-m sunt adjumenta, Suadela & Necessitas. *Lib. 8. stor.*

REGULA XVII.

Impedimenta Exactionum.

Magna rerum agendarum, imprimisque pecuniæ ubditis obtinendæ impedimenta sunt seditio & pia, seu impossibilitas. *Lib. 8. Histor.*

REGULA XVIII.

De divisione pecuniæ publicæ.

Pecuniæ publicæ, quæ viritim sine ulla necessitate t civibus dividendæ, commodiùs in publici ali-us operis ædificationem usumque convertuntur, àm viritim singulis civibus non egenis distribuan-. Sic pecunia Atheniensium ex consilio The-toclis in structuram navium conversa est. *Lib. 7. stor.*

CAPUT VII.

Regulæ ex Historiis Thucydidis.

REGULA I.

De viribus Reipublicæ mercenariis.

Ea Respublica facilè vinci potest, cujus vires sunt mercenariæ & extraneæ, non vernaculæ. *Lib.* 1. *Hist.*

REGULA II.

In Reipublicæ calamitate utilitas sæpe dignitati præponenda.

Quidquid ex æquitate & justitia faciendum est, licet sæpe non ex dignitate Reipublicæ fieri videatur, nihilominus faciendum est, ut bellum & calamitas imminens evitetur. *Lib.* 1. *Histor.*

REGULA III.

Illa Respublica est dives & felix, quæ publicè dives & felix est.

Præstat Rempublicam publicè esse felicem, tutam & divitem, quàm singulos & privatos; nam illa felice, & hi quoque servantur: his solùm beatis, illâ verò miserâ, tandem & ipsi evertuntur. *Lib.* 2. *Hist.*

REGULA IV.

De observantia legum in civitate.

Meliùs agitur cum civitate, in qua legibus, licet haud ita æquis, paretur, quàm cum eâ, in qua sunt quidem leges æquissimæ, sed quibus vel non paretur omnino, vel pro libitu tantùm cujusque. *Lib.* 3. *Histor.*

RE-

REGULA V.

Tres causæ ruinæ Civitatis, vel Reipublicæ.

Tres sunt causæ cladium in Civitate vel Republica. Nimia in peccantes lenitas. 2. Nimia otii & voptatum fruendarum & retinendarum pertinacia libido. 3. Nimia inanium Oratorum licentia & ıthoritas, qui nos verbis potiùs demulcent & daces faciunt, quàm factis & re tutos præstent. *idem.*

REGULA VI.

Optima ratio conservandi fœdera illibata.

Fœderum illibatorum conservandorum optima exditissimaque ratio est, si ab iis, qui fœdera pacintur, commune aliquod Concilium, quod de eon inter se controversiis postea cognoscat & judicet, mmuni consensu constituatur. *Lib.5.Histor*

REGULA VII.

De duplici ærario Reipublicæ.

Præter ordinarium ærarium, quod publicis sumous ordinariis sit destinatum, aliud quoque ad exordinarias clades & calamitates sublevandas seorsanćteque reservatum in quaque Republica esse ortet. *Lib.8.Hist.*

CAPUT VIII.

Regulæ ex Xenophonte de Pædia Cyri.

REGULA I.

nfelix Princeps, qui omnibus subditis odiosus est.

Nunquam committendum Principi, ut omnibus suis itis sit simul odiosus & exosus; tunc enim prorerierit. *Lib.5.*

REGULA II.

Devictis populis arma adimenda.

Bellicosis populis victis adimenda sunt arma; ludi, convivia, lucra ex mercimoniis duntaxat relinquenda. Ita Cyrus devictos Lydos tractavit. *Lib.7.*

REGULA III.

De optima Principis custodia.

Optima Principum custodia, eorum virtus, & subditorum benevolentia. Cyri sententia. *Lib.7.*

REGULA IV.

De Regum exploratoribus.

Regibus multi oculi, & aures habendæ, id est, multi homines fidi, qui verè referant ea, quæ passim fiunt, & audiuntur. *Lib.8.*

REGULA V.

Præfecti Provinciarum rarò mutandi.

Qui præpositi benè & fideliter commissas sibi provincias regunt, ii vel nunquam, vel rarò sunt mutandi. Consilium Cyri. *Lib.8.*

REGULA VI.

Præfectis Provinciarum adjungendi inspectores.

Ne qui provinciis præsunt, summum in eas imperium sibi usurpent, & à Republica vel Rege deficiant, adjungendi iis alii, qui sint vel pecuniarum quæstores, vel urbium Præfecti, & tanquam Præsidum Provinciæ inspectores, mutuoque alii aliorum observatores. Sic Cyrus Satrapas allegit Præsidibus à se jam constitutis.

REGULA VII.

De extraordinarius Præfectorum Provincialium inspectoribus.

Annuatim inspectores in singulas Provincias cum

pote

oteſt ate extraordinaria mittendi, qui regionis ſtatum
ognoſcant, ſubditorum querimonias audiant, ac Præ-
dum conſilia intueantur, ac emendent ipſi, vel ad Re-
em referant. *Lib.* 8.

CAPUT IX.

Regulæ variæ ex variis Authoribus.

REGULA I.

Quænam ſint opes urbium?

Opes urbis eſſe exiſtimo, ſocios, fidem, benevolen-
ıam. *Demoſthenes.* Hinc Jonathan Maccabæus
tum cum Romanis fœdus renovavit, & Spartanos in
utuam recepit amicitiam.

REGULA II.

Quomodo ſit conſultandum.

Quid fieri debeat, tractato cum multis: quid ve-
facturus ſis, cum pauciſſimis, vel potiùs ipſe tecum.
egetius.

REGULA III.

Quomodo ſit regnandum?

Qui vult regnare, languidâ regnet manu. Violenta
emo imperia continuit diu. *Seneca.*

REGULA IV.

Magiſtratus non ſint perpetui.

Imperandi parendique viciſſitudo reprimit ingenia
ſtuoſa, nec inebriari nimia licentia ſinit. *Dionyſius
alicarnaſſeus.* Hinc ejectis Roma Regibus conſtitu-
ıs eſt Senatus, dignitasque Conſularis. Ne verò diu-
ırnitate imperii inſoleſcerent Conſules, annuus is
lagiſtratus, & quidem duplex decretus, ut alius ab alio
ı officio contineretur.

RE-

REGULA V.

Malè regit, qui metu regit.

Multis terribilis caveto multos. *Ausonius.*

REGULA VI.

De sedanda factione Nobilitatis.

Nobilitatis factio maturè semper disturbanda, ad eamque rem efficiendam libertas populo proponenda. *Sallustius lib. de Republica ordinanda.*

REGULA VII.

Quænam in Republica maximè sint moderanda?

Tria maximè moderanda, vectigalia, sumptus publici, & judicia forensia. *Idem ibidem.*

REGULA VIII.

Oppressio plebis est oppressio Reipublicæ.

Plebs oppressa & spoliata, se, & Rempublicam facilè venalem habet. *Idem ibidem.*

REGULA IX.

Noscendum populi regendi ingenium.

Populi, quem regendum susceperis, mores imprimis noscendi: nec licet mali, statim, sed pedetentim mutandi. *Plutarchus de civili administratione.*

REGULA X.

Rempublicam capessens qualis esse debeat.

Rempublicam capessens 1. ea vitia sua, quæ maximè apparent, quamprimum mutet: postea verò reliqua. 2. Eatenus sit peritus dicendi, quatenus aliena voce ad animi sui sensa explicanda non egeat: imò populum movere possit oratione. 3. Non modo claro alicui viro se adjungat, sed etiam bono. 4. Non cuncta civitatis consilia aut decreta ad summum magistratum referat; sic enim meticulosa redditur Respubli-

publica, & tandem in servitutem redigitur. 5. Cæteros Magistratus, maximè verò collegas suos, & in eodem munere versantes, consensu & concordia foveat. 6. Ad ea, quæ ipse per se præstare non potest, adsciscat libenter peritiores, per quos adjuvetur. 7. Non sit lucripeta; qui enim talis est, à nullo unquam scelere abstinebit. *Idem ibidem.*

REGULA XI.

De Usurpanda Moderatione.

Citra modum potius, quam ultra modum consistas. *Isocrates in Oratione ad Nicoclem.*

REGULA XII.

De Clementia in subditos.

Quàm acerbus Princeps est subditis & durus, tam ...rum Deum & ipse quoque experietur. Hostes ar...is domantur velut feræ, subditi mansuetudine & be...evolentia velut oves. *Agapetus Diaconus.*

REGULA XIII.

Princeps ne sit contumeliosus.

Maledicta & contumeliæ in alium dedecent ma...mè Principem, & omnem dignitatem gravitatemque ...imi. *Cicero in Epistolis ad Q. Fratrem lib. 1.*

REGULA XIV.

Princeps ne sit inexorabilis.

Exorabilem esse Principem præstat, quàm implaca...em, etiam in maximis injuriis sibi illatis. *Idem ...dem.*

REGULA XV.

De Principe, qui non est Oeconomus.

Princeps minimè œconomus, sed sua temerè do...ns aut dissipans, paulatim se suosque quoque ex...rit, ac deseritur tandem à suis etiam domesticis. *...lip. Cominæus.*

RE-

REGULA XVI.

Princeps Principi à se offenso non se committat.

Princeps summus ne alterius summi Principis, maximè cum quo antea vel bello vel verbis contendit, potestati unquam (si fieri potest) sese committat. *Cominaus.*

REGULA XVII.

Quomodo tractandi Legati.

Legati externi honestè quidem excipiendi, veruntamen & observandi, & citò dimittendi, & iidem, si potes, in tuas partes trahendi. *Idem.*

REGULA XVIII.

Quid faciendum irrumpentibus hostibus?

Irrumpentibus hostibus vicinis sunt loca illis objecta munienda præsidiis validissimis, non autem aci statim decertandum. *Idem.*

REGULA XIX.

De morte Principum magna molientium.

Principes tunc maximè Deus eripit ex hoc mundo vel evertit, cum magna moliuntur, sibique videntur felicissimi. *Cominaus cap. 50. de Carolo VIII. Reg Franciæ.*

REGULA XX.

Quid faciendum cùm protelatione opus est?

Ubi protelatione opus est, non statim responsi danda, sed promissis & legatis semper novis, qui superiùs cum aliis acta nesciant, est agendum. *Cominaus cap. 116.*

REGULA XXI.

Conjugiis Regnum amplificandum.

Conjugiis sunt regna, ditionesque vicinæ, quantum fieri potest, nostris adjungendæ. *Idem cap. 116. & 117.*

RE

REGULA XXII.

De Modo Rempublicam conservandi.

Duabus rebus omnis Respublica maximè conti-
netur: præmio & pœna. *Cicero ad Marcum Brutum.*

REGULA XXIII.

De injuriis à Principe remittendis.

Princeps privatas injurias sibi factas condonare po-
est, publicas verò, id est, Reipublicæ factas, aut aliis
tiam privatis illatas remittere non potest. *Philippi
Macedonum Regis sententia.*

REGULA XXIV.

*Quid sit agendum Principi in expeditione
longinqua?*

Principem longinquam expeditionem parantem,
on modo regnum priùs componere, verùm etiam
ndique cum vicinis populis pacem & securitatem
abilire oportet. *Polybius lib. 5.*

REGULA XXV.

In controversiis via media ineunda.

Ubi neutra pars in pacta vel conditiones positas
nsentit, media quædam via, aut personæ utrique ve-
randæ eligendæ aut proponendæ sunt, quæ postu-
a temperent. *Cominæus cap. 41.*

REGULA XXVI.

De diffidentia prudente & imprudente.

Diffidentia prudens consilii fons est, at imprudens
perpetua propriæ ruinæ & ingentium malorum
nciliatrix: est autem imprudens, quæ ne mediis
idem prudenter provisis confidit. *Cominæus*
. 45.

RE-

REGULA XXVII.

Rarus sit congressus summorum Principum.

Principes summi aut rarò, aut nunquam sese mu tuò coram videant, si diu concordes vivere, & alte in alterius admiratione esse velint. *Cominæus cap. 24.*

REGULA XXVIII.

Quomodo dissipandæ sint seditiones?

Ad dissipandas seditiosorum hominum jam colle ctas vires & consilia, quævis conditiones politica quæ neque Dei cultum tollant, neque Regni lege fundamentales evertant, acceptandæ; modò Rei publicæ & Magistratui authoritas sua salva maneat *Cominæus.*

REGULA XXIX.

Pax meliùs pecuniâ, quàm armis emitur.

Pax tutiùs & compendiosiùs pecuniâ & comitat emitur ab hoste, quàm certamine comparatur. Ho modo eam emit Ludovicus XI. Rex Galliæ à Reg Angliæ.

REGULA XXX.

Quis censendus sit bonus civis?

Bonus civis est, qui non potest pati eam in sua ci vitate potentiam, quæ supra leges esse velit. *Cicer epist. 17. ad Brutum.*

REGULA XXXI.

Maximè necessaria in Republica præ aliis curanda.

Quæ præ aliis in Republica sunt necessaria, ea quo que præ aliis à Principe vel Magistratu curanda & con stituenda sunt. Aristoteles porrò 7. *polit. c.* 8. sex gener constituit earum rerum, quæ Reipublicæ sunt omni no necessariæ: videlicet victum, artificia, instrumenta

arma

:ma, curam divini cultûs,& judicia publica. Danæus erò *lib.4.politic.c.2.* ſeptem recenſet: videlicet me-opol'n, mercaturam, monetam, vias publicas, archi-ı,ædificia & opera publica, ac denique artificia.

REGULA XXXII.

Princeps non ſit rebus vilibus intentus.

Principis inepti, & res ineptas, ſuaque Majeſtate dignas tractantis, hieroglyphica nota apud Ægypti-erat *Elephas muribus venandis intentus*; qui labor ntâ mole prorſus eſt indignus.

REGULA XXXIII.

Inepti à gubernatione civitatum removeantur.

Sex genera hominum Iſocratis judicio à guberna-lis civitatum repellenda ſunt. 1. Quibus nemo vatim quicquam credere audeat. 2. Qui corpora ı probris & morbis contaminarunt. 3. Qui patri-nia in turpes voluptates profuderunt. 4. Auræ pularis captores & aſſentatores. 5. Qui ærarium populantur. 6. Qui populo invidiam conflant & ium.

REGULA XXXIV.

rinceps ameliatur cauſas Rempublicam ever-tentes.

Cauſæ hujuſmodi ſunt multiplices: illæ autem æcipuæ, quæ hic commemorantur.

ı. Enormiter delinquentium multitudo, & de-quendi conſuetudo; quando videlicet homines :itant quandam peccandi artem, quæ tandem in ntemptum legum degenerat.

ı. Atrociorum delictorum publicè conceſſa licen-, atque impunitas: quæ conſuetudinem vertit in oudentiam, & mentes in effrænem rabiem agit, ut ar brutorum erubeſcere nequeant, & ſcelera ſcele-

ribus annectere non desinant: donec eadem, clamore suo nubes penetrante, justam DEI vindictam provocent. Qua de re D. Bonaventura, Mali, inquit, mala sua, quod malorum ultimum est, amant: tunc autem consummata est infelicitas, ubi turpia non solùm delectant, sed etiam placent, & desinit esse remedio locus, ubi, quæ antea fuerunt vitia, mores fiunt.

3. Tyrannis sive crudelitas; quæ secum trahit violentiam, fraudes, injurias, vindictæ cupiditatem, negligentiam in tuendis legibus, insanam regnandi libidinem, subditorum expilationem.

4. Authoritatis amissio; cùm scilicet subditis imprimitur vilis & abjecta opinio de Magistratu. Deficiente quippe authoritate, sequuntur mutationes Imperiis exitiosæ. Quemadmodum autem consistit authoritas Magistratûs in sapientia, virtute, felicitate & benevolentia; sic amittitur imprudentiâ, malitiâ, infelicitate, & austeritate Principum.

5. Religionis & legum mutatio, quæ nunquam suscipitur sine magnis motibus. Quemadmodum enim in ædificio ruunt omnia uno tigno exempto: sic unius legis (sive Ecclesiasticæ sive Politicæ) mutatio, sæpe ruinam trahit omnium, præsertim si sit lex fundamentalis, & mutatio illius sit repentina & inopinata.

6. Scelerum impunitas; cùm Magistratus se polluit societate scelerum, & eam ob causam non punit delicta.

7. Discordia civilis; quæ non est inter ejusdem Reipublicæ cives sententiarum diversitas (hæc enim est utilis) sed est bellum civile, primus ille, iisque gravissimus gradus ruinæ imperiorum. Odia siquidem intestina sunt implacabilia, & tantò crudeliora, quantò illi à quibus geruntur, aut sanguine, aut alio amicitiæ vinculo se propiùs attingunt. Unde Politicorum

axioma

xioma est, quòd bella civilia; vel potiùs incivilia non acilè deponuntur; nisi patriâ vel funditùs eversâ, vel niserabiliter convulsâ.

8. Luxuria; tum quia per illam œconomiæ exhau-iuntur: ac proinde politiæ nervus, videlicet pecunia, iciditur; tum quia regnum voluptatis planè pessum-at regnum virtutis.

9. Securitas; in qua vel nullum, vel præceps est con-lium. Hæc nimirum est humanæ fortunæ periodus: *x successibus felicibus homines fiunt securi: ex securis perbi: superbiam autem sequitur ruina.* Unde illud enecæ: *Sequitur superbos ultor à tergo DEUS.*

10. Pruritus belligerandi; qui politiam consumit el externis, vel domesticis bellis. *Politia nimis bellicosa ipsam solet exedere.*

11. Irruptio hostium; præsertim barbarorum; qui lutitürbo ac procella florentissimas Respublicas si-obvias prosternere & pessumdare solent. Sic Assyrios ialdæi, Chaldæos Persæ, Persas Græci, Græcos Roma-de Imperio deturbarunt. Sic Assyrii Regnum Israël, ialdæi Regnum Juda perdiderunt. Sic Galli & mbri duce Brenno irruentes Romanam potentiam gerunt. Sic Gothi in Romanum Imperium se in-identes, sub Arcadio & Honorio illud penè funditùs everunt.

12. Defectio sociorum. Sic bellum Latinum sive iale Romanam Rempublicam per 17. annos afflixit: Spartani à Sociis in Leuctrica pugna propter super-m deserti, insignem illam à Thebanis Epaminondâ ce cladem acceperunt.

REGULA XXXV.

Colenda amicitia cum vicinis & dissitis.

Respublica valde inunitur mutua amicitia aliarum rumpublicarum. Est autem ista amicitia ineunda

partim cum vicinis Rebuspublicis, partim cum dissitis. Cum vicinis quidem; quia ut malus vicinus in œconomia magnum malum, ita in politia malus vicinus sonticum malum est. Cum dissitis autem; quia licet illi præsentes auxiliari nequeant, absentes tamen cohibere possunt hostem communem, aut vias præcludere, ne nostram Rempublicam invadat; pecuniâ denique possunt nobis succurrere.

REGULA XXXVI.

In Republica non æqualitas, sed æquabilitas servanda est.

Meminerit Princeps, inter cives ejusdem Reipublicæ non æqualitatem, sed æquabilitatem servandam esse. Illa singulos æquat in omnibus, quod rationi dissentaneum est. Hæc cuilibet pro dignitate, & ordinis sui, ac meritorum ratione honorem decernit: quod Justitia distributiva exposcit.

REGULA XXXVII.

Miscenda clementia cum severitate.

Magistratus subditis ex æquo & bono jus dicere debet. Id verò assequetur, si jurisdictionem clementia & severitate temperaverit. Sapientes enim judicantur, qui non singula ad filum redigunt. Et ideo lex divisa ab æquitate est quasi corpus exanime. Necesse itaque est, ut clementia temperetur severitate, ne illa degeneret in lentitudinem, quæ parit impunitatem & peccandi licentiam. Ideo non nemo sapienter dixit, non esse inhumanitatem, sed potiùs summam humanitatem, cùm multi paucorum animadversione salvantur. *Optima est misericordia puniens, & crudelitas parcens.* Apposité Plutarchus: Non est, inquit, suavior, aut utilior harmonia, quàm severitas cum clementia conjuncta.

RE-

REGULA XXXVIII.

Oppressio pauperum in Republica vitanda.

Princeps neque per se pauperes opprimat, neque per alios opprimi patiatur. Nam Princeps supremus, sicut pauperum pater & patronus, ita injuriarum ipsis illatarum severissimus ultor existit.

Libet hîc filii Imperatoris Abissini, in tuendis agricolis adversùs venantium insolentias, justitiam, & in eosdem exercitam divinam ultionem, considerationi Principum proponere.

Duo viri nobiles aprum insecuti, segetes conculcaverant, tolerabili primùm damno, dein agricola quiritante irritati, per iram & lasciviam totum agrum obtriverant. Non tulit rei indignitatem Magni Æthiopum Imperatoris filius: plenus irarum rem ad patrem defert, additque vocem, nunc quoque Magnatibus ingerendam: stare non posse Regnum, in quo pauperes opprimuntur. Nihil Regi lætius accidit, filiumque complexus: Macte, inquit, hoc animo fili qualem te pauperes, talem tu Deum experiere. Tibi in delinquentes jus concedo: cognitâ causâ, lege liceat agas. Nec ille cunctatus, auctores damni de vi accusatos morte, socios in quadruplum damnavit. Continuò pro salute captorum preces, intercessiones, & nonnulla jura afferebantur. Diviti scelerato nunquam deest Patronus, quia nunquam desunt Advocati venales. Maximè laborabat pro liberatione reorum Joannes Imperatoris filii Præfectus ac Moderator, quòd omnem in se derivatum iri invidiam prospiceret. Ipse rusticus dies noctesque ante Limen Aulæ Regiæ prostratus, veniam inimicis rogabat. Quæ res animum juvenis exasperavit; constabat enim rusticum minis cognatorum adactum deprecari. Rex cum filium in necem Nobilium obfirmatum audisset,

clam egit, ut connivente custode evaderent rei: ratus tam severo exemplo Nobilitatem exacerbari, filio utile non esse. Regius juvenis audita reorum fuga silentium tenuit; sic enim iracundiam tegere doctus erat. Sed cùm improbis venatoribus pepercerit humana connïventia, non pepercit divina Nemesis. Leæna cum catulo cervum insecuta, fugientibus occurrit; atque in eo ipso agro, quem obtriverant venando, semesos lacerosque reliquit. Ita pœnas legibus debitas, sed potentiâ discussas, belluæ exegerunt. *Autor Hist. Abiss. num. 9.*

REGULA XXXIX.

De liberalitate Principum in largiendis eleemosynis.

Principem debet esse beneficum in omnes, præsertim in egenos, quia horum nutritius à Deo constitutus est.

Exemplum illustrissimum beneficentiæ in pauperes Principibus omnibus semper hucusque præbuit Augustissima Domus Austriaca, ut patet ex meo Adamante Austriaco, ad quem lectorem remitto.

Enituit etiam hæc beneficentia in Ludovico XIII Rege Franciæ, de quo memorat Salianus *in epist. dedicator. Tom. 3. Annal. num.* 11. habuisse eum mille nummos aureos in singulos menses, Regum more sepositos, quos in privatas delicias, ludos, cæteraque anim oblectamenta expenderet; sed eorum octingentos passim erogasse in pauperes, vix quinta parte recreationibus reservata.

REGULA XL.

De observatione & executione legum.

Principes nihil contra leges statuant, sibique persuadeant, *Legibus* potiùs, quàm *Regibus* obtemperandum ess

esse, si contrariis concurrant frontibus. Etenim legum executio est vallum & fossa Reipublicæ. Neque enim leges in scriniis & tabulis, sed in moribus civium esse oportet. Ideo Legatus Atheniensis Spartâ reversus, & interrogatus, quomodo Spartani Rempublicam suam administrarent, funem, furcam & gladium in curiam attulit, & in iis positam esse dixit Spartanorum incolumitatem. Et sanè oriuntur seditiosæ populi voces, & adversùs Magistratum conjurationes, ubi non viget executio legum.

REGULA XLI.

Leges Reipublicæ non facilè mutandæ.

Leges aliæ sunt fundamentales, aliæ non fundamentales. Priores non sunt mutandæ, nisi sint iniquæ. Quòd si æquæ sint, & causa gravis mutationem suadeat, non nisi sensim ac leniter sunt mutandæ. Præstat enim (ut Bodinus loquitur) legis conditionem utcunque iniquam tolerare, & paulatim non utendo antiquare, quàm momento abrogare. Oportet autem leges novas ad populi naturam moresque accommodatas esse, ut consensus illius tantò faciliùs eliciatur. Si enim populus non consentiat in mutationem legum, cicatrix potiùs ferenda, quàm novum lethale vulnus infligendum est.

Quod attinet ad leges non fundamentales, quæ concernunt servitutes, jura testamentorum, contractus, & similia negotia politica, has interdum convenit pro ratione circumstantiarum mutari. Homo siquidè non semper fert leges tam absolutæ prudentiæ, ut in illis nihil successu temporis possit desiderari & emendari. Illa tamen mutatio debet esse parca & prudens, ne legibus fundata civitas legibus evertatur. Nam crebra legum mutatio, præterquam quod parit contemptum legum, subditos ad seditionem commovet, &

Magistratûs autoritatem imminuit. Rectè igitur sentiunt Politici, cùm de legis mutatione agitur, omnia esse in statera ponderanda. Nam nisi admodum circumspectè hic agatur, ilias malorum solet oriri, cùm periculosum sit fundamentum alicujus domus mutare. Unde quidam Politicus ait: Ne quis substructiones altissimarum ædium, salvis illis, renovare se posse putet; quæ etsi non ruant, plus tamen ipsa concussio domûs incómmodi, quàm nova materia utilitatis est allatura. Nihil itaque magis ad concordiam stabiliendam in Republica conducit, quàm leges & mores veteres, quantum fieri potest, retinere.

REGULA XLII.

De subditorum erga Principem amore.

Subditi ament Principem, ut vicissim amentur à Principe. Amor enim amoris est semen. Amor amore, non alio pretio emi solet.

Egregiè suum Regi Poloniæ testatus est amorem Comes Tancinus, ut in historia Polonica legisse me memini.

Cùm Henricus III. primum Poloniæ, deinde Galliæ Rex (quem patriâ profugum Poloni in Regem suum elegerant) in Galliam, ad capessendum regnum suum avitum reditum pararet, Tancinus Regis amatissimi pariter & amantissimi discessum præ cæteris immoderatè ferens, abeuntem insecutus & assecutus fuit, ac flexis humi poplitibus, in monumentum & pignus amoris perpetui, vel unicam ligulam vestis regiæ sibi impertiri vehementissimè postulavit, quàm carni vivæ, ut ipse inquiebat, velut testem sui in Regem amoris insereret. Quem rarissimæ benevolentiæ affectum in homine extraneo summopere admiratur

ratus Rex, regium annulum pretiosissimo insignem adamante in tesseram affectûs mutui ipsi donavit.

Quò difficiliùs, hoc perfectius amoris specimen exhibuit quidam Præfectus Regius, qui, ut servaretur filius Regis rarò fidelitatis amorisque inusitati exemplo filium pròprium furenti populo necandum tradidit: Res huncin modum accidit.

Lius Imperator Sinensis, ordine decimus, Imperium, seque ipsum superbiâ, opum prodigentiâ, atque imprimis sævitiâ infamavit. Hinc ei cognomentum *Crudelis* adhæsit. Nihil ille pensi habebat, utcunque res agerentur, dummodo animo suo obsequeretur: Imperio, populo, denique sibi exitiosus. Et cives quidem de barbara feritate questi, cum non paucis præfectorum communi causæ faventibus, dictis scriptisque Tyrannum insectabantur. Sed jam ultra remedium processerat obstinatio. Non modo non cessit minacibus subditorum querelis truculentus princeps, sed insuper etiam iratis iratior, inquiri severè jussit in eos, qui de se sinistrè loquerentur. Et quia seditionis autorem investigare non potuit, sævitiam in omnes exercere decrevit: edicto capitali sanciens, ne quis quocunque loco, vel tempore, quacunque de causa cum quopiam loqueretur, ac ne mussitaret quidem; hac enim suspicione perpetuo torquebatur, omnium se peti, & configi maledictis: tormento domestico tyrannorum, semper quod merentur, timentium. Ingens hominum multitudo furore tyranni jam è medio sublata, in Regia Urbe velut quoddam justitium indixerat. Nulla vox, passim silentium, ubi prodeundum in publicum, quasi muti & attoniti, defixis in terram oculis incedere, tanquam in totum sibi excidissent.

Chaocungus, Vir inter Præfectos Regios perma-

gnæ autoritatis, ſæpe monitum, increpitumque ty-
rannum, ſed incaſſum, denique inter alia hujuſmo
verbis alloquitur: *Difficilius eſt Imperator, hominu
Ora quàm Flumina compeſcere. Hæc quidem, etſi con
ſtricta ripis, denique tamen exundant, & latè ſtagnan
vaſtant omnia; de clauſis per vim hominum linguis p
jora time.*

Ipſum triennium edicti imperialis atrocitas tenui
cùm tot injuriis irritata plebs, effuſi torrentis inſt
Regium Palatium invadit, ipſum Regem quærit. Se
is ſubito tumultu vix elapſus, vicinam urbem ex fu
tenuit. Reliqua ejus familia omnis à furente popul
occidione occiſa, excepto parvulo filio, cui effugien
fida Chaocungi domus ad ſalutem patuit. At ea r
ſtatim innotuit. Quare furentes ad Chaocungi do
mum advolant, circumfunduntur armis, & Principe
ſuperbis vocibus ad necem poſtulant.

Chaocungus iratam multitudinem lenitate verbo
rum demulcere nequidquam conatus, in his rerum a
guſtiis fluctuantem contemplatione periculi animu
diſtrahebat in diverſa; Et, jam hæc, inquit, omnia Im
peratori prædixeram. Merito quidem incidit ha
illius rebus calamitas, quia nullus ab eo locus relict
eſt conſiliis meis. At ſi filium ejus, fidem meam im
plorantem, trado furentibus, næ ego infidus, & Imp
ratori inimicus audiam. Quid ſi filium meum ſu
ſtituam, ſtaturâ, vultuque Principi parem?

Hæc ſecum confusè volvens Chaocungus, ut & po
puli placaret iram, & filium Imperatoris ſervare
ſuum, quem habebat domi, filium eis tradit. Que
Principem eſſe credentes, mox cruda feritate lania
innocentem victimam, atque concidunt, immoto Pa
tre ſpectante. Ita ſervatus eſt Princeps, inaudito S
nis ad eum diem, ſubditi erga improbum etiam Imp
ratorem amore, ac fidelitatis affectu. Po

Porro Lius Imperator à rebellante plebe nusquam
pertus, exutusque Imperio, reliquam ætatem in ob-
curo ac fugitivus egit: Illustri ad posteros documen-
o, quid timendum sit Regi, qui timeri à suis mavult
anquam tyrannus, quàm amari instar benigni Patris.
Ex Historia Sinica Martini Martinii.

REGULA XLIII.

Principes salutaribus monitis acquiescant.

JACOBUS IV. Rex Scotiæ ob spretas juvenili sto-
litate, animique torpore salutares monitiones, se-
sum cum potiore parte Nobilitatis Scoticæ perdidit.
um Rex (inquit *Buchananus de rebus Scoticis lib.* 13.)
l exercitum proficiscens, Limnuchi vespertinas in
le sacra conciones audiret, Senex quidam ingressus
t, capillo in rufo flavescente, ac in humeros promis-
, fronte in Calvitiem glabra, capite nudo, veste lon-
uscula cyanei coloris amictus, ac linteo cinctus, cæ-
ro aspectu venerabilis. Is Regem quærens, per tur-
m obstantium penetravit. Ubi accessit, rustica qua-
m simplicitate super solium, in quo sedebat Rex, in-
xus. Rex, inquit, ego ad te sum missus, ut te admo-
am, ne cœptum iter prosequaris: quam admonitio-
m si neglexeris, tibi tuisque nociturus es. Insuper
onere te jussus sum, ne mulierum familiaritate, con-
etudine aut consilio utaris: secus verò si feceris, &
mno, & ignominiæ res tibi futura est.

Hæc elocutus turbæ sese immiscuit: nec, cùm pre-
ous finitis Rex eum requireret, usquam comparuit.
que eò magis mirum est visum, quòd eorum, qui pro-
ùs adstiterant, atque eum observaverant, cupidi mul-
ex eo sciscitandi, nemo ejus discessum senserit. Po-
a cùm Rex non modo data ab ignoto homine mo-
a, sed etiam salutaria suorum Procerum consilia
rneret, & amori nobilis feminæ captivæ, omissâ re
mili-

militari, nimis indulgeret, otiosoque exercitui in ag
sterili commeatus deesset, extenuatis eâ de causâ copi
memorabili prælio ad Fluidonem victus, cum nobi
tate sua penè universa interiit.

REGULA XLIV.

De laxamentis publicis in Republica.

Laxamenta publica politica servire debent hones
ac moderatæ voluptati, ne vel lassent, vel luxent Re
publicam. Sic itaque instituantur hujusmodi lax
menta, ut faciânt vel ad virtutis civilis atque milita
exercitium, vel ad corporis animique recreatione
Ad virtutes civiles conducunt solemnia convivia, co
ventus anniversarii, solennitates nuptiales, ludi sce
ci, videlicet comœdiæ & tragœdiæ, symphoniæ mu
cæ & similia. Ad virtutes militares excitandas pe
tinet studium venationis, equitationis, ludus gladiat
rius, lucta, certamen hastilium, exercitium sclopet
rum & arcuum statis temporibus, lusus pilæ, curs
super glacie, lusus latrunculorum, sive scacchia. A
corporis animique recreationem faciunt lusus hones
& choreæ, quæ intra honestatis fines cohibentu
Porrò hic obiter notandum est, quatuor saltationu
genera dari. Alia enim est saltatio militaris, quæ facit
robur & agilitatem corporis: alia lasciva & impud
ca: alia artificialis & concinna: alia sancta & hero
ca; quo pacto Rex David ante arcam fœderis saltas
legitur.

REGULA XLV.

De privatis recreationibus Principum.

Cùm animum Principis non oporteat velut arcu
continuis seriorum negotiorum occupationibus i
tentum esse, consultum est, ut is nonnunquam certis, i
que congruis laxamentis remittatur. Quo in gene
nihil determinati præscribi potest, cùm alii aliis r

cre

eationibus juventur, & suus cuique modus arrideat.
Sarochus Tartarorum Rex, Magni Tamerlani filius,
gravioribus curis defatigatum relaxaret animum, sa-
tas in usum arcûs, Æropus Rex Macedoniæ mensu-
& lucernulas, Attalus Imperator Asiaticus statuas
ære fusiles conficiebat.
Aurelianus Imperator mimis: Otho Dux Austriæ,
gnomento *Jucundus*, morionibus: Quidam ex
variæ Ducibus, de quo *Platerus lib. 3. Observation.*
nis mirificè delectabatur. Unde etiam in ejus nu-
s parvulus nanus integrè armatus, manu hastu-
tenens, gladioloque accinctus, in artocrea sic in-
fus fuit, ut conspici non posset: qui, artocreâ men-
latâ, & cultro de more apertâ, erumpens, strictoque
liolo gladiatorum in morem saliens, omnibus ri-
& admirationem movit.
nnocentius VIII. Pontifex horas succisivas, quas
ris Pontificiis vacuas habebat, putandis hortorum
um arboribus impendebat.
aulus IV. Pontifex ex arculis artificiosè concin-
s delectationem capiebat singularem. Habebat
er alias arculam eburneam affabrè & singulari ar-
o factam. Huic Christophorus quidam Germa-
Serarius faber, seram aptaverat tantæ parvitatis,
mani unguis magnitudinem haud multum exce-
t: attamen confertam tam multis machinis, atque
bus tantæ parvitatis, tenuitatis & gracilitatis, ut
summa admiratione intuentes afficerent, tum
em quasi oculorum aspectum etiam acutissimum
gerent, ut nec Lynceus ille ex Argonautis, nec qui
em Homeri in unius juglandis putamine descri-
linumerare illa, aut à se invicem distinguere, ac
icare potuisset. Ex hujus itaque artificis peritia
m cepit Pontifex animo voluptatem, ut ipsi (ad-
moni-

monito priùs, ut ad se tempore minùs impedito redi-
ret) numerari statim 25. aureos jusserit. Deinde veri
post aliquot dies reverso tantum auri impertivit, quan-
tum una manu tollere è capsa sua potuit.

Nonnullos Principes apprimè delectat Astronomia
Inter quos Alfonsus X. electus Romanorum Impera-
tor, Rex Castellæ & Legionis pluris fecit cælestium
rerum notitiam, quàm Romani Imperii administratio-
nem, & plus ex ea se gloriæ veræque laudis, quàm e
Corona Imperiali consecuturum arbitrabatur.

Robertus Rex Siciliæ, ut libenter, sic diligenter
adeoque peritè in rebus Astrologicis versatus est, u
quid adversi vel secundi astra portenderent, certissim
se posse denuntiare arbitraretur. Itaque Philippum
Valesium Franciæ Regem missis ad eum litteris sedulo
admonuit, ut cum Eduardo III. qui tum Anglis impe-
rabat, nequaquam collatis signis, si præsens esset, di-
micaret; se enim inspectâ juxta leges Astronomiæ eju
geniturâ, & diligenter examinata, fortunatum illum
in rebus bellicis futurum cognovisse, & de Gallis po-
tissimùm insignes victorias, si in aciem cum eo descen-
derent, reportaturum. Nec illa prædictio event
prædicto frustrata fuit. Nam post aliquot annos i
Picardia cum Eduardo confligere ausus Philippus, lice
copiarum numero longè superior esset, luctuosam ad
modum, & Galliæ calamitosam cladem accepit; quan
doquidem è suis triginta millia eo in prælio desidera-
vit, & ipse fugâ vix periculum evasit.

Atheas Rex Scytharum suum ipse equum non sin
voluptate pectebat, fricabat, insternebat; cumque
Legatis Macedonibus in stabulo hæc agens deprehen-
sus esset, rogavit num etiam Philippus Rex Macedoni
hujusmodi res exerceret?

Abas Rex Persarum equos suos ferreis soleis ipse a

maba

abat, atque exarmabat; & quoties venatum ibat, aut
urbe in urbem migrabat, aut expeditionem belli-
m suscipiebat, semper famulum lateri adequitantem
cum ducebat, qui in sericis hippoperis habebat omne
nus instrumentorum fabrilium; ut si quando vel
benæ, vel ephippium, aut phaleræ, aut aliud quid-
am sarciendum esset, illud sibi ministerium Rex ipse
uoque suo præstaret. Quæ omnia Petrus à Valle
tricius Romanus se vidisse testatur.

Complures alii Principes animum relaxaturi, artes
chanicas exercuerunt.

Nero Musicam, picturam & plasticen & callebat, &
nter tractabat.

Valentinianus Imperator venustissimè pinxit, & si-
lachra seu cera, seu limo dexterrimè finxit. Rudol-
us quoque II. Imperator icones pulcherrimè deli-
vit, & vultus hominum ad vivum expressit.

Cyrus manu sua plantavit arbores, earumque ordi-
in quincuncem disposuit.

Gambrivius Tuisconum Rex Septimus œconomiæ
liosus fuit, & primus docuit modum coquendi ce-
siam.

lbertus IV. Dux Austriæ fuit architectus peritissi-
, & in dolandi, tornandique arte versatissimus.

Carolus V. Cæsar horologia, automata, rotasque
ientarias subtilissimo artificio fabricavit.

uilielmus Dux Bavariæ, postquam ditionum sua-
regimine se abdicasset, & Maximilianum filium in
m suum suffecisset, manuariis artibus sese exerce-
& oblectabat. Inter alia confecit horologium li-
um, in quo rotæ ligneæ, clavique ipsi erant lignei;
panulam vero ex vitro conflatam incluserat, quæ
modò horas indicabat; sed etiam dormientes è
o excitabat, ficulneo malleo campanulam leniter
tiente.

Ferdi-

Ferdinandus I. Magnus Dux Hetruriæ gremiali præcinctus, limare aurum, polire gemas, detergere arm[illegible] solebat.

REGULA XLVI.

In defendenda libertate patriæ magnis animis, & heroicâ resolutione opus est.

Hujus rei specimen luculentum exhibuit Petrus Ca[illegible]ponius, qui Florentinæ Urbis, & annexæ ditionis liber[illegible]tatem contra Gallos animosè propugnavit. Cùm enim Carolus VIII. Gallorum Rex Florentiam arma[illegible]tus numeroso cum exercitu esset ingressus, & civibus qui contra libertatem nihil erant permissuri, durissi[illegible]mas fœderis conditiones proponeret, Petr. Caponius [illegible] Quatuor-viris unus ad negotium cum Rege expedi[illegible]endum electus, rei indignitate commotus, Scribæ Re[illegible]gio iniquissima capita de scripto recitanti, chartam [illegible] manu abripuit, & Rege ipso spectante concerpsit, cu[illegible] stomacho in hæc verba erumpens: Quandoquiden[illegible] tam iniqua postulatis, agite vos Galli, tubas vestra[illegible] & cornua inflate, nos campanas nostras pulsabimus [illegible] simulque cum dicto, collegis ipsum sequentibus, [illegible] regio cubiculo sese proripuit. Quâ libera voce [illegible] Gallos terruit Caponius, & patriæ libertatem conser[illegible]vavit. *Guicciardinus lib. 1. Histor.*

REGULA XLVII.

Principem oportet habere septem Concilia.

Per Concilium Principis intelligitur congregati[illegible] hominum selectorum, ad consulendum (unde com[illegible]muniter vocari solet Consilium) vel pacis, vel bell[illegible] tempore: quorum opera Princeps præteritorum me[illegible]minit, præsentia cernit, futura providet.

Hujusmodi Concilia septena Principem haber[illegible] oportet.

Pri

Primum Concilium est *Quæstorium*, quod ærario & ecuniæ publicæ præficitur.

Secundum est *Togatum*, quod politicis negotiis estinatur.

Tertium est *Militare*, quod polemica curat, & æest negotiis martialibus.

Quartum est *Frumentarium*, quod provinciæ pro- icit de annona, & constituit Canonem frumentarium.

Quintum est *Legale*, cujus est considerare, quibus agistratibus & Rectoribus provincia egeat.

Sextum est *Criminale*, quod ad mulctas & pœnas destinatum.

Septimum est *Censorium*, quod inquirit in vitia & tutes subditorum.

REGULA XLVIII.

Juvenes non sunt eligendi in Consiliarios.

Axioma Rabbinicum est: *Qui discit à Junioribus, ilis est ei, qui edit uvas immaturas, & bibit vinum torculari. At qui discit à senioribus, similis est ei, edit uvas maturas, & bibit vinum vetus.*

REGULA XLIX.

Consiliariorum consilia sint tempori accommodata.

Consilia aliàs bona desinunt esse bona, si non sint pori accommodata: idque ostenditur exemplo is Albani Gubernatoris Belgii.

crescentibus superiore seculo motibus Belgarum, Regis Hispani est missus in Belgium. Ante omnia m, priusquam Albanus se itineri accingeret, quæsi- fuit in secretiori Regis Concilio, an severè, ut an- verò mitiùs cum Belgis agendum videretur.

onnulli mitiora consilia præferentes, dicebant,

eam

eam indolem Belgarum esse, ut non nisi molli impe
rio & salvâ libertate in officio contineri possint; opt
mam verò esse illam imperii rationem, quæ moribu
& imperio subditorum, quantum licet, est accom
modata. Priores Belgii Gubernatores nihil profeci
se per exercitam severitatem: alia igitur & contrar
remedia esse tentanda; exemplo Medicorum, q
ubi priora medicamenta successu caruêre, alia, & sa
pe contraria curandis ægrotorum corporibus sole
adhibere. Inutilem esse illam contumaciam, cùm
eo consilio persistitur, per quod nihil hactenus e
profectum.

Albanus è contrario severitate majore quam an
Belgas coërcendos esse existimabat. Habendam qu
dem aliquam rationem indolis Belgicæ, jam aute
eam specie ac prætextu libertatis in licentiam prope
dere, & ad detrectanda Principis imperia proclive
esse: severitate igitur edictorum, eorumque co
stanti executione lupatum insolescenti temeritati e
injiciendum, nam lenitatem imperii non futuram
nisi effrenis licentiæ incitamentum Gentem, quæ no
amat Principem, metu in officio contineri debe
Adhæc Belgarum in Hispanos odium esse plus quà
Vatinianum, severitate quidem hactenus nihil pro
ctum: at causam non esse in ipsa severitate posita
sed in nimis remissa severitate eorum, qui hacte
res Belgicas cum Imperio administrarunt. Quòd
etiam leniora, quàm ante hac usurpentur regimi
consilia, verendum esse, ne infringatur vis eoru
quæ jam promulgata sunt, edictorum, & Regis auto
tas omnino pereat. Dum Princeps semel gratifica
contumaciæ subditorum, aperiri viam perpetuæ c
dam dedignationi parendi; proinde salvâ Regis a
toritate non posse quidquam remitti de edictoru
sev

:veriſſima executione. Denique jam partem Belga-
ım deſciviſſe, cæteros de eo deliberare, & ſecutu-
os propediem reliquorum exemplum. Qui delibe-
ınt, jam deſciviſſe: quid ni jam vim meditantes ali-
i, alibi inferentes, vi ad officium revocarentur?
ſimis impar eſſe Reipublicæ curandæ remedium leni-
tem & modeſtiam inermis imperii illis opponere,
ui jam partim ſunt armati.
In Hiſpanorum Conſilio graviſſimæ ſunt viſæ Al-
ıni rationes, placuitque ejus ſententiam approbare.
d profectò eventus non correſpondit voto & expe-
ationi. Nam aucti ea ſeveritate motus Belgarum
ıt, & ſub Albano integræ ab Hiſpanis provinciæ de-
vêre.
Non equidem diffiteor Albani Ducis conſilium ro-
ſtis & momentoſis fuiſſe nixum rationibus. Interim
nen negari non poteſt id fuiſſe magnopere infor-
ıatum. Cujus rei ſi quis ex me cauſam quærat, non
ım attulerim, quàm quòd hujuſmodi conſilium ſpe-
ſius inter deliberandum rationibus probari, quàm
rerum ac temporum ſtatu utiliter in opus conferri,
executioni mandari potuerit.
Certè publica conſilia non ex rationibus ſimpliciter,
ex futura etiam executione poſſibili aut impoſſibi-
ıpienda ſunt. Melius eſt conſilium, quòd minùs
obes & exequi poſſis, quàm quòd magis probes,
exequi non poſſis. Plus virium tunc erat Belgis,
ım ut opprimi poſſent, aut flecti: minus virium in
gio Duci Albano erat, quàm ut retentam auctám-
ſeveritatem ad optatum eventum deducere poſ-
Itaque conſultantem non tantùm vires rationum,
etiam vires ſuas ſpectare oportet: quæ ſi minores
, maximæ prudentiæ eſt, minora conſilia majori-
præferre.

REGULA L.

Tributorum exactio sit prudens.

Prudens erit tributorum exactio 1. si fuerit moderata; immoderata enim Rempublicam pessumdat, & corpus Politicum instar febris hecticæ consumit; cùm videlicet Princeps aut Magistratus rem aufert cum pulvisculo, ut Plautus loquitur, & publicum ærarium fit spoliarium. Hujusmodi exactio fuit illa Ducis Albani in Belgio (si vera narrant nonnulli Historici) qui unius diei intervallo, ex rebus promercalibus, quæ venditæ fuerant, septingenta ducatorum millia sib[i] comparasse dicitur.

Prudentiùs & suaviùs egerunt quondam Maccarenses, quorum consuetudinem, ad coërcendas ni[-]mias Regis exactiones laudabiliter introductam, commendat Thomas Morus in Utopia *lib. 1. pag. 42.* Re[x] enim quo die primum auspicatur imperium, jurejuran[-]do adstringitur, nunquam se uno tempore supra 100[0] auri pondo aut argenti, quantum ejus auri pretiu[m] æquet, in thesauris habiturum; propterea quò[d] tantæ opes videantur sufficere, sive Regi adversù[s] rebelles, sive regno adversùs hostium incursion[es] esset dimicandum; cæterùm minorem esse ha[nc] summam, quàm ut animos Regi faciat ad invaden[-]da aliena: quæ inter præcipuas legis hujus conden[-]dæ, & consuetudinis introducendæ causas una fuit.

Deinde ad prudentem tributi exactionem requir[i]tur, ut sit suavis. Cùm enim asperrima in aurib[us] vulgi vox sit *Tributum*, oportet eam asperitate[m] amicabili quadam exactionis dulcedine mitigar[i]. Quòd si verò Princeps, aut Magistratus suavitate n[i]hil impetret, dicat cum Themistocle: *Duabus De[a]bus comitatus venio,* Suada & Violentia. Et subd[it]

h

ıic cogitent illud Taciti : *Suaſio ab eo, qui jubere po-*
eſt, vim neceſſitatis adfert.

REGULA LI.

Princeps non ſit Machiavelliſta.

Caveat Princeps, ne dictamina Machiavellicis prin-
cipiis imbuta ſectetur.

Hujuſmodi autem principia ſive axiomata ſunt va-
ia. *Primum:* Fides, clementia, liberalitas, omnes
denique virtutes damnoſæ ſunt civitati. *Secundum:*
Principi pejerare, fallere, & diſſimulare ſine ulla du-
itatione licet. *Tertium:* Religio animos homi-
ıum deprimit: ſævitia ſubditos in officio retinet.
Quartum : Felix eſt Princeps, quem populus non
iligit. *Quintum* : Tuta eſt civitas, quæ diſſidia &
ıctiones nutrit. *Sextum:* Rex ille eſt ſapiens, qui
oni publici ſtudioſos & amantes tollit. *Septimum:*
ınte omnia optandum eſt Principi, ut pius videatur,
on tamen re ipſa ſit talis. *Octavum* : Oportet
rincipem ſemper adverſarium in ſe alere, ut eo op-
reſſo potentior videatur. *Nonum:* Princeps in-
enium verſatile, arte uſuque factum in ſævitiam &
erfidiam habere debet, eoque reipſa uti, quoties
it expediens.

Quàm verò hæc principia & periculoſa, & perni-
oſa ſint, teſtantur tragici exitus eorúm Principum,
ıi ea in ſuo regimine uſurparunt. Inter quos primo
co numerandi ſunt Cæſar Borgia, & Ludovicus
ortia : quorum ille exiguum Ducatum Urbina-
ım per infinita ſcelera vix occupatum non diu
nuit, ſed ex illo ejectus, & velut hominum peſtis,
: hominum conſortio excluſus, in culina Regis Arra-
oniæ miſer, exul, mendicus, diu jure culinario offa-
ıe rancidâ victitans, infelicem animam effla-
t: Hic verò Ducatum Mediolanenſem magna perfidia

occupavit, sed ex eo Gallorum armis depulsus, unà cum uxore in arce Lochiana diu miser & captivus vixit, atque in eadem cum suis illis præceptis Macchiavellicis mortuus ac sepultus est.

REGULA LII.

Princeps fidem datam accuratè servet.

Si cuiquam (inquit *Bodinus lib.5. de Republ.*) fidem frangere fas est, dare certè nefas est. Sin fidem dare jus est, datam servare oportet: præsertim si à Principe data sit. Nam, ut rectè Tholosanus *lib.8. de Repub. cap.8.* ait, Principis verba ad firmitatem propemodum divinam accedere debent. Quod observavit Sigismundus Imperator, qui cum veterano militi exigenti promissa dixisset: *Immoderata fuit petitio tua*; is autem respondisset: *poteras negare cùm peterem, nunc sine turpitudine quod promissum est, rescindere non poteris*; subjunxit Imperator: *Si ex duobus alterum me fa-cere oporteat, faciliùs rerum, quàm famæ jacturam subib-*

REGULA LIII.

Fœdera inter Principem & subditos armatos, pe-riculosa sunt, & eventu infortunata.

Ex omnibus fœderibus nullum est, quod difficiliù servari possit (inquit *Bodinus lib.5. de Republ.c.6.* Ac-do ego, quod periculo magis obnoxium sit) quà quod ictum est cum subditis. Quia nihil æquè Prin-cipum mentes exulcerat, quàm cum subditis pacisci quibus contumeliam acceperint, & ad pacta servanc compelli. Ludovicus XI. cum subditis, à quibu desertus ac proditus fuerat, pacem inire coactus es sed eos omnes, paucis exceptis, clam aut apertè necan dos curavit: Ducem inquam Nemorosum, Magistru militum, Ducem Burgundionum, & Comitem Arm riacum. Mejerus, qui res Belgarum scripsit, fratre

qu

uoque Carolum eo numero complexus, veneno ſub-
atum tradit. Ætate ſuperiori Rex Feſſarum à fratre
uniore obſeſſus, & iniquiſſimis conditionibus paciſci
oactus, jurejurando ſeſe obligavit. Sed eodem
nomento fratrem, quem ad complexum admiſerat,
uffocari, ac de ſublimi ſolario coram exercitu dejici
nandavit: & confeſtim exercitus omiſſo Duce (qua-
corpus decuſſo capite) animo fractus, Regis Im-
eria ſequi non dubitavit.

Conſimili ſtupore atque amentiâ Dux Hyorchus
um Henrico VI. Rege Anglorum, quem opibus ac
otentiâ ſuperârat, fœdus iniit; quo quidem ſibi to-
us regni procurationem ſe vivo, liberis verò, poſte-
ſque ſuis Regnum mortuo Rege pactus eſt. Rex
mnibus aſſenſum præbuit, & tamen paulo poſt Hy-
rcho manum injici, atque ejus capiti fictilem coro-
am contumelioſè imponi, poſtremo ſecuri percuti
andavit. *Ex Bodino citat.*

REGULA LIV.

Magnum Reipublicæ firmamentum eſt confœde-ratio cum populo aliquo potente & belli-coſo.

Non ignorarunt hanc Regulam Reges Galliæ, qui-
us inita, ſæpiusque renovata cum Helvetiis fœde-
tantum emolumenti, quantum hoſtibus eorum de-
imenti attulerunt.

Primus inter Galliæ Reges cum Helvetiis fœdus ini-
t, & annua ſtipendia publicè ſingulis pagis Helveti-
s perſolvit Ludovicus XI. Hic cùm Carolum Bur-
undiæ Ducem odio haberet, neque tamen aperto
ello eum petere auderet, ſtuduit eum cum Helvetiis
ommittere; ut autem hoc facilius efficeret, & ad
mnes caſus Helvetica auxilia parata haberet, fœdus

cum illis ſpatio decem annorum duraturum pepigit. & Helveticis pagis annuas præſtationes largitus eſt, ſeptem millia Francorum ſingulis : bello quoque Burgundico magnam pecuniæ vim iisdem ſuppeditavit, n ejus inopia bello abſiſtere, & de pace agere cogerentur. Victo denique ad Moratum Carolo, ampliſſim munera publicè privatimque largitus eſt confœderati Helvetis, ne Burgundiam jure belli invaderent, multorum animis in Burgundia ad deditionem pronis Porrò filius Ludovici Carolus VIII. anno 1488. pa ternum fœdus cum Helvetis renovavit, & eorun ſuppetiis militaribus uſus eſt eo bello, quo Franciſcun citerioris Britanniæ Ducem vicit; potiſſimùm verò bel lo Neapolitano fortem & fidam operam militis Hel vetici multis in locis expertus eſt. Qui verò huic Impe rio ſucceſſit Ludovicus XII. cùm Mediolanum recu perare vellet, ut Helvetos amicitiâ Ludovici Sforti averteret, fœdus ipſe quoque in decennium cum ipſ inivit.

Succeſſit Ludovico Gener Franciſcus Valeſius. Hi Helvetos in Inſubribus ad Marignanum memorab li prælio ſuperavit, & abducto in Galliam Maximilia no Sfortiâ, Imperio Mediolanenſi potitus eſt. Cæ terùm tam ſplendidam victoriam adeptus Franciſcu ſatisque gnarus quanti & ea Gallis conſtaret, & quàr non incruenta fuiſſet, nihil priùs potiùsque habui quàm cum Helvetis pacem & amicitiam facere, eo que Regno Galliæ fœdere firmo & ſtabili conjunger Junxerunt autem fœdus cum Gallo omnes Helveti pagi, eorumque fœderis ſocii, uno Tigurinorum pag excepto.

Finito hoc fœdere, Henricus Galliarum R Franciſci filius & Succeſſor, novum fœdus cum Helv tis fecit, iiſdem legibus, quibus Pater, quod quinque niu

ium post ejus obitum duravit. Confectumque est
oc fœdus Solodori anno 1549. atque eo Pagi &
Confœderati omnes tenebantur, exceptis Tigurinis &
ernatibus.

Postea Carolus IX. Henrici Filius Galliæ Rex, denuò
ædus cum Helvetis pepigit, conditionibus non mul-
um diversis à paterno & avito fœdere. Rege Hispaniæ
utem suam rivalitatem propter fœdus hoc generale
rodente, operamque dante, ut Helvetos paulatim ad
uas partes alliceret, Reges Francorum ipsius conati-
us semper obstiterunt, neque ille in fœdus eorum re-
ipi potuit tanquam Rex Hispaniæ, quamvis ratione
Domûs Austriacæ ex fœdere ipsis junctus sit. Propen-
ebant quidem Helvetorum Catholicorum animi, ad
rctius cum Rege Hispano fœdus ineundum, sed Bel-
curæus Regis Galliæ Legatus, hanc animorum inclina-
onem cernens, ob oculos ipsis posuit magna auxilia
beneficia, quæ à Regibus Galliæ ad stabiliendam eo-
um libertatem accepissent, quam ex adverso Austriaci
mnibus viribus conati essent pessundare. Helvetos
ellum gessisse cum Leopoldo Archiduce Austriæ, qui
pugna Sempachiana cæsus fuerit, & cum Alberto
Maximiliano Imperatore octo præliis commissis.
e igitur fiderent fœderi inito cum familia, quàm tam
aviter offenderint, & in quâ vulnus, quod ex morte
ium Principum ab ipsis cæsorum accepissent, etiam-
um sanguinem stillaret. Non dubium esse, quin Rex
ispaniæ ex familiâ Austriacâ prognatus, odio hæredi-
rio perniciem ipsis machinetur: quapropter ejus
otentiam illis suspectam esse debere.

Quæ commonefactio tantam vim habuit, ut legati
egis Hispaniæ re infectâ domum redierint. Sed
ostea cùm Rex Galliæ propter bella civilia tot nego-
s in suo Regno implicitus esset, Rex Hispaniæ exo-

ptatam rei gerendæ apud Helvetos, cùm nemo esset qui ipsi adversaretur, occasionem nactus, quando quidem amicitiæ mercenariorum, deficiente pecuni evanescunt, auro Gallico non ampliùs in Helvetiâ lu- cente, tot ducatones inter minores Pagos Helvetico disperſit, ut priora liliorum ſemina præfocarent, & in Gallia Helvetii contra Helvetios in acie ſtantes con ſpicerentur; quorum illi tanquam fœderati debit Regi officia præſtabant, hi tanquam ſtipendiarii Re gis Hiſpaniæ, infeſta in Galliam arma pertulerant Cùm igitur hi viderent penſiones à Rege ſibi debita non ſolvi, & ducibus ac Tribunis ſuis ſtipendia no numerari, quinque minores Pagi arctiori vinculo cum Rege Hiſpaniæ ſe conjunxerunt: & Phifferus Chiliar cha, qui magnâ apud Helvetos authoritate pollebat ipſis auctor fuit, ut ſolem in Indiis Orientem reſpice rent, & veterum amicorum obliviſcerentur. Poten tiores tamen Pagi in amicitiâ Regis Galliæ conſtante perſtiterunt.

Hac adverſa tempeſtate, Bruſtardi, qui poſtea factu eſt Galliæ cancellarius, prudentia eluxit. Nam bel lis inteſtinis maximè ſævientibus, cùm Rex nullum aliud ſceptrum haberet, quàm lanceam, nullam lupa ram, quàm tentorium, nullum theſaurum, aut ærarium quàm jus legitimi Regis, Helvetios præter omnem ſpem retinuit. Poſtea Henricus IV. pro ſe & ſuc ceſſore ſuo fœdus cum Helvetis renovavit, An no 1602. pollicitus ſe Helvetis pro annuis penſioni bus, quæ illis debeantur, ſoluturum auri myria dem.

REGULA LV.

Nimium erga Miniſtrum aliquem affectum Prin cipi cavendum eſſe.

Inordinatus Principum erga Miniſtros quoſdam aff

ffectus, semper cum periculo & detrimento tum
rincipis, tum Reipublicæ conjunctus est. Profectò
ihil aliud Ludovici Sfortiæ res tantopere afflixit, ut ex
pulentissimo principatu dejectus, tot tantarumque
rum viginti dierum spatio jacturam fecerit, quibus
ellum in multos annos ducere potuisset, quàm quod
aleatium Sanseverinatem, bonum Palæstritam, sed
alum militem, ex inordinato erga hominem favore &
fectu, exercitibus suis præfecerit, fratrique suo, ætate
rei militaris peritia longè illum antecellenti, prætu-
rit. Plautianum tam altè extulerat Alexander Seve-
s Imperator, ut non hic, sed ille imperare videretur.
autianus enim ad se rapiebat omnia, quoscunque
llet proscribebat, spoliabat, occidebat, Severo ni-
l contradicente. Tandem eo dementiæ processit, ut
Severi, & amborum ejus filiorum (quorum natu
ajor Bassianus filiam ipsius in matrimonio habebat)
terficiendorum consilium cœperit; sed prævenit
ssianus, cujus jussu Plautianus, inspectante Severo,
cisus fuit. Apud Suessionem (inquit Massonus li-
o Secundo Annalium Franc.) Carolus Rex Gallo-
n à proceribus Regni derelictus est, propter Haga-
nem Laudunensem. Hic modicæ originis, solus
nnium consiliorum particeps erat, ac sine illo neque
mi, neque foris quidquam ardui gerebatur. Tanta
scuri hominis gratia Regi ipsi exitio fuit, cùm Pro-
es molestè ferrent unum omnibus, eumque igno-
i proximum, nobilissimis viris anteponi.

REGULA LVI.

usitati favoris signa, Ministro alicui à Principe (præsertim truculento) exhibita, suspecta sunt, & periculosa.

Solimannus Turcarum Imperator inusitato amore
com-

complectebatur Ibrahimum Magnum Vezirium; qu
ut erat acri vir judicio, insuetos fortunæ favores susp
ctos habens, Solimannum non semel rogavit ut grat
in ipsum suæ modum poneret: vereri enim se, ne il
invidiam in Aulicorum animis inflammaret, sibiq
tandem exitio esset. Cui Solimannus promisit, nu
quam se vivo atque imperante interimendum Ibrah
mum. At hæc promissa quis exitus excepit? Tande
perfidiæ accusatus Ibrahimus (jurene an injuriâ p
rum intereat) Solimanni offensionem incurrit. Qu
ageret religiosus scilicet Tyrannus? Turcicæ legis i
terpretes consuluit, quo pacto posset Ibrahimum sal
fide de medio tollere? Responderunt illi, tunc occ
dendum, cùm Imperator somnum caperet; homine
enim ex Alcorani seu Turcicæ legis sententia, dormie
do non vivere. Ita post tam amica promissa strang
latus miser interiit. *Ex Mambrino Roseo.*

REGULA LVII.

Exterorum dominatus rarò gratus.

Populus plerumque invitus fert externum imp
rium. Nam licet Princeps alienigena rem bene ger
& commodè gubernet, tamen quia moribus & ingen
differt, nec eam erga populum repræsentare potest b
nevolentiam, ac si esset indigena, facilè oriuntur diss
sionum occasiones. Atque ita fit, ut Princeps, q
principatum ad se delatum, suasque fortunas tueat
aliunde militem & reliqua militaria præsidia adduc
iisque sese communiat. Milites verò aliique Mi
stri extranei, beneficiis à Principe honoribusque a
cti, magnam multitudinis invidiam & odium in
concitare solent.

Quocirca qui externæ alicujus gentis imperium
scipit, nisi magna quadam & eximia sit præditus dext
ritate, multis haud dubiè iisque gravissimis implic
bit

tur difficultatibus. Cùm Wilhelmus Neapoleos : Siciliæ Rex, hominem Gallum ad ſplendidum quod- ım atque primarium officium evexiſſet, tantâ iracun- a populus exarſit, ut Gallos ferè omnes una conjura- one necaverit.

Hardicanutus Rex Danorum Angliam ſubjugaverat, potentiſſimo exercitu populum oppreſſerat, ſed An- una conjuratione Danos omnes interemerunt, nec ıltò poſt Regem ipſum Anno 1041. veneno ſuſtu- unt.

Conſimili ferè caſu Poloni Hungaros, quorum Re- m ſibi cooptaverant, ob unius Poloni interemptine- n occidiſſent, ni Cracovienſi arce tuti fuiſſent, nec nen tumultus antè conquievit, quàm Hungari arce icta domum rediiſſent.

Franci cum Scotis diu arctiſſimo fœdere conjuncti rant, & utrique veteres, & communes adversùs An- s inimicitias exercuerant; ſed cum Maria Scoto- n Regina Franciſco Francorum Delphinati nupſiſ- ac Franci Scotorum populis dare leges conaren- , Scoti ſupplices Anglorum patrocinio ſe ſubdere, im peregrinorum imperium perpeti maluerunt. c prius Francos, Anglorum opibus & auxiliis adju- ſequi & obſidere deſierunt, quàm Franci omnes, is conditionibus acceptis, è Scotia exceſſiſſent. *inus lib.6. de Republica. c.5.*

REGULA LVIII.

ratitudo Reipublicæ adversùs Benefactorem publicum, cum detrimento boni publici conjuncta eſt.

ıter mirabilia & memorabilia non immeritò nu- atur exitus ſive abductio puerorum Hammeliæ, eſt civitas inferioris Saxoniæ ad Viſurgim flu-

vium

vium sita. Historiam inter alios narrat P. Athanasiu
Kircher *lib. 9. Musurgiæ par. 3. cap. 3.* Contigit e
Anno Christi 282. eo qui sequitur modo.

Cùm cives Hammeliæ ingentibus murium agmi
nibus infestarentur, malumque in tantum crescere
ut nihil ferè sive fructuum sive segetum, quod muriu
rosionibus non esset obnoxium, reperiretur; dere
pente vir quidam ignotus & antea non visus, statu
prodigiosa conspicuus comparuit; qui quidquid mu
rium Hammeliæ & in vicino districtu esset, confesti
eliminaturum se, dummodo certa pecuniæ summa s
cum paciscerentur, pollicitus est. Mercede à civib
promissa, vir ille ex pera qua cinctus erat, fistulam e
traxit; & simulatque eam inflavit, ingentia muriu
agmina ex omnibus domorum angulis ac foramin
bus prorupêre, & Aulædum illum sonantem ext
Civitatem ad flumen usque sunt secuta. Ibi aul
dum succinctâ veste flumen ingredientem secuti so
ces, unà omnes spontaneâ submersione periêru
Hoc peracto, vir ille condictam mercedem exposc
Cùm autem cives ex avaritia & pecuniæ retinendæ c
piditate tergiversarentur, neque promissam pec
niam persolverent, minacibus illos verbis increpu
asseruitque, nisi mercedem darent, futurum, ut al
exigeret mercedem, multò promissâ majorem, solut
que difficiliorem. Minæ cum risu exceptæ: poste
die circa meridiem denuò vir ille comparuit, habi
venatoris, vultu terribili, purpureo inusitatæ compo
tionis pileo; fistulamque longè à priori diversam sin
ac insonuit, repentè pueri omnes totius civitatis,
quadriennibus usque ad duodennes egressi, ludione
illum tripudiantes secuti sunt. Est autem extra ci
tatem ad Visurgis ripam mons quidam seu potius co
lis (quem incolæ montem Calvariæ, Köpfelberg a
pellan

ellant) & in monte caverna ſat ampla, jumentorum abulationi accommodata. In hanc cavernam unà cum omnes pueros duxit venator, atque ab eo temore nullus unquam puerorum comparuit ampliùs, ec unquam reſcitum deinde quid iis factum, aut quò ierint. Unica puella, quæ infantem brachiis geabat, & præeuntes aſſequi non poterat, rem eminùs pexit, & regreſſa oppidanos monuit: qui agminatim nnes egreſſi, in omnibus angulis ſuos liberos, ſed frua quæſiverunt.

Hoc tam inſolenti eventu viduati liberis ſuis Hamelienſes, ſolent in hunc uſque diem annos ſuos in inumentis publicis computare ab egreſſu filiorum orum. Teſtatur P. Athanaſius Kircherus ſe in ea e fuiſſe, & montem ipſum vidiſſe, totamque rei ge ſeriem minutâ picturâ in Eccleſia expreſſam ſummâ miratione contemplatum eſſe. De rei geſtæ veritadubitare non licet, tum propter unanimem multon ſcriptorum conſenſum, tum propter conſtantem olarum urbis traditionem. Affirmant omnes (init Abrahamus Ortelius in Theatro in Deſcript. Duus Luneburg. ex litteris Arnoldi Fretaghii Medici e datis) annum, diem & numerum exeuntium rorum Senatus Hammelienſis annalibus conſignaeſſe. Addit Ortelius, non fiſtulæ, ſed tympani pueros à venatore eductos eſſe; & in plateâ, quam educti ſunt, nefas eſſe tympanum pul-

Quòd ſi quæratur, quâ virtute illa murium & puem eductio facta ſit? Reſpondet P. Athanaſius, her eam haud dubiè ope Dæmonis contigiſſe, qui es & pueros illos faſcinavit, & traxit; atque hos de occulto Dei judicio in aliam Orbis partem tulit. Certè Tranſylvaniæ Chronica teſtantur,

circa

circa idem tempus in Transylvania ignotæ linguæ pue
ros derepentè apparuisse, qui ibidem sedem figente
linguam suam ita promoverint , ut in hodiernur
diem Transylvani dividantur in Saxones , Ciculos se
Siculos,& Hungaros : quorum primi non aliâ, quàr
Germanicâ Saxonicâ loquuntur linguâ, teste Martin
Bronionio in Chronologia Transylvaniæ.

REGULA LIX.

Injustitia Regnis & Rebuspublicis admodum perniciosa est.

Veritatem hujus Regulæ comprobat recens histo
ria,quæ narratur in epistola quadam, quam P.Victori
Rictius Vicarius Provincialis ordinis Prædicatorum
Imperio Sinensi Patri de los Angeles Provinciali Ph
lippinarum prædicti Ordinis transmisit.

Jam pridem (inquit Auctor Epistolæ) Idololatı
& Mahumetani (è quorum infami Secta non pauci
Sinis versantur) cupiebant legem Evangelicam in Im
perio Sinico destruere. Verùm quia videbant P.J
annem Adamum è Societate Jesu, magnum in vin
Domini apud Sinenses operarium, magni à Rege fie
ob Astrologiæ scientiam, non ausi sunt sese illi oppon
re, donec Regem Xunchy nuncupatum, mortuu
viderunt. Cum enim in Imperium illi successisset
lius septem annorum , intrudere se conati sunt cu
Ministris & Gubernatoribus , vires & animos supp
ditante pecuniâ. Atque ita cùm hujus conjurati
nis Sathanicæ electus esset in Ducem Mahumetan
quidam nomine Xanus Kuangisen , Nanquin oriu
dus,homo astutus & pessimus , quique maximè oder
P.Joannem Adamum (à quo plura beneficia recep
rat ; quique illi vitam , quam vivebat , debeba
Deique legem , & omnes Evangelii Ministros : tu

mem

memorialia obtulêre, & libellos infames ac publicos in
legem Christianorum & Patres, quibus asserebant, Dei
legem falsam esse; & Sacerdotes Europæos Regni per-
turbatores: Quare illico capti sunt in aula P. Joannes
Adamus, unà cum aliis duobus è Societate Jesu, qui
tunc in urbe Pequin degebant, duabus in Ecclesiis,
quas in illa urbe regia habebant; & terribilibus clausi
carceribus, novem unusquisque illorum onustus ca-
tenis ferreis. Nomina Patrum sunt, P. Gabriel Ma-
gellanes Lusitanus, P. Aloysius Bulio Italus, P. Ferdi-
nandus Verbiest Belga, & P. Joannes Adamus Ger-
manus. Accidit hoc 16. Nov. 1664. Tunc in aulam vo-
cati sunt reliqui omnes Evangelici, cujuscunque Re-
ligionis essent, qui toto erant Imperio dispersi, & alii
viri Sinæ, magnæ authoritatis dignitatisque, ut audi-
tis utrinque sententiis causa judicaretur. Triginta
sex Ministri eo tempore reperti sumus ex tribus Reli-
gionibus, inter 15. ferè Provincias ejusdem Imperii.
Verùm 26. tantummodò comparuêre in urbe Regia,
reliquis decem se variis in Provinciis occultantibus,
ne quocunque eventu, uno veluti ictu lex Evangelica
extingueretur: è Societ. Jesu quinque fuere, quinque
meo ordine.

Probari non potuit, Dei legem esse falsam; nam Pa-
tres Societatis Pequinenses traxerunt illico in Tarta-
rum idioma (quod callent) præcepta Decalogi,
unà cum brevi explicatione, & alium libellum singu-
larem characteribus Sinicis scriptum per P. Joann.
Adamum; Visaque sunt omnia utilia, & legi naturali
conformia, ita ut admirationem & venerationem illis
causârint. Nec etiam probari potuit, Ministros
Evangelii esse Regni perturbatores, quandoquidem
docebant, Regibus obtemperandum; cumque Ad-
versarii dicerent, in urbe Macaensi 20. millia militum

 esse

esse ad Regni invasionem, falsum esse deprehensu
est; nam suis videbant oculis Civitatem Macaense
jam penitus destructam & desolatam; ita ut q
residui in illa sunt Lusitani, de illa penitus deseren
tractent, Goam ituri. Ergo hæc puncta missa fec
runt,& alia aggressi sunt, ad tribunal astrologiæ sp
ctantia, cujus Princeps erat P. Joan. Adamus; affi
mantes, dictum Patrem mortis causam fuisse Re
Xunchii, eò quod diem & locum aptum non sel
gisset, quo quidam Regis consanguinei defun
humo tradendi erat (Slongtui Sinicè vocatur, r
superstitione plena, quâ in sepulturis mortuoru
Sinæ utuntur, res planè inter illos gravissima) atq
ideo Regem esse mortuum adeo Juvenem, quip
qui solum vigesimum quartum ætatis annum attiger
qua de causa mortem mereri P. Adamum, & morte
quidem crudelissimam. Verum fuit, hoc genere supe
stitionis Patrem abstinuisse: quare negare non potu
Atque ita decimo quinto Aprilis anni 1665. mortis se
tentiam protulerunt in P. Joannem Adamum, ut for
pibus excarnificaretur, ejus caput amputaretur, u
cum filio suo legali Puan nuncupato, & aliis septe
ejusdem tribunalis, & amicis (in universum erant oc
personæ) morti quoque condemnantes Parent
fratres, filios, patrueles, omnes sanguine, & affinita
junctos (hic patres quoque omnes comprehendeba
tur) atque hæc tyrannicæ sententiæ forma erat; pr
tereaque privantes præeminentia, officio, omniq
dignitate, bonaque illorum omnia fisco Regio app
cantes, declarationem nominum personarum in ali
tempus differentes. Hæc sententia prolata cont
muit tellus (res planè insolita & rara in Urbe Pequi
& tam fortiter concussa est, ut multa ruerent ædific
(licet non alta sint, sed dimissa, quæ in Sinis habentu
u

ınà cum parte mœnium Urbis ; & ubi terra fuit
iperta, patuit tam profundè, ut nunc etiam pateat fo-
vea illa, & ejus profunditas reperiri non possit. Cæ-
um Ægyptiacis tenebris se obtexit adeo, ut in me-
idie candelas accendere necesse fuerit; quo proxi-
num quisque suum agnosceret. Tunc illicò de cœ-
o decidit igneus globus, magnus & terribilis, qui urbi
mminebat horribili cum fragore, omniumque in Ur-
e degentium tremore, ac si dies judicii immineret;
aque perseveravit per mensis dimidium. Prosilie-
ant continuò ex globo illo scintillæ incendiariæ, quæ
niversam Urbem coëgerunt; ut domorum suarum,
ique familiaris curam haberent, ne ignis omnia absu-
eret; ac tametsi aqua copiosa sit subministrata; ut
nis accensus extingueretur, quia tamen ignis Dei erat,
contra sententiam iniquam; quæ ex palatio Regio
minata fuerat, nihil potuit omninò humana omnis
igentia, ut iræ DEI sese opponeret. Atque ita
ma Maji ejusdem anni tantus è globo illo ignis eru-
& emanavit in ipsum palatium Regium, ut irreme-
biliter totum incenderit; quod quamvis adeò in-
is sit, ut ferè quatuor leucas habeat in circuitu; to-
n tamen arsit, & exceptâ solâ aulâ regiâ, in cineres re-
cta sunt reliqua omnia. Cognito hoc lamentabili suc-
u, tota Urbs Regia una voce clamabat, asseverabat-
e, DEI cœli supplicium esse, ultionemque in favo-
n fidei suæ ac Religionis. Unde Rex ad mutandam
entiam coactus, vocato ad se P. Joanne Adamo, sci-
atus est ab eo; num talia prodigia naturaliter fieri
ssent? respondit Pater, non posse; sed esse supplicia
eo immissa ob injustitias, quæ fierent in illo Impe-
Metropolique Pequin; rogavit Patrem (ut audivi
) oraret Deum, ut plagæ illæ cessarent (nam terræ
tus adhuc continuabant tribus aut quatuor vicibus

in die & die ſequenti, qua palatium arſit, quæ fuit ſecun
da Maji, feſto magno Archiepiſcopo D. Antonino ſa
cro, mortis ſententiam revocavit, tum P. Adami, tum re
liquorum omnium, aperuitque totius Imperii carcere
& ad omnes Provincias litteras dedit, ut mores depra
vatos in melius mutarent, bene viverent, Juſtitiam fa
cerent, obedientiam, & pietatem exercerent, abſtine
rent à luſibus ac odiis; idque talibus verbis, tamqu
paternâ exhortatione, ut nec Catholicus id melius d
cere potuiſſet. Atque ita finis impoſitus hiſce plagi
ſolum perſeveravit in cœlo rara quædam ſtella, quæ c
die magna cum celeritate ſolem ſemper quaſi inſequ
videbatur, nec tamen aſſequi poterat. Hæc eo ſtylo re
cenſere placuit, quo ab Auctore epiſtolæ ſupra cita
ſcripta fuêre.

REGULA LX.

Religionis diſſidia ſunt Regnorum excidia.

Quantas Regnis ac Rebuſpublicis ſtrages calamit
tes invehat diſcrepantium conflictus Religionum, l
culentiſſimè teſtatur illa, quæ Anno 1572. Pariſiis ju
Caroli Regis, Hugonotorum ſeu Calviniſtarum patr
ta eſt cædes, ſanè memorabilis: quam, quòd in nupt
(inquit Strada *de bello Belgico Decade* 1. *lib.* 7.) pera
eſt Henrici Navarræi Regis (qui poſtea fuit Rex G
liæ, dictus Henricus IV.) ipſa divi Bartholomæi noct
Bartholomæanas noctes, ſeu Pariſienſes nuptias app
larunt. Placet rem commemorare verbis Bartholom
Gramondi Auctoris Gallici, qui *Hiſt. Gall. lib.* 6. ſic ſcrib

Ecce atrox & crudele conſilium! Proponuntur He
rici Borbonii cum Margarita Valeſia nuptiæ ſolem
bus feſtivè tranſigendis. Sectarii turmatim nobiles
ſectæ columina, primores conveniunt. Exit interea
cretum à Rege edictum, quo jubentur ſtatâ die Cath
lici, unâ ſectarios internecione delere, eâ mente, ut
pri

prima factionis capita Lutetiæ patratâ cæde, dies eadem
foret decretoria sectæ per totam Galliam, obstabat fides
solenniter data: prævaluit vetus axioma, fidem vio-
lantibus violari posse. Sanctam esse debere & incon-
cussam fidem, quâ subditus Regi suo tenetur, à quâ to-
ties discesserat Secta, quoties è re ipsius fuerat. Revoca-
batur Ambasianæ, Meldensis, & aliarum proditionum
memoria, queis Gallia & Reges petebantur.
His persuasum Regi aliàs invalido & inermi, dolo
ageret. Specie nuptiarum ludicro in eam diem in-
dicto vocantur sectariorum præcipui, dant se in viam
Parisios Nobiles è Secta Galliæ Provinciis circumfusi:
lucescit D. Bartholomæi dies dicta in lanienam, pa-
rantur Nuptialia: purpurâ & bysso vestiuntur secta-
nobiles, nuptiis sui Principis festivè honorandis (ita
Henricum appellabant tum sectæ caput) & ecce (hor-
resco referens) Lutetiæ, & reliquâ passim Galliâ necan-
tur uno omnes ordine: non sexûs, non habita ratio
ætatis, donec explerentur sanguine & ultione lanistæ,
vulgus cruoris avidum: totam per noctem Lutetia
repleta cædibus; postridie redintegratur acriùs la-
niena. Colignius (sectariorum belli Dux) inter cæ-
magnum sui desiderium reliquit sectæ: is paucis
diebus, dum ex Regia domum redit, sclopo è fene-
disploso sauciatus fuerat, privatâ, ut creditum, ul-
ne, ex nece Guisii, quam ipse procurasse creditus.
morant questum, pro tempore audentiùs, vultuque
ci minas meditatum, dedisse causam Lanienæ, quæ
nfacta, dum ipse adhuc à vulnere tardabatur; cæ-
è fenestra in vicum projicitur; non satis occidis-
nisi ostenderetur.
Horrendum spectaculum! natat in sanguine quan-
st Lutetia, privatique per urbem rivuli dum de
guine undique confluente in Sequanam exonerant,

colorem fluvii mutant; jugulantur noxii juxta & innocentes pro libidine percussorum, ut quemque res privatæ agebant, aut odia. Nec cæsi omnes, plerique asylum invenêre in Urbibus, quas Secta occupabat; quosdam affinitas cum Catholicis contracta salvos habuit, queis delitescere datum, donec defæviissent ira & furor. Numerus per Galliã cæsorũ triginta fermè millia.

Memorabile est facti atrocitate, quod ferunt Reginæ Margaritæ libri memoriales (ea Henrici Navarræ Regis Conjux ignara mali) inter proscriptos Leyranus, vir nobilis, non procul regia habitans invaditu sub carbaseo indusio nudus; postquam vulnus acce perat, exerit se cubili, fugitque in Regiam, ubi asylum fore sperabat ex Rege Navarro; urget sicariorum glo bus, proripit se victima in Principis, qui fortè tum abe rat, Aulam; instabat jugulo ferrum; venerationem lo cus amiserat, prævalente, quod vulgo per seditionem licentiâ. Quid faciat infelix homo? Quandoque opti mum est ex necessitate consilium; irrumpit facto i stratum impetu, thorumque occupat Rege vacuum; ex pergiscitur implacido horrore Regina, feralique hom nis amplexu cruentatur tota, & letho eripit. Hæc ill Alii sub Principis lecto delituisse semivivum homine describunt, donec decederent ira & ultio. Navarræ Regi & Condæo, Principibus è Gente Regia parcitur si Calvini errores exuerent; exuunt, redeuntque a vomitum, ubi primum data occasio fugiendi.

Plerisque placuit ex toties læsâ Regis per sectario patientiâ, furor legitimus, placuit Ultionis modu Quidquid id est, internecionem prodidit effectus in tilem: neque enim, ut spes erat, ex cæde concord fuit inter indigenas, aut veneratio, & cultus erga R gem; quin potiùs armavit in illum inermes, subdito que prompti nuper capaces obsequii, in rebellione

ind

induxit. Habet enim ferri & flammæ vel in ipſos hæ-
eticos contra fidem datam, ſævitia id ſingulare, ut pe-
euntibus ſuccedat progenies lætior : pullulantibus
elut in hydra pernicioſa capitibus. Armatur ſecta
m juſtiùs, ſi quo jure defendi poteſt ſeditio in Reges.
Iactenus Gramondus.

REGULA LXI.

Homines athei & ſeductores juventutis in Republica minimè tolerandi.

Anno 1618. in Gallia Parlamenti Toloſani placito
mnatus eſt ad rogum Lucilius Vaninus gente Ita-
s; à pleriſque pro hæreſiarchâ habitus, Medicinæ
ſpeciem Profeſſor, reipſa Atheus, impoſtor, & in-
utæ juventutis ſeductor erat. Is poſtulatus corru-
æ per novum dogma juventutis, in vincula conjectus
; ubi ſe Catholicum orthodoxum mentitus, diſtu-
tantiſper, quam meruerat pœnam : jamque ob de-
tum probationum dimittendus erat. At teſtium,
vorumque acceſſu indiciorum impietatis retentus,
natui Toloſano audiendus de more reus oblatus eſt.
Lucilius metu magis, quàm ex conſcientia, de Deo,
ique providentia multa à veræ Theologiæ princi-
s haud diſſona dixerat. At enim quia probationi-
s tandem convincebatur, poſt exactum in lite in-
ienda ſemeſtre, capitali ſupplicio fuit condemna-
. Qui cùm à Religioſo ſacerdote admoneretur, ut
mæ ſuæ ſaluti proſpiceret, eum cum objectâ cruci-
effigie aſpernatus, Chriſto his verbis illudebat:
id? illi (Chriſto crucifixo) in extremis timor ſu-
rem expreſſit; ego imperterritus morior. O vo-
, vel ab ipſo impietatis omnis authore non feren-
n! Et patuit brevi, ſceleſtum hunc hominum falsò
iſſe ſe imperterritum mori. Erat enim illi in extre-

mis aſpectus ferox & horridus, mens inquieta, & per-
turbata; & quanquam philoſophicè mori ſe, clamaba
identidem, vitam tamen finiſſe ut brutum nemo nega-
verit. Antequam rogo ſubderetur ignis, juſſus ſacri-
legam linguam cultro ſubmittere, negavit, neque ex-
eruit, niſi forcipum vi adactus; apprehenſam car-
nifex ferro abſcidit: ſubſecuta vociferatione bla-
ſphemi horrendâ: dixiſſes, mugire ictum bovem. Re-
liqua abſumpſit ignis: cineres in aërem ſparſi. Capt
cum ipſo ſuppellex omnis, inventusque incluſus vaſ
cryſtallino immanis inter aquas bufo objicientibu
veneficium, reſpondit, ex vivo bufone, poſtquam a
ignem liquatus fuerit, malo remedium eſſe, alias lethal
In carcere Sacramentis frequenter utebatur, diſſimu
lans aſtutè conſcientiam. Ubi autem vidit ereptam ſi
bi ſpem vitæ, larvam exuit, qualisque vixerat, obiit, &
abiit. *Ex Gramondo Hiſtor. Gall. lib. 3.*

REGULA LXII.

Principem pacis, quàm belli ſtudioſiorem eſſe oportet.

Chriſtianos Principes vel eam ob cauſam à bell
gerandi appetitu decet abhorrere, & conſilia pac
fica præferre bellicis, quod Diabolus ſit oſor paci
& autor incentorque bellorum: Enimverò quà
avidè ſitiat humanum ſanguinem, per bella & cæd
effundendum, Tartareus prædo, innoteſcit nobis e
iis, quæ commemorat Philippus Camerarius *in oper
ſucciſivis cap. 69.* ubi ita ſcribit: Huc adjicere v
ſum fuit Hiſtoriam ſanè memorabilem, quam inter A
glos & Gallos accidiſſe, in Annalibus ſe reperiſſe qu
dam ex amicis mihi narravit. Cùm uterque Rex
Normandia magnum & inſtructum exercitum in acie
produxiſſent, jam jam prælium inituri: nonnulli ex d
cib

ibusGallorum timentes fortitudinem Anglorum & fe-
icitatem (quam cum magna clade sæpius experti fue-
ant) nec non dubiam, incertamque belli aleam perpen-
lentes, eò rem deduxerunt, ut ambo Reges ad collo-
quium singuli cum paucis familiaribus venirent, si for-
assis controversia absque prælio inter ipsos transigi &
omponi posset. Conventum itaque est, ut in eadem
lanitie, in qua acies instructæ erant, locus idoneus,
c ab insidiis tutus eligeretur, ad familiarem duorum
Legum congressum & collocutionem. Exploratâ re,
acellum quoddam desertum, & propè dirutum, me-
ium inter acies deligere placuit. In quo cùm Reges
rmati, remotis arbitris placidè colloquerentur, &
sorum familiares, quos pari numero secum armatos
ssumpserant, ante ostium interea excubias agerent,
on difficulter inter eos mitigatis animis convenit, ut
triusque Regis exercitus in castra reduceretur, & in-
uciis, de conditionibus pacis altero die maturiore
onsilio deliberaretur. Dum his aliisq; familiaribus ser-
ionibus duo illi Reges essent occupati, & ex hostibus
mici esse facti viderentur, seq; ad suos recipere vellent;
ce tibi anguis immanis ex angulo sacelli præter opi-
onem prorepit, & quasi invasurus Reges, suis eos sibi-
perterrefacit. Illi cernentes hanc minacem & virus
thale spirantem bestiam, ad se tortuosis flexibus acce-
rantem, colloquium mox abrumpunt, & ut se ab eâ
efenderent, gladios stringunt: mutatisque repentè
imis, neuter alteri gladium exertum habenti fidens,
e foras raptim proripiunt. Familiares ipsorum, ignari
uid accidisset, & inopinato rei eventu perculsi, cùm
bi persuaderent, inter Reges jam dudum hostes, ex
lloquio privato coortam esse simultatem, strin-
nt & ipsi gladios suos, & velut conflicturi, Regi-
s suis assistunt. Quod cùm exercitus, qui non procul

 ab eo

ab eo loco ſtabat in acie, conſpicerent, abſque morâ, quaſi ſigno dato, prælium ineunt: & ne quidquam prohibentibus Regibus, erroremque demonſtrantibus, tanto furore manus conſerunt, ut multa millia cæſa ſint: duravitque prælium, donec eos nox ſegregaret.

REGULA LXIII.

Conſultum eſt, ut Principes præter ordinarium ærarium, habeant theſaurum occultum, non niſi in extrema neceſſitate uſurpandum.

Maximilianus primus Imperator eximia bonitate ſummaque liberalitate præditus fuit; adeò ut plerique nihil in eo reprehendendum duxerint, niſi quòd ſæpe ob penuriam rei pecuniariæ res magnas proſpere inchoatas deſerere coactus fuerit. Non tamen unquam, etiam in ſumma neceſſitate, voluit auream argenteamque, & ex multis ſæculis à Patre, Avo, Socro a Majoribus ſuis congeſtam ſupellectilem, diſtraher aut alienare, ſed integram Neoſtadii in Auſtria Nepoti bus reliquit. Poſt mortem Maximiliani Ferdinandu Archidux juſſu fratris Caroli V. Cæſaris aperto theſau ro ac viſo obſtupuit, atque incredibilem theſaurum fra tri ſuo in Flandriam tranſmiſit. Adeò ut qui eum pau perem ex tot bellis geſtis arbitrabantur, mirati ſint tan tas ab eo relictas fuiſſe divitias. Quatuor ille arcas Ar gentinæ, quatuor Ulmæ, quatuor Auguſtæ Vindelico rum, quatuor Norimbergæ habuit: in quibus omni bus theſauri continebantur, quos reliquerant Frider cus III. & Albertus Cæſares, nec non Duces, Sigiſmun dus & Philippus, ille Auſtriæ, hic Burgundiæ. Fuerun que, ut ſupra inſinuatum eſt, arcæ illæ poſtea Neoſtadium translatæ.

R E

REGULA LXIV.

Principes non ſemper videant oculis alienis, & audiant auribus alienis, ſed nonnunquam etiam experimento perſonali (cautè tamen) ſubditorum ſuorum fidelitatem & obedientiam explorent.

Leo V. Imperator Conſtantinopolitanus cùm legem ſanxiſſet in ſummis Urbi imminentibus periculis, ut quicunque poſt crepuſculum deprehenderetur in plateis, verberibus cæſus conjiceretur in carcerem, donec illuceſceret: volens cuſtodum experiri fidem, noctu ſolus è Palatio mutato habitu ſeſe proripuit. Cumque à primis & ſecundis cuſtodibus pecunia ſe redemiſſet, à tertia cuſtodia pugnis flagriſque cæſus carceri traditur. Cùm autem vix multis ſignis cuſtodiæ Magiſtro perſuaſiſſet Imperatorem ſe eſſe, tandem dimittitur. Elapsâ nocte cum ſol illuxiſſet, cuſtodibus urbis evocatis, Imperator num quis nocte præterita ſit deprehenſus, interrogat. Et pecuniâ quidem corruptos graviter multavit, magniſque viciſſim muneribus locupletavit eos, qui cæſum ſe cuſtodiæ mancipaverant. *Cuſpinianus ex Zonara.*

DISCURSUS QUADRAGESIMUS NONUS.

EX POLEMICA.

Variæ Regulæ, ad rem Militarem pertinentes.

PRÆFATIUNCULA.

Duplex eſt Politica, Togata (*de qua diſſerui in præcedentibus*) & Sagata, *quæ præſentem ſibi vendicat diſſertationem, diciturque* POLEMICA, *ſeu*

seu rei militaris scientia. Illa legibus, Hac ferro & armis rem agit. Illa providet, ne pax & tranquillitas publica amittatur. Hæc amissam recuperare nititur. Illa lenibus plerumque consiliis, Hæc duris, & contumaciam hostium fracturis utitur. Utraque certis Regulis ad finem intentum conducentibus ex virorum sapientissimorum placitis firmanda est.

CAPUT I.

Regulæ Platonicæ.

REGULA I.

De duplici genere bellorum.

Bellorum duo sunt genera; unum civile, alterum peregrinum. Civile peregrino longè est periculosius: ac proinde ad civile restinguendum, bella externa suscipere expedit. *Ex Platone lib.* 1. *de legibus.*

REGULA II.

Bellum non nisi pacis causâ gerendum.

Etiam victoriæ ipsæ sunt nonnunquam victoribus funestæ. Itaque bellum per se nunquam optandum, sed pacis tantùm causâ suscipiendum est. *Plato ibidem.*

REGULA III.

De studio rei Militaris

Militaris disciplina pueros maturè docenda, & illi ad eam sunt assuefaciendi. *Plato lib.*7.*de Legib.*

REGULA IV.

Bello per venationes assuescendum.

Venationibus liberi, præsertim Nobilium, qui ad bellum sunt assuefaciendi, strenuè exercentor. *Plato citatus.*

RE-

REGULA V.

De vigore disciplinæ militaris.

Militaris disciplinæ cognitio vigere debet in quavis duratura Republica. *Plato lib.8.de Legib.* Estque Tyrannorum, nolle ut subditi militaribus se rebus exerceant. *Ibidem.*

REGULA VI.

De vitanda in bello Anarchia.

Jure militari nunquam anarchia tolerator. In bello enim nihil sine Imperio faciendum. *Ibidem.*

CAPUT II.

Regulæ Livianæ.

REGULA I.

De bello à debilioribus adversùs potentiorem suscipiendo.

QUi populi per se & singuli sunt vicino hoste imbecilliores, pessimè sibi consulunt, & exitium sum accersunt, dum singuli & seorsim adversùs eũ bel suscipiunt; iidem autem collecti & conjuncti facilè im vincunt. Itaque societas & unio illis omnino serunda est, si modo salvi esse velint. *Livius decad.1. lib.1.*

REGULA II.

Vicinis bellum inferentibus celeriter occurrendum esse.

Celeriter vicinorum populorum contra nos motis, incursibus, bellis & injuriis est occurrendum. ioquin enim in contemptum apud eos adducimur, illi audentiores fiunt. *Livius decad.1.lib.1.*

REGULA III.

Hostis territus celeriter urgendus.

Perterritis hostibus & victis instandum, neque eis con-

consulendi, aut sese colligendi spatium dandum est
Livius loco citato.

REGULA IV.

De certamine exulum.

Exulum pro Patria recuperanda certamen in prælio solet esse asperrimum, ac proinde iis nostrum fortissimi opponendi. *Livius decad.1. lib.2.*

REGULA V.

De militibus suspectis.

Milites, de quorum ad pugnandum voluntate dubitas, non priùs quàm ipsi certamen postulent, pro ducendi ad pugnam, sed in castris continendi. *Livi loc.citat.*

REGULA VI.

De Polemarcho exoso.

Exercitui odiosus Dux non præficiendus; seipsum enim & exercitum perdet. *Livius cit.*

REGULA VII.

De Duce belli fœderatis dando.

Non permittat potentior populus ut socii absque Duce à se accepto bellum gerant. *Livius cit.*

REGULA VIII.

Hostes ante pugnam fatigandi.

Iniquissima est pugna, cùm integri à fessis excipiuntur: ac proinde curandum, ut prius hostes etiam van terroribus ac pugnis fatigemus, dum ipsi integras corporis vires ad eos invadendos servamus. *Livi cit.*

REGULA IX.

Victi premendi, ut plena sit victoria.

Hoc curandum maximè, ut victi hostes castris quoque statim exuantur, ut plena sit victoria, illique animum despondeant. *Lib. 3.*

RE

REGULA X.

Celeritas in bello maximè prodest.

In bello sæpe ex puncto temporis maximarum momenta rerum avertuntur, & pereunt. Itaque celeritate opus est. *Ibidem.*

REGULA XI.

Bellum paci seditiosæ præferendum esse.

Vel infelix bellum paci, quæ seditionem domi movet, est præferendum. *Fuit hæc Senatûs Romani sententia.* Vide Livium *Decade* 1. *lib.* 4.

REGULA XII.

De summa potestate in bello periculoso constituenda.

In summo belli discrimine necessaria est summa potestas, eaque extraordinaria, quæ omnibus rebus cum imperio summo prospiciat. *Ibidem.*

REGULA XIII.

De nocturno usu militiæ equestris.

In nocturnis tumultibus parvus equitum usus est. Est enim ea turba moderatu difficilis in tenebris. *Ibid.*

REGULA XIV.

De mutua oppugnatione castrorum.

Magna hostibus trepidatio injicitur, si, cùm castra nostra veniunt oppugnatum, ipsorum & castra oppugnatum mittamus. *Ibidem.*

REGULA XV.

Post cladem in bello acceptam quid agendum sit Magistratui?

Est boni Magistratûs, suorum animos ob cladem acceptam dejectos, publicis edictis & scriptis in bonam spem erigere. *Lib.* 4.

REGULA XVI.

Vicini non diu bello exercendi.

Quò diutiùs vicinos bello exercueris, eò formid
losiores hostes habebis. Tales fuêre Volsci, ab R
manis exerciti. *Ibidem.*

REGULA XVII.

De militia hyemali.

Continuata etiam per hyemem militia, & host
terret, & nostros magis militares facit. Sic Rom
hyemare ceperunt in tabernaculis. *Livius lib. 5.*

REGULA XVIII.

Vicini bello appetiti juvandi.

Vicini populi auxilio juvandi priùs, quàm à pote
tioribus opprimantur. Nam iis oppressis, postea
cilè ii ipsi in prædam cedunt, qui alios adjuvare
glexerunt. Ita contigit Hetruscis neglectis Vejis. *Lib*

REGULA XIX.

Prima belli præda Militi danda.

Prima in bello ex hostibus præda militibus d
maximè eos in reliquum bellum acuit & animat.
Camillus Volscorum prædam dedit militibus. *Liv*
lib. 6.

REGULA XX.

Non invadendus hostis loco superior.

Aut nunquam, aut raro hostis in colle, & de super
re loco pugnans, est invadendus. Nam qui in eum
cum subeunt, facilè & lassantur, & vincuntur.
Galli victi à Popilio. *Lib. 7.*

REGULA XXI.

De pugna militum sub Duce charo.

Acerrimè sub eo Duce pugnant milites, quem hab
charum. Sic pugnarunt Romani sub Valerio Cor
no. *Lib. 7.*

R

REGULA XXII.

De pugna obsessorum & circumsessorum.

Circumsessis & obsessis una salus nullam sperare salutem. *Lib.* 7.

REGULA XXIII.

De severitate disciplinæ militaris.

Ubi adversùs validos hostes, & eodem nobiscum rmorum genere utentes bellum est; severissimâ discilinâ, & Manlianis imperiis opus est, quibus exeritus noster contineatur, & conservetur, ac victor fiat. ivius lib. 8.

REGULA XXIV.

Quomodo resistendum hosti potentiori?

Cùm neque ad pugnandum hosti par es; neque cùm pacisci vis, in oppidis te contineto: & si quod ex his hoste oppugnetur, communibus viribus defendir. *Lib.* 8.

REGULA XXV.

Ubi castra sint collocanda?

Eum locum in bello capere est consultissimum, ubi cietatem hostium, qui sibi mutuò auxilium ferre coant, dirimere, aut impedire possis. *Lib.* 8.

REGULA XXVI.

iis, quæ belli Ducem militibus charum faciunt.

Imperatoris in exercitu comitas, curaque de sauciis, de inopia militum, prædæque donatio, magnam illi nevolentiam conciliant, & sæpe iratum militem plat: *Ibidem.*

REGULA XXVII.

De conditionibus belli justi.

Semper justum bellum est; quibus omninò necesum: semper pia arma, quibus nulla, nisi in armis,

ſpes vitæ poſita eſt, omnibus aliis rebus æquis & juſti
tentatis & oblatis. *Livius lib. 9.*

REGULA XXVIII.

De breviori via ab exercitu eligenda.

Ea exercitui via brevior eſt, quæ apertior, tutior, a
minùs impedita eſt: & quæ commeatu non labora
Atque hoc in genere peccatum eſt à Romanis in fur
cis Caudinis. *Lib. 9.*

REGULA XXIX.

Exercitus viæ Ducem habeat.

Abſque viæ Duce nunquam in ignoto, aut hoſtic
loco iter exercitui faciendum. Quod quia non ob
ſervarunt Romani, inciderunt in Furcas Caudina
Lib. 9.

REGULA XXX.

*De modo tractandi hoſtem potentem, in pote-
ſtatem redactum.*

Hoſtem in tuam poteſtatem redactum, præſerti
potentem, aut ſummo beneficio (intactum reli
quendo, vitamque donando) tibi concilies: a
omnes ad unum trucidando, viribus in poſterum ſp
lies & exhauriias. Media enim via neque eum ti
amicum parat, neque inimicos tollit. *Ibidem.*

REGULA XXXI.

De frumento ad obſidionem neceſſario.

Obſidio abſque frumento pro exercitu obſiden
priùs parato, temerè ſuſcipitur. *Lib. 9.*

REGULA XXXII.

*De Metropoli Regni ante alias urbes oppugnan
& tutanda.*

Metropolis Regni quemadmodum eſt ab hoſte i
primis tentanda & oppugnanda; ſic à nobis tutan
& defendenda. Sic Umbri Romam invaſerunt. *Lib*

R

REGULA XXXIII.

Miles sit potius horridus, quàm cultus.

Miles horridus esse debet, non cælatus auro. Vir-
us enim est militis decus, & dives hostis, quamvis pau-
peris victoris præmium est. *Lib.* 9.

REGULA XXXIV.

*De colligendo exercitu seu delectu mili-
tum.*

Robustissimus exercitus esse solet, cùm vir virum
git. *Ibidem.*

REGULA XXXV.

*Suspectam esse prædam, ab hoste nobis obje-
ctam.*

Præda ab hoste nobis sæpe, ut in insidias præcipi-
mur, objicitur. Itaque nunquam eò cum exerci-
, nisi explorato loco, ne lateant insidiæ, veniendum.
dem.

REGULA XXXVI.

Alacritas militum ad victoriam confert.

Alacris militum pugnam expetentium animus plu-
num hostes terret, & ad victoriam prodest. Con-
verò languidus eorundem animus nihil boni omi-
tur. *Lib.* 10. Certè miles, qui invitus & coactus pu-
at, facilè vincitur. Id accidit Samnitibus cum Pa-
io pugnantibus. *Lib. cit.*

REGULA XXXVII.

De confirmando exercitu trepido.

Exercitus antea trepidus; itineribus deviis & mu-
one locorum exercetur & confirmatur; fitque
t Fabius dicere solebat) salubrior & nobilior.
; 10.

REGULA XXXVIII.

Certandum lente cum hoste ferocissimè aggrediente.

In certamine cum eo hoste, qui in primo prælio fe-
rocissimus est, lentè primum pugnandum est, ut hos[te]
fatigato, vires nostræ sint integræ: ac proinde
facilè vincatur. Hoc pacto Samnites à Fabio vict[i]
Lib. 10.

REGULA XXXIX.

Hostis à tergo est invadendus.

Plurimum ad victoriam prodest, in medio certam[i-]
ne per circumvectos ex nostris hostem à tergo aggr[e-]
di. *Ibidem.*

REGULA XL.

De modo tractandi milites ignavos.

Sæpe ignavos milites cogit strenuè pugnare, cù[m]
aliqui sunt dispositi ex eorum numero, qui eos fug[i-]
entes excipiant & occidant. *Ibidem.*

CAPUT III.

Regulæ ex Annalibus & Historiis Cornelii Taciti.

REGULA I.

De sedanda seditione exercitûs.

Exercitus seditio statim non vi, sed blandâ D[u-]
cum oratione cohibenda. Sic à Junio Blæso seda[ta]
fuit seditio Legionum Pannonicarum. *Lib.* 1. *Anna[l.]*

REGULA II.

De Exercitu seditioso placato.

Exercitus seditiosus placatus statim in hostem d[u-]
cendus, ut quietior sit. *Lib.* 1. *Annal.*

REGULA III.

De restitutione Disciplinæ Militaris.

Laxior disciplina militaris, & militum timiditas, aut turpis fuga, severitate restituitur, quâ sola fortiores fiunt. Sic à Lucio Apronio in Africa Romani milites onfirmati. *Lib. 3. Annal.*

REGULA IV.

Bellum inferendum hosti discordi.

Tunc tempestivè bellum hosti infertur, cùm ejus roceres inter se diffident. Sic Germanicus Cæsar ermanis bellum intulit, cùm Arminius & Segestes di-ordarent. *Lib. 1. Annal.*

REGULA V.

Vitanda exercitui loca paludos.*

In loca paludosa nunquam temerè ducendus exertus. Vix enim in talibus locis poterit par esse indienis, quantumvis copiosus & robustus sit. In quo gere peccatum à Germanico, dum Cattos aggredere-r. *Lib. 2. Annal.*

REGULA VI.

De domando hoste vago.

Adversùs vagum hostem equitatu pollentem, & mimè certis locis consistentem, difficillima est belli gendi ratio. Unde nisi prædâ ille oneretur, aut ad maima loca compellatur, vix fundi potest. *Lib. 3. nnal.*

REGULA VII.

Vicinis belligerantibus vicina nostra loca munienda.

Vicinis bello inter se certantibus, vicina utrisque ca nostra sunt valido subsidio firmanda, ne vicinus ctoriâ elatus nostram quoque partem turbet. Sic audius rescripsit Attilio Histro. *Lib. 12. Annal.*

REGULA VIII.

De Dotibus Belli Ducis.

Ducis belli hæc summa prudentia est, ut utatur clementiâ adversùs supplices, celeritate adversùs fugientes, severitate adversùs resistentes. *Lib.14.Annal.*

REGULA IX.

Conservatio unius oppidi non est præferenda toti Regioni.

Unius oppidi quantumvis egregii conservatio non est totius regionis, & belli summæ, & necessitati præferenda: sed illud deserendum est potiùs, quàm rerum summa periclitetur. *Lib.14.Annal.*

REGULA X.

De hoste in regionem nostram irruente.

Hosti in nostram regionem irruituro itinera præclu-denda, commeatus & aqua adimenda, præsidia in ipso regionis aditu fortissima opponenda; & quæ urbes primæ objiciuntur, commeatu & valido milite muni-endæ. *Lib.15.Annal.*

REGULA XI.

De annona providendum exercitui.

Magnus in exercitu Ducum error est, de commea-tu exercitui iter suscepturo priùs non prospicere. Sic Pætus damnatus, Corbulo laudatus fuit. *Lib.1*[illegible] *Annal.*

REGULA XII.

De adventu Ducis in castra hostium.

Dux exercitus sine obside non veniat in castra ho-stilia. *Ibidem.*

REGULA XIII.

De præsentia Principis in pugna decretoria.

Ab ea pugna, in qua de summa rerum semel ager[illegible]

du

dum ac decertandum est, periculosissimè semper summus Princeps abesse solet. Nam ejus absentia & Duces & Milites timidiores facit, & partem exercitus ad ipsius custodiam, & sæpe meliores abducit. *Lib.2. Hist.*

REGULA XIV.

De oppugnatione urbis nocturna.

Nunquam noctu oppugnatio urbis tentanda. *Lib.3. Hist.*

REGULA XV.

De divisione prædæ militaris.

Expugnatæ urbis præda ad militem, deditæ ad Duces pertinet. *Ex lib.3. Histor.*

REGULA XVI.

De quodam stratagemate præliari.

Fama sparsa de supervenientibus auxiliis in ipso prælii fervore, facilè terret hostes & fugat. Hoc stratagemate usus Antonius Primus Vitellianos fregit. *Ibidem.*

REGULA XVII.

De pugna in qua immixtus equiti pedes.

Semper est periculosa nobis ea pugna, in qua interjectus equiti pedes est, & depugnat contrà nos. *Ibidem.*

CAPUT IV.

Regulæ ex Historiis Herodoti.

REGULA I.

De modo aggrediendi hostem in prælio.

Quâ parte potest hostis in prælio plurimùm, sive peditatu, sive equitatu, ea maximè vel stratagemate fallendo, vel vim inferendo terrendus, vel insidiis adoriendus, vel consilio in varias partes deducendus est.

Hac Regula usus Cyrus, opposuit camelos equitatui Cræsi. *Lib.1.Hist.*

REGULA II.

De qualitate Imperatoris exercitus.

Non est exercitui præficiendus à Rege vel Republica, quem ipsa graviter priùs offenderit; ne offensus studio vindictæ exercitum, & unà Rempublicam prodat & perdat. Exemplum habemus in Astyage Harpagum exercitui præficiente. *Lib.1. Histor.*

REGULA III.

Militia non negligenda in Republica.

Ubi nullus est militarium virorum ordo & cura, ibi nulli sunt Reipublicæ nervi. Itaque talis Respublica facilè evertitur. *Lib.2. Histor.*

REGULA IV.

Ante bellum, hostis vicini conciliandi.

Ejus hostis, quem oppugnaturus es, vicinos tibi priùs socios facias, vel concilies, maximè eos, è quorum regione commeatus tibi petendus est. Ita Cambyses Regem Arabum conciliavit. *Lib.3. Hist.*

REGULA V.

Regio inexplorata non invadenda.

Alienum populum & regionem antequam aggrediaris aut invadas, notam vel per te ipsum, vel per fidos exploratores habeto. *Lib.3. Histor.*

REGULA VI.

Transfugis non esse credendum.

Transfugis non temerè credendum, aut quidquam in bello committendum, etiam fidem justæ suæ ex partibus fugæ facientibus, & sese strenuos adversùs partes desertas præstantibus. *Ibidem.*

RE-

REGULA VII.

Cavendum Militi à rusticis.

Exercitui longinquum & remotum à finibus iter conficienti maximè ab insidiis incolarum & rustico-rum inprimis cavendum est. *Lib. 4. Histor.*

REGULA VIII.

De servando tuto reditu.

Exercitus in alienam Regionem irrumpens tutum reditum sibi servet. *Ibidem.*

REGULA IX.

Sociis belli nullus in acie locus præscribendus.

Sociis belli à nobis ascitis optio loci in acie honesti-us conceditur, quàm locus certus præscribitur. Hanc optionem Cyprii dederunt Jonibus. *Lib. 5. Hist.*

REGULA X.

De modo equitatum hostilem frangendi.

Tutissimum adversùs equites equosve quantumvis feroces in prælio remedium est, si aliqui pedites sum-mittantur, qui equos ipsos in certamine concidant, aut vulnerent. *Lib. 5. Hist.*

REGULA XI.

De divisione Exercitûs.

Quoties in exercitu plures strenui, magnique Duces convenere, nisi hostium vires eos simul arma conjun-gere cogant, commodiùs & ad pacem inter se tuendam, & ad hostem fatigandum, copias dividunt, & in diver-sa loca abducunt, ubi eorum quisque rem per se & bel-lum gerat. Ita Duces Darii in diversas Regiones di-visi fuêre. *Lib. 5. Histor.*

REGULA XII.

Non credendum vires hostium minuenti.

In deliberatione de bello suscipiendo non iis temerè

credendum, qui vires hoſtium per contemptum diminuunt. *Lib. 7. Hiſtor.*

REGULA XIII.

De Exploratoribus captis.

Exploratores in exercitu deprehenſi non ſemper necandi: ſed ſi & copioſus, & rectè inſtructus eſt exercitus, per eum ſunt circumducendi, ac dimittendi, qui famam rei terroremque ſuis augeant. *Lib. 7 Hiſtor.*

REGULA XIV.

Bella cautè ſuſcipienda.

Quietæ, florentesque Reſpublicæ & Regna ſeſe in periculoſi belli ſocietatem debent ægrè ac lentè demittere. *Ibidem.*

REGULA XV.

De pugna parvi exercitus cum magno.

In anguſtiis locorum eſt à parvo exercitu cum magno confligendum, non in æqua planitie & patenti loco, ne minor exercitus à majori circumveniatur. *Lib. 7. Hiſtor.*

REGULA XVI.

Non certandum cum deſperatis.

Deſperatis, & jam extrema quæque optantibus nequaquam eſt prælium offerendum, ſed mora tantùm & impedimenta objicienda, ne amiſſa reciperent vel denuo ſeſe erigere poſſint; ſtatim enim diffluenta dilabentur. *Lib. 8. Hiſtor.*

REGULA XVII.

Exploranda ſuſpectorum militum fidelitas.

Suſpectorum ac timidorum militum fidelitas vel virtus eſt aliquo periculo illis objecto exploranda, priuſquàm tuto eorum opera uti poſſis. Ita Phocenſes probavit Mardonius. *Lib. 9. Hiſtor.*

RE

REGULA XVIII.

Observanda in acie.

In acie fortissimo exercitus hostilis robori robur quoque nostri exercitûs est opponendum,&ii maximè, qui cum ejusmodi hostibus sunt depugnare assueti. Sic Mardonius Lacedæmoniis opposuit Persas robur exercitus sui. Sic Pausanias Athenienses Medis opposuit. *Ibidem.*

REGULA XIX.

De persecutione devicti hostis.

Hostes fugientes rarò securè extra nostrum territorium persequimur. *Lib.9.Histor.*

REGULA XX.

De celanda fuga devicti exercitûs.

Fugientis & victi exercitûs clades, quantum fieri potest, eos celanda est, per quorum agros iter est illi exercitui faciendum. *Ibidem.*

CAPUT V.

Regulæ ex Historiis Thucydidis.

REGULA I.

Extinguenda statim vicinorum bella.

Potentum vicinorum bella aut à vicinis quietis statim extinguenda, aut ipsos quietos vicinos trahent in idem bellum, ac iisdem malis involvent. Ita tota Græcia fuit implicata bello à Corinthiis & Corcyrensibus primùm commoto. *Lib.1.Hist.*

REGULA II.

Non sine gravissima causa oportet se bellis vicinorum implicare.

Vicinæ calamitates potiùs, cùm licet, absque periculo spe-

ſpectandæ, quàm ſeſe illis abſque cauſa graviſſima implicandum, ne tota clades in nos ipſos tandem, quamvis duntaxat incendio ſupervenientes, non autem in ipſos incendii auctores, incumbat. *Lib. 1. Hiſtor.*

REGULA III.

Belli nervus pecunia.

Bella non magis armis, quàm ſumptibus geruntur. *Ibidem.*

REGULA IV.

Belli ſocii prudenter accerſendi.

Socii, quorum opera in bello ſtrenua, aut non accerſendi, aut temerè non dimittendi. Inde enim ſuſpiciones graves, ac tandem ſimultates ac bella oriuntur. *Ibidem.*

REGULA V.

De Belli Fulcro.

Bella ſuſtinent magis opes ſuperfluæ, quàm violenta collationes. *Lib. 1. Hiſtor.*

REGULA VI.

De modo bellum gerendi.

Bella conſilio, pecuniæ vi, & reſiſtendo potiùs, quàm aggrediendo conficiuntur. *Lib. 2. Hiſtor.*

REGULA VII.

De Prælio Navali.

Si paucis navibus contra plures dimicandum ſit angustiæ maris eligendæ. *Lib. 2. Hiſtor.*

REGULA VIII.

De tempore idoneo ad faciendas eruptiones ex Urbibus obſeſſis.

Ad eruptiones ex obſeſſo oppido faciendas, maximè idonea eſt nox tempeſtuoſa & illunis, eaque obſervanda à Ducibus. *Lib. 3. Hiſtor.*

RE

REGULA IX.

De modo instituendi ab exercitu itineris per loca ignota.

Alienis consiliis, alienoque ductu non est temerè & facilè cum exercitu pergendum Duci in loca ipsi ignota, nisi validus sit ipsius exercitus, & reditûs rationem priùs planè perspectam habeat, itemque à duce viæ obsides acceperit. *Lib. 3. Hist.*

REGULA X.

Pax bello præferenda.

Pax tuta cuivis bello, etiam justo, est præferenda; adeo ut ne magnæ quidem alicujus prosperitatis inexspectato eventu recusari debeat oblata. Porro iis maximè pax est quærenda, & oblata acceptanda, quibus aliena auxilia ad bellum gerendum sunt necessaria, præsertim si jam sint accita. Quod si nonnulli Martem spirantes, populum identidem aut Magistratum ad arma capessenda concitent, optimum talium hominum est frænum, si ipsimet in hujusmodi bella & pericula deducantur, fiantque earum, ut cæteri, participes. *Lib. 4. Hist.*

REGULA XI.

Oppida bello occupata bene firmanda.

Prudens belli Dux non tam de novis oppidis occupandis, quàm de occupatis firmandis ac retinendis debet esse sollicitus. *Lib. 4. Histor.*

REGULA XII.

In bello potior est is, qui prior in campum prodit.

In bellis, qui priùs instructus & paratus prodit, magnas hosti commoditates eripit, & metum injicit. *Lib. 5. Histor.*

RE-

REGULA XIII.

Contra belli Duces non facile admittendæ querimoniæ.

Duces exercitus & Primores Rerumpublicarum semper sunt belli tempore multorum invidiæ & calumniæ obnoxii, propter detrimenta, quæ privati, & quidem multi tunc accipiunt. Itaque non sunt tunc privatorum querimoniæ contra eos pro justis criminibus audiendæ, vel ii propter eas à munere deponendi. *Lib.5.Histor.*

REGULA XIV.

Belli societatem à nobis petentibus non facilè credendum.

Extranei auxilium societatemque à nobis petentes, ut plurimum de se, suis opibus, suaque potentia & fide strenuè mentiuntur. Itaque nisi priùs res eorum à nobis fuerint exploratæ, iis non est credendum. *Lib.6.Histor.*

REGULA XV.

De Necessitate & Utilitate Equitatûs in Militia.

In præliis ac victoriis absque firmo equitatu nullum hosti, etiam fugienti, magnum incommodum afferri potest. Peditatus item quantumvis firmus absque equitatu in præliis tanquam nudus censetur. *Lib.6.*

REGULA XVI.

In Prælio navali cædendi naucleri.

In navali prælio qui nautas aut naucleros occidunt facile sibi victoriam comparant. Ad eos verò cædendos, conducit parvis navigiis peritos jaculatores imponere, qui tempore conflictûs navalis eos telis petant. *Lib.7.Histor.*

REGULA XVII.

Prælium nocturnum periculosum.

Prælium noctu committere, nisi exploratissimo in oco, tesseraque facili data, ac denique ratione ad rece-ptum victis idonea prius constituta, periculosissimum est. *Ibidem.*

REGULA XVIII.

Victis celerrimè fugiendum esse.

Victis sese recipientibus quàm celerrimè iter est fa-ciendum, ut loca, per quæ eundum est, præoccupent, ntequam ab hoste teneantur; & usquequò aliquod nsuperabile vallum ac interstitium inter se & hostes bjecerint, velut flumen, oppidum suum &c. *Ibidem.*

CAPUT VI.

Regulæ ex Xenophonte de Pædia Cyri.

REGULA I.

Exercitus semper occupetur.

Exercitum nunquam otiosum esse oportet, sed in eo, t vel noceat hosti, vel sibi necessaria paret, vel se mili-riter exerceat, semper occupatum. *Lib.* 1.

REGULA II.

Castra vallo & fossa munienda.

In castrorum metatione tutissimum est, vallo & fos-castra nostra semper munire. Ita fecit, & faciendum ensuit Cyrus. *Lib.* 3.

REGULA III.

De nocturno itinere exercitûs.

Noctù proficiscenti exercitui maximè silendum. am iter nocturnum tutissimum fit per aures, diur-um per oculos, utrumque verò per præmissos semper quites & exploratores. *Lib.* 5.

RE-

REGULA IV.

Milites à belli Duce non contemnendi.

Milites dum videntur haberi contemptui, boni quidem & strenui desinunt esse alacres: mali verò fiun deteriores. Dictum Cyri. *Lib.5.*

REGULA V.

Durissimi in bello hostes fames & frigus.

Durissimi hostes duo, & à nullo exercitu superabiles, fames & frigus. *Lib.6.*

REGULA VI.

De commeatu militari.

Commeatus plurimùm milites alit, qui cibus salsis acutis & mordacibus constat. Dictum Cyri. *Lib.6.*

REGULA VII.

De impedimentis Exercitus.

Impedimenta exercitûs vel in medio, vel in extremo agmine collocentur. *Ibidem.*

REGULA VIII.

De construenda Acie.

In acie struenda maximè prospiciendum est, ne nostra ab hostibus circumveniri possit; aut ne nostri ordines, seu agmina sic inter se procul collocentur, ut aliis laborantibus auxilio statim adesse non possin *Lib.7.*

CAPUT VII.

Regulæ variæ ex variis Auctoribus.

REGULA I.

Quando bellum suscipiendum sit.

Prælium aut bellum suscipiendum omnino nega mus, nisi cùm major emolumenti spes quàm dam metus ostenditur. *Suetonius.*

RE

REGULA II.

Quomodo pugnandum in mari?

In prælio navali potior eſt ejus conditio, qui pela-
ɡus tenet,& in pleno mari navigat, quàm qui circa lit-
us pugnat. Eſt enim navalis certaminis ars & com-
ıoditas ſumma, ſi per medios hoſtes præterlabi, ac
einceps in pugnantes impetum facere poſſis. *Poly-
ius lib.1.Hiſtor.*

REGULA III.

Accepta clades ſtatim compenſanda.

Clades accepta, ſi fieri poteſt, novo aliquo devictæ
artis lucro ſtatim, & damno hoſti illato, compenſan-
a eſt; alioqui fiunt languidiores victi. *Idem ibidem.*

REGULA IV.

De ſedanda militari ſeditione.

Ad ſedandas militum ſeditiones, plurimùm confert,
iis quempiam ad eos mittere, qui cum ipſis milita-
,eos humaniter tractarit, & quem ipſi diligant. *Idem
dem.*

REGULA V.

De Militibus levis Armaturæ.

Pedites & levis armaturæ milites, cùm ſunt pauci,
proſunt: cùm multi, juvant. *Philippus Cominaus.*

REGULA VI.

Diſtributio prædæ poſt adeptam Victoriam.

Partâ victoriâ pars ſpoliorum in ſacrum & paupe-
ı uſum reſervanda eſt, pars in præmia, quæ ſunt
nuis danda, pars cuique pro ſuo jure tribuenda.
odotus lib.8.Hiſtor.

REGULA VII.

Quid agendum Exercitu perterrito?

In exercitu perterrito claudenda castra, & viæ, ne qui ex eo transfugiant ad hostes, occupandæ. *Herodotus lib. 9.*

REGULA VIII.

Spolia non nisi hoste devicto colligenda.

Spolia ex hostibus demum post eos fusos partamque plenè victoriam sunt legenda, idque ne priùs fiat, severè est in exercitu prohibendum. *Idem ibidem.*

REGULA IX.

Subditorum rebellium punitio non prohibenda.

Nullus Princeps, aut belli Dux à suis subditis justè puniendis arcendus est: & qui id facit, parem in se legem statuit, ne suos & ipse subditos puniat delinquentes. *Thucydides lib. 1. Histor.*

REGULA X.

Legati Hostium observandi.

Non committendum, ut hostium Legati, qui nostros terrere possunt, cum quopiam nostrorum colloquantur. *Thucydides lib. 2. Histor.*

REGULA XI.

Quomodo Hostis irruens sit avertendus.

Hostem abducere à nobis ad sua tutanda consultissimum: itaque in illius regionem irrumpendum. Sic Periclis consilio irruperunt Athenienses in Peloponesum: Scipio in Africam: Agathocles in agrum Carthaginensem.

REGULA XII.

Quid maritima Civitas potissimùm spectare debeat ingruente bello?

Maritimæ civitati ac Reipublicæ satis est, etiam dum

terr

terrâ invaditur, si maris Imperium retineat: terram autem & agros vastari potiùs, quàm se de Imperio maris dejici patiatur. Hoc Consilium Atheniensibus â Pericle datum. *Thucydides lib.2.Hist.*

REGULA XIII.

Bella per conjugia dissolvuntur.

Conjugia inter hostes & hostium Duces inita est facillima belli dissolvendi ratio. *Idem ibidem.*

REGULA XIV.

Pecunia indeficiens bello necessaria.

Pecunia, quæ non deficiat, paranda est ei, qui fidum, strenuum, & obsequentem exercitum habere velit. *Xenophon lib.1. de Pædia Cyri.*

REGULA XV.

Quid belli Duci benevolentiam militum conciliet?

Imperatori summam militum benevolentiam conciliat, si vulneratos in prælio excipiat ipse, curet, foveat, & ipse cum Medicis, dum eorum vulnera tractantur, adsit. *Idem lib.5.*

REGULA XVI.

De hybernis in hostico.

Exercitus in hostico securè hybernat, si castella vicina occupavit. *Idem lib.6.*

REGULA XVII.

De Exploratoribus exercitum proficiscentem præcedentibus.

Profecturum exercitum speculatores equites semper præcedant, quàm longissimè possunt; & maturè singula renuntient exercitui. Hi verò equites quoscunque ex indigenis possunt, capiant, & de hostium loco, statu, numero interrogent, & quàm certissima queunt, expiscentur. *Idem ibidem.*

REGULA XVIII.

Non extenuandæ hoſtium vires.

Non extenuandæ hoſtium vires, ubi conſilium de certando capitur, ſed potiùs augendæ. *Idem ibidem.*

REGULA XIX.

De militia extranea.

Infirma eſt Reſpublica, imo facilè evertitur, quæ nullos niſi extraneos milites habet. *Polybius lib. 1. Hiſtor.*

REGULA XX.

Quid agendum exercitui imbecilliori?

Exercitus imbecillior poteſt ſaltem commeatum firmiori intercludere ſæpè: ac proinde id ſaltem conetur. *Idem ibidem.*

REGULA XXI.

Magnum ad victoriam momentum.

Magnum ad victoriam adjumentum eſt, hoſtium impetum eminùs ſuſtinere, aut in re inutili eludere ipſos autem jam ita laſſos cominus & gladiis aggred ac cædere. *Polybius lib. 2.*

REGULA XXII.

Quid agendum pluribus cladibus acceptis?

Exercitus pluribus cladibus jam acceptis perterritus, eidem hoſti non eſt temerè objiciendus. Objicitur autem temerè ſi priuſquam confirmetur aliquâ felici pugnâ & victoriâ de hoſte, tamen iterum in aciem educatur & pugnet. *Polybius lib. 3. Hiſtor.*

REGULA XXIII.

Quomodo ſubigendus ſit hoſtis ſæpius victor?

Hoſtis ſæpius victor, potiùs cunctatione, quàm prælio ſubigitur, modò illi oppida firma nulla ſint, in qua ſe tutò recipiat, nobis autem & militum multitudo adſit, & ſuppetat commeatus. Sequendus tamen eſt

& quan-

& quantum licet premendus conferto, non dissipato agmine. *Idem ibidem.*

REGULA XXIV.

De pugna in patentibus campis.

In patentibus campis nunquam ei sponte & ultro certamen suscipiendum, qui equitatu est longè inferior, quàm hostis. *Idem ibidem.*

REGULA XXV.

Quænam oppida potissimum oppugnanda?

Ea potissimum oppida hostium oppugnanda, &, si fieri potest, intercipienda, in quibus commeatus, resque aliæ ad bellum necessariæ sunt ab illis collocatæ. *Idem ibidem.*

REGULA XXVI.

In bello civili Metropolis occupanda.

In bellis civilibus Metropolis Regni imprimis, si fieri potest, occupanda, aut conservanda. Ita peccavit Pompejus, qui post pugnam Pharsalicam Romam deseruit. *Cicero in epistolis ad Marcum Brutum.*

REGULA XXVII.

Cautio adhibenda in bello civili.

In bellis civilibus sunt, quicunque publicis exercitibus præsunt in nostras partes, præmiis, pecuniâ & honoribus traducendi. *Cicero citatus.*

REGULA XXVIII.

Insperatum auxilium prælio interveniens maximè salutare.

Auxilium quantumvis exiguum ex insperato pro nobis hostibus ostentatum, vel in eos irruens, etiam eos victores in fugam vertit. Nam formidolosiores sunt hosti, qui pugnæ interveniunt, quàm ipsi qui pugnant. *Thucydides lib. 4.*

REGULA XXIX.

Hoſti occurrendum eſſe.

Hoſti invadere volenti,ſi ultrò ipſe occurras,& tuis animos addis,& hoſti detrahis. *Thucydides lib.6.*

REGULA XXX.

Caſtra quâ formâ eſſe debeant?

Caſtra metanda circulari forma, non quadrata. *Xenophon. lib. de Republ. Lacedæmoniorum.*

REGULA XXXI.

De hoſte perterrito in ſua Regione perſequendo.

Si hoſtis in ſua propria Regione ſit perterritus & imparatus, eſt perſequendus, non autem tempus ill concedendum per longam alicujus ſui oppidi à nobi ſuſceptam obſidionem. *Polybius lib.4.Hiſtor.*

REGULA XXXII.

Magnanimi Principis eſt non tam opes, quàm gloriam bello quærere.

Eluxit hæc magnanimitas in Sanctio Rege Navar ræo,de quo Philippus Camerarius Operar. ſucciſivar Centur.1. ſequentem commemorat hiſtoriam.

Memoriæ proditum eſt,inquit,Caſtellæ Regnum i Hiſpania quondam à triginta Barbarorum Regibu Duce ac Imperatore Smaragdo, occupatum fuiſſe Unde cùm illi magnum Chriſtianis terrorem injice rent,brevique ſe totâ reliquâ Hiſpaniâ,quæ Chriſtiano rum erat, potituros eſſe confiderent: Sanctium Na varræ Regem collecto forti magis, quàm numero exercitu, adversùs eos profectum fuiſſe: cùm priù pulcherrimum clariſſimumque jusjurandum juraſſe nunquam ſe ex bello, niſi partâ victoria reverſurun Excogitaverant barbari cùm alia multa ad prohiber das noſtrorum incurſiones aptiſſima: tum caten quasdam ferreas, quibus ita vias omnes occluſeran

ut equitatui,quò plurimùm valebant noſtri,omnis adempta ſpes faciendæ in hoſtem irruptionis videretur; ſed nihil virium habent adversùs prudentiam ſubdola & aſtuta conſilia: debiles ſunt omnes adversùs conſtantiam machinæ: imbecilla & inutilis adverſus fortitudinem multitudo. Deo duce per medios hoſtes ſibi & ſuis viam ferro faciens Sanctius, non prius deſtitit, quam barbaros fuſos,fugatos,caſtris exutos,docuit victoriam non in munitionibus operibuſque bellicis,ſed in cauſæ bonitate poſitam eſſe: qui pro Chriſti nomine dimicarent, eorum impetum non poſſe, ne collatis quidem in unum aliorum omnium viribus, ſuſtineri.

Superatis igitur, & in poteſtatem redactis hoſtibus, omnium noſtrorum, & imperatorum, & militum, incredibilis concurſus ad Sanctium factus eſt: alius amplexari eum: alius ad genua accidere: alius fortem illam dexteram barbarorum domitricem, Hiſpaniarum liberatricem,victoriarum confectricem exoſculari: qui propter multitudinem propiùs accedere non poterant, vultu, oculis,manibus, corpore, quaſcunque poterant animi ſui ſignificationes dabant: unâ omnes voce & bellatorem fortiſſimum & Imperatorem invictiſſimum conſalutabant. Inde cùm de dividendâ prædà agi ceptum eſſet, quæ tanta erat, quantum triginta potentiſſimorum Regum collatæ in unum locum opes coacervare potuerant: nemo erat in univerſo exercitu, qui non ita ſentiret, itaque prædicaret: quantamcunque ſibi partem ex ea vel depoſceret, vel etiam ſuo jure ſumeret Sanctius, nunquam tantum ad eum perventurum eſſe,ut non multò plus ipſius virtuti præclariſque factis deberetur. Erat in caſtris Barbarorum auri, argenti,facti infectique permagna vis: gemmarum maximi pretii admirabilis multitudo: multum tapetium,multum conchyliatæ veſtis, multum periſtromatum:

tum: ut est illa etiam in bellis luxuriosissima gens: armorum omnis generis optimorum, & exquisitissimo artificio fabricatorum infinitus prope numerus: equi præstantes permulti: phalerarum, ephippiorum, cæterorumque ornamentorum equestrium incredibilis copia: captivi longè plurimi, ex quibus ingens pecunia confici posset; quibus omnibus ex rebus Sanctium, ut quantum vellet sibi ipse sumeret, summo omnes consensu obsecrabant.

Ille alacri vultu, cùm gratam sibi illam esse exercitûs voluntatem significasset: Non me, inquit, barbaricarum opum cupiditas, ut hoc bellum aggrederer, au in prima acie stans corpus meum telis hostium objicerem, induxit: Christianæ mihi pietatis ardor, & hujus pulcherrimæ Regionis ab injusto immanium belluarum dominatu vindicandæ studium, faces ad eam rem & stimulos subdiderunt. Nunc cùm id, quod volui divino beneficio, & vestra, milites, virtute consecutu sim, non committam; ut majori animo videar armatorum & stantium copias, quàm inermium & jacentium spolia contempsisse. Ornamento ista sint primùm immortalis Dei nostri, Divorumque templis ac delubris, ut partim in sacrariis reposita, partim tholis pendentia propagent in omne tempus memoriam nostri, posterosque nostros ad suscipiendam semper magno animo Religionis nostræ defensionem exsuscitent: ditent cætera egenos & exhaustos, pro sui quemque meritis, milites: ut cùm juventutis suæ firmitatem in periculis & laboribus consumpserint, habeant olim, quo senectutis imbecillitatem in tranquillitat atque otio sustentare possint. Ego quidem, quod ad m attinet, præter has catenas, quas inspectantibus, adjuvantibusque vobis perfregi, atque perrupi, & præte illam gemam, quam meis manibus dejectam illic jacen

ten

tem videtis, (hæc autem dicens, monſtrabat illis proſtratum, & in ſanguine ſuo involutum exanimem Smaragdum, hoſtilis exercitûs paulò ante Imperatorem) nullam omnino mihi mercedem, nullum præmium aut poſtulo aut appeto. Ergo ad conſervandam tam nobilis victoriæ memoriam, & incitandos pariter ſucceſſorum ſuorum animos; & ipſe poſtea catenas pro inſignibus geſtavit, & inſtituit, ut iiſdem inſignibus cæteri poſt e Reges uterentur. Ac quoniam eo in prælio præcipuum, quem dixit, barbarorum ductorem Smaragdum, ua ipſe manu obtruncaverat, ejuſdem nominis gemnam medio illarum catenarum complexu voluit contineri; quin etiam, propter hanc aliaſque ſimiles victorias, Regibus Navarræ honoris ergo tributum eſt, ut iungantur, coronentur, conſecrentur, &c. *Philip. Camerar. Operarum ſucciſivar. Centur.* 1.

Rectè Bodinus *in Method. hiſtor. c.6.* ex ſententia Ariſtotelis Principem inſtituendum putat, ut ſolidâ veraq; laude paſcatur, in eaq; ſenſim adoleſcat. Qui ſi gloriâ, inquit, non erit contentus, in Tyrannum evadet. Quæret enim opes ac voluptates: hinc ad rapinas ac ſtupra convertetur. Id, quod accidit Dionyſio juniori, quem Pater in otio ac deliciis ita educaverat, ut neque ex ergaſtulo in lucem prodiret, neque ullis omnino diſciplinis imbueret, neque veræ laudis guſtum haberet. Qui autem gloriæ cupidus erit, non modo infamiam ac vitæ turpitudinem fugiet, ſed etiam intelliget verum decus in ſola virtutis actione verſari.

REGULA XXXIII.

Bellum in hoſtico gerendum.

Princeps minori damno & periculo ſuo extra fines ditionis propriæ, quàm intra eos bellum gerit. Bellum in hoſtile ſolum transferre (inquit *Danæus in Aphoriſmis Polit. pag.* 102.) quantum poſſumus, debemus.

Nam ea ratione magis terretur hoſtis,& ad ſua tutand
revocatur. Atque hoc conſilium datum eſt olim Cy
ro à Crœſo,apud *Herodot. lib.* 1.*pag.* 41. Prudenter *Bo*
dinus lib. 5.*de Republ. c.*8. Non decet, inquit, fortem a
magnanimum Principem in imperii ſui viſceribus præ
lium committere, ſi hoſtes extra fines imperii ar
tevertere poſſit: aut certè alios exercitus, uno omiſſo
vel munitiſſimas ac plurimas arces,quibus ſeſe recipia
habere oportet: alioqui periculum imperii ac fortu
narum omnium facturus.

Romani certè ſapientiſſimo conſilio navigandu
in Africam, & eò omnem belli vim transferendam e
ſe decreverunt, quo Carthaginenſes non de Sicilia ſo
lùm, verùm etiam de ſeipſis & regione ſua decertar
cogerentur. *Polybius lib.*1.*pag.*40.

Nec minùs prudenter Ludovicus Craſſus Rex Fran
corum, cùm Imperatorem Henricum unà cum Impe
riali exercitu in Galliam adventare audiſſet, ipſe con
ſcripto ducentorum millium exercitu (tot enim Sug
gerius in hiſtoriam retulit) extra fines Regni ſui a
Rhenum uſque finitimas Imperii Provincias longè la
teque populatus, hoſtes antevertit; quâ re perterri
tus Imperator, pacis conditiones arbitrio Regis accepi

Pari fortitudine ac prudentiâ Philippus Auguſtu
Ludovici nepos, cùm allatum eſſet, Othonem Impera
torem, ſociatis cum Rege Anglorum & Regulis Belga
rum armis, magno cum exercitu adoriri Galliam decre
viſſe, arces & oppida Regni ſui præſidio firmavit, a
deinde extra fines propriæ ditionis progreſſus, hoſte
ingenti clade proſtravit.

Et certè ſi Franciſcus I. Rex Galliæ, cladem illar
quam ad Ticinum accepit, in ipſis Galliæ viſceribus per
peſſus eſſet, Regnum univerſum in extremum diſcri
men adductum fuiſſet. Cùm vero res geſta ſit extra Ga
lia

am in Italia, detrimenta multò leviora fuêre: quia ivibus interim tempus ad animos colligendos, viresque recuperandas datum eſt, ut de ſalute deſperandum on eſſet.

REGULA XXXIV.

Hoſtis in bello periculosè contemnitur.

Nihil eſt quod ſæpius hoſtes alteris efficiat ſuperioes, quàm eorum contemptus, & nimia propriæ viritis confidentia.

Proverbium Ludovici XII. Regis Galliæ teſte Coinæo *in commentar. de reb. geſt. Ludov. & Carol. l.2.* at, Dedecus & detrimentum eſſe comites ac veluti edisſequas ſuperbiæ.

Exercitu Maximiliani I. Cæſaris, Ducibus Rudolpho nhaltino, & Georgio Fronſpergio in Italia ad Vicenım, in anguſtiſſimis montibus circumſeſſo, Barthomæus Livianus Dux Venetus evocavit ex urbe Setum cives & mulieres, ad ſpectandam lanienam Geranorum. Sed copiæ Cæſareæ, Germanis fortiſſimè micantibus, exercitum Venetum fuderunt, diſſipaınt, & ſubmerſerunt maximam partem, etiam eom, qui ex urbe ad ſpectandam cædem Germanom egreſſi fuerant.

Anno 1514. ad Boryſthenem fluvium pugnatum eſt emorabili prælio inter Ducem Moſcoviæ, & Regem loniæ Sigiſmundum. Tanta fuit Moſcorum conlentia, & hoſtis deſpicientia, ut Polonos numero lon- inferiores, ultro paterentur tranſire fluvium. Sed m ad manus ventum eſt, vicerunt Poloni operâ Sclotariorum, quibus carebant Moſci. Cæſa horum trinta millia, capti plurimi, teſte Curæo in Annalis Sileſiæ.

Itaque hoſtis nunquam contemnendus (inquit ucydides *lib. 5. Hiſt.*) quantumvis timentis ſpeciem e ſe ferat.

Patet

Patet hoc inprimis, præter allatas historias, in Joan
Comite de Hoya, qui cùm multis præliis irritasset civ
Osnabrugenses, à quibus Ericus Episcopus frater ej
expulsus fuerat, multosque civium & cæcidisset, & c
pisset, tandem audentior factus, contempsit host
Unde captus, caveæ inclusus fuit, in qua vir procer
sese erigere non posset, & septennio integro in ea d
tentus, Anno 1444. liberatus fuit. *Cranzius lib.* 11. *S
xon. cap.* 37.

Patet deinde in Flandris Gandavensibus, quibusc
Philippus Valesius Gallorum Rex Anno 1328. præ
decertavit. Cùm enim Gandavenses ante conflict
in Gallorum contemptum ac derisionem formasse
gallum gallinaceum ex tela cannabacea, adjecta hac i
scriptione: *Cùm gallus hic cecinerit, Galli victores eru*
magno illis hæc derisio ac despicientia constitit; qua
do irrisorum undeviginti millia cum octingentis
acie occubuerunt. Auctor Maris histor. Anno D
mini 1328.

REGULA XXXV.

Polemarchus belli injusti neque autor, neque fautor, neque actor sit.

DuxBuckingamus in Aula Caroli, Regis Angliæ M
derni Parentis, apprimè potens, & primæ admissio
amicus, abusus favore Principis sui, suasit ei Anno 16
bellum, Regi Christianissimo inferendum, quod Par
mentum Anglicanum postea pronunciavit esse in
stum, & cum detrimento Regni conjunctum.

Itaque post primam eamque infelicem expediti
nem, cujus motor & Ductor fuit ipse Buckingam
dicitur illi à Parlamento dies, quâ purgaret crimi
aut pœnam lueret. Arguebatur, ut dixi, belli con

le

eges moti in Regem Galliæ, neque Decreti prius in Parlamento, neque denunciati hostibus antequam moveretur : quorum alterum ajebant esse contra leges Regni, altero violatum videri jus Gentium & fidem publicam; accedebant & alii variorum, quæ Reo impingebantur, tituli criminum: peculatûs, flagellatæ annonæ, perduellionis, oppressi populi, patrocinii denique Arminianæ Sectæ in Anglia præstiti.

Buckingamus metu Parlamenti, urgebat expeditionem alteram, sperans in armorum strepitu se aut impunitatem, aut dilationem judicii consecuturum. Rex quoque actione de exhibendo reo frequenter interpellatus, exceptione dilatoriâ vitabat judicium, atque interim classem sedulò instruebat, sperans ubi vela in ventum dedisset Buckingamus, finem accusationis fore. Postridie vela facturus erat, cum Felto centuriæ militaris legatus incautum ferro adortus trucidat. Hærentem vulneri mucronem exemisse fertur ipse Buckingamus: repercussurus, si posset, percussorem suum. Ultima morientis verba in sicarium hæc erant: Ah! canis, mene sic necas? Tantus erat omnium ordinum concursus ad videndum cum morte luctantem Buckingamum, ut dilapsus Felto, circumstantium oculos fefellerit. Mox tamen erubuit ob ingloriam & meticulosam fugam, seque sponte & nullo compellente exhibens: Me me, inquit, adsum, qui feci; mihi debita legis libertas & populi. Hærentibus, qui circumstabant & dubitantibus; Ego, inquit, in Buckingami stomachum pugionem altè impressi; & ne quis gratis à me dictum existimet, faciet me collati in populum beneficii manifestum pugio, capulo eburneus, anceps & brevis. His auditis, tota Buchingami familia in percussorem irruebat; cùm interfit Carletonus, noxium caput patibulo reservans. Rogatus Felto, quam ob causam

inno-

innocentem trucidasset, negavit innocentem esse, qu
opprimebat populum, qui tyrannicè incumbebat Regi
qui tot cives bello injusto perdiderat. Adhæc sibi pri-
vatas justissimè conquerendi causas esse, qui licet mune-
re suo optimè semper functus sit, nunquam tamen ad
primum ejus centuriæ munus, ob iniquitatem & male
volentiâ Buckingami, accessum habere potuerit; quam
vis lege & more militari substitui debuisset, præfecti
bis terque cæsis. Adjiciebat, stipendium sibi non ess
persolutum, distractâ in pravos usus pecuniâ publicâ.

Quanta porrò Feltonis extiterit contumacia & te
meritas, vel ex eo intelligi potest, quod veritus, ne à Bu
ckingami familia post cædem patratam statim occide
retur, substituerit voci interceptæ schedam, galeri cin
gulo implicitam, in quâ hæc erant exarata verba: No
ambio laudem ex facto memorabili; nunc ejus ultc
omnium fui. Sui censores sunto, qui hæc legent, no
præcones mei; odi laudem ab impuro ore; excæca
estis omnes usque in hanc diem; ignavus est, mentitu
que se Nobilem aut militem, quicunque imbelli me
negat victimam se Deo, Regi & patriæ.

Joannes Felto. Actum Santuichæ 23. Aug. Ann
1628.

Atque hic fuit exitus Buckingami, belli injusti au
tor & actor injustus. Felto non multò post capita
supplicio admissum scelus expiavit. Nec defuêre,
qui causæ Anglicanæ Martyrem ex percus-
sore facerent.

DISCUR

DISCURSUS QUINQUAGESIMUS.

EX THEOLOGIA

De Christo, & benedicta Matre ejus Maria.

PRÆFATIUNCULA.

SAcra Theologia est scientia de DEO rebusque divinis, quæ occupatâ arce gloriæ, cæteris omnibus scientiis non modo palmam, sed etiam spem palmæ eri-t, cum de principatu agitur. Quod enim inter aves quila, inter montes Atlas, inter arbores Cedrus, inter uas Mare, inter Maria Oceanus, inter Sidera Phœbus, c inter humanæ literaturæ scientias est sacra Theologia. atales ejus si inquiris? Ajo illam terrarum bono in cœlo tam, & dono quodam providentiæ à Deo mortalibus esse cessam, in qua suas omnes vires humanum experiretur enium. Si auctoritatem requiris? quot illa verba tot cula, quot apices, tot propè veritatis mysteria eloquitur. ipsa commune facta oraculum, oraculis omnibus vo-ademit, sola digna audiri.

QUÆSTIO UNICA.

n Christus verè & propriè fuerit Filius Mariæ, & hæc Mater Christi.

Eatissimam Virginem Mariam verè & propriè Ma-trem Christi, ac proinde Christum ejusdem filium era & propria significatione fuisse.

robatur 1. ex cap. 2. Matth. *Accipe Puerum & trem ejus, & fuge in Ægyptum.*

robatur 2. ex Joan. 2. *Erat Mater Jesu ibi.*

robatur 3. ex Lucæ 1. *Unde hoc mihi, ut Mater ini veniat ad me?*

Pro-

Probatur 4. Quia illa dicitur Mater, ex cujus ſub-ſtantia concipitur, & naſcitur filius; Conſtat autem ex Sacra Scriptura, Chriſtum conceptum eſſe ex ſub-ſtantia Beatiſſ. Virginis. Nam *Lucæ* 1. dicitur, *Quod na-ſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI.* Accedi teſtimonium S. Pauli epiſt. ad Rom. 1. *Qui factus eſt ex ſemine David ſecundùm carnem*; id eſt, ex Beatiſſima Virgine, à Davide per ſeminalem generationem deſcen-dente. Atque hac ratione Chriſtus dicitur contentu fuiſſe in lumbis antiquorum parentum.

Addo, Deiparam magis dicendam eſſe Matrem quàm reliquas Matres; nam ipſa ſola ſubminiſtravi materiam prolis; in cæteris autem Matribus concurri etiam ſemen Patris, ut bene notat Suarez *d.* 11. *ſect.* 2 Gabriel *in* 3. *d.* 4. *quæſt. unic.* Tannerus *diſp.* 2. *qu.* 2 *dub.* 1. *num.* 24.

Ex dictis colligitur, Deiparam concepiſſe Chriſtum in loco ad concipiendum fœtum accommodato, vide-licet in utero. Ratio eſt; tum quia ad generationem atque adeo ad Maternitatem contrahendam non ſuffi cit quovis modo miniſtrare materiam, ſed materia mi niſtrari debet modo naturæ accommodato; alioqui miniſtrans non dicetur Pater, aut Mater, ſicut Adam non dicitur Pater, aut Mater Evæ, quæ ex Adæ coſt formata fuit. Tum quia ſicut illa non dicitur paren filium, quæ illum per naturales vias non emittit; it neque illa dicetur Mater Chriſti, quæ illum in uter non concepit. Ex quo patet falſitatis convinci ſen tentiam eorum, qui aſſerebant Chriſtum conceptum fuiſſe in corde Beatiſſ. Virginis, quos bene refellit Caje tanus 2. *part. quæſt.* 31. *artic.* 5.

Reſtant ſolvenda nonnulla argumenta, quæ ad in fringendam doctrinam prædictam formari poſſent.

Argu

Argumentum I.

Si Christus esset verè & propriè filius Mariæ, & hæc Mater illius, sequeretur Christum formatum esse non solùm ex sanguine Deiparæ, sed etiam ex ipsius semine Fœtus enim, inquit Galenus, non solùm formatur ex anguine tanquam ex materia, sed etiam ex semine fe- nineo & virili quoad partes solidiores, ut sunt venæ, rteriæ, nervi & similes, quæ faciliùs formantur ex re rassa & viscosa, cujusmodi est semen, quàm ex sangui- ie, qui magis tenuis est, & fluidus) non videtur au- em verosimile CHRISTUM formatum fuisse ex se- ine Virginis: Tum quia ipsa non mansisset Virgo. um quia Patres & Ecclesiæ Doctores communiter sserunt, Christum formatum fuisse ex sanguine Bea- ssimæ Virginis, non factâ seminis mentione. Ergo eatissima Virgo non est vera, & propriè dicta Ma- er Christi.

Responsio ad Argumentum.

Respondeo primò: si semen femineum est neces- rium ad conceptionem, dicendum est Deiparam cultate naturali convertisse Sanguinem in semen, il- dque transmisisse ad locum conceptionis; sine ullo men inordinato concupiscentiæ motu, aut corporis illatione, seu venerea voluptate; nam hæc transmis- o censetur facta cooperante Spiritu Sancto, aut tanta im celeritate, ut naturalium partium commotio cuta non fuerit, atque adeo nihil detrimenti illatum erit integritati & puritati Deiparæ, ac si solus san- iis ad eam partem transmissus fuisset. Quamob- m dum S. Patres asserunt Christum formatum fuisse sanguine Beatissimæ Virginis, assignant præci- iam conceptionis materiam, non excluso semine. uin imò S. Anselmus *lib. de conceptu Virginis c.13. & 14.*

ait Christi Corpus formatum fuisse de semine Maria
Dici insuper potest, nomine *sanguinis* à Patribus com
prehendi etiam semen, quia hoc ex sanguine puro,ma
gisque digesto conficitur, juxta Aristotelem *lib.1. de ge
nerat. animal. cap.*18. & 19. Quamquam in hac re de
bitæ reverentiæ locus esse debet, dum loquimur de se
mine Beatissimæ Virginis, ne aliquid contra integer
rimam ipsius puritatem asserere videamur, ut ben
monet D.Bonaventura *in 3.disp.4.artic.2.quæst.*1.

Respondeo secundò: piè, & valde probabilite
sustineri posse, Christi conceptionem factam fuis
ex solo Deiparæ sanguine, absque illius semine. Ra
tio est, tum quia hoc modo magis elucescit integrita
tantæ Virginis; & sicut Spiritus Sanctus supplevit vi
rile semen, ita etiam credi potest, supplevisse fortass
quidquid ex femineo semine formari potest, ut ben
observat Suarez *3.part. tom.2. disp.10.sect.1.col.3.* Tun
quia femineum semen non est necessarium ad genera
tionem, ut docet Galen. sibi contrarius *lib.* 1. *d
sanitate tuenda cap.* 1. Aristoteles *lib.* 1. *de gene
rat.animal.cap.2.& lib.2.cap.3.* Avicenna *lib.9. de ani
mal.cap.*1. S.Thomas *3.parte quæst.31.art.4.ad.3.* San
chez *lib.9. de Matrim.disp.17.num.9.* Nam experi
entiâ compertum est, feminas aliquando in balneis exi
stentes, virile semen à viro decisum, & aquæ innatan
virtute attractivâ matricis, casu & contra propria
voluntatem recepisse, atque concepisse, nullo ex
emisso semine, alioquin veneream delectationem sen
sissent, quod tamen experientiæ repugnat. Ex quibu
patet, semen feminæ ad conceptionem generationem
que prolis non esse necessarium: ac proinde rectè di
ci posse, Christum ex sanguine, non semine Beatissim
Virginis conceptum fuisse.

Dices, aliæ feminæ ad formationem fœtûs submini
stran

ſtrant menſtruum ſanguinem; ergo etiam B. Virgo eundem ſanguinem ſubminiſtravit, & conſequenter Chriſtus non videtur conceptus ex puriſſimo ſanguine B. Virginis.

Reſpondeo juxta probabiliorem ſententiam, etiam in aliis feminis non formari fœtum ex ſanguine menſtruo, ſed ex eo ſanguine, qui, niſi formando fœtui deſerviret, menſtruus eſſet; ſanguis enim menſtruus eſt ſanguis vergens ad corruptionem, quem proinde natura appetit expellere; ſanguis verò, ex quo formatur fœtus, non eſt ſanguis corruptus, ſed purus, magisque digeſtus. Ita S. Thomas 3. *part. quæſt.* 31. *art.* 5. & alii quos citat & ſequitur Suarez 3. *part. tom.* 2. *diſp.* 10. *ſect.* 1.

Argumentum II.

Ad conceptionem atque adeò ad maternitatem contrahendam, requiritur primò: ut ſanguis maternus congregetur in utero materno; nam uterus ſuſcepto virili ſemine ſtatim attrahit ex venis ſanguinem ad formandum fœtum. Secundò requiritur, ut calor vitalis uteri foveat ſemen, illudque congruo tempore diſponat & præparet uſque ad perfectam conceptionem, quæ perficitur 40. vel 80. diebus circiter, pro qualitate ſexûs. Sed intelligi non poteſt, quomodo hæc facta fuerint in Beatiſſima Virgine. Ergo ipſa non videtur concepiſſe Chriſtum, conſequenter propriè loquendo non videtur vocanda Mater Chriſti.

Reſponſio ad Argumentum.

Aſſero, hæc omnia in B. Virgine contigiſſe, adeoque non eſſe ipſi denegandum titulum Maternitatis Chriſti. Etenim ſanguis B. Virginis, virtute Spiritus ſancti, ſupplentis virtutem ſeminis, attractus fuit ad ipſius uterum, & debita diſpoſitio ad formationem corporis requiſita præceſſit. Quanquam hæc facta

fuerunt breviori tempore, quàm naturaliter fieri possent. Imò Doctores communiter opinantur, formationem & organizationem corporis Christi factam fuisse in momento seu brevissimo temporis spatio; sicut & formatio corporis Adami protoplasti nostri facta fuit unico momento, teste S. Chrysostomo *homil.* 13 *in Genesim.* Quamprimum itaque B. Virgo consensum suum exposuit his verbis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, statim Spiritus sanctus guttulas sanguinis in corpore Virginis dispersas collegit, transmisit ad uterum, condensavit, figuravit in corpusculum, organizavit, Verbo Divino univit.

Argumentum III.

Etiam Joseph appellatur in sacra scriptura pater Christi, & tamen revera non erat pater Christi, nisi putativus; ergo similiter ex eo quòd B. Virgo in sacris litteris nuncupetur Mater Christi, non licet inferre eam esse veram, sed tantùm putativam Matrem.

Responsio ad Argumentum.

Respondeo, duplicem esse disparitatem inter Mariam & Josephum, quoad præsens punctum. *Prima* est, quia Joseph in Sacra Scriptura non vocatur simpliciter Pater, sed putativus, ut patet ex illo Lucæ cap. 3. *Jesus erat quasi annorum triginta, & putabatur filius Joseph.* Et hic locus scripturæ explicat alium, in quo illud vocabulum *putabatur* omittitur. *Secunda* in eo consistit, quòd Joseph non communicaverit Christo suam substantiam, sicut Maria, quæ Christum concepit eumque peperit.

Argumentum IV.

Christus in Evangelio vocat Mariam *Mulierem*, non

non *Matrem*; ut patet ex cap.2.Joan. *Quid mihi, & tibi Mulier?* Et ex cap.19.Joan. *Mulier ecce filius tuus.* Imò negare videtur eam esse Matrem: *Quæ est mater mea*; Matth.12. ergo Maria verè non fuit Mater Christi.

Responsio ad Argumentum.

Respondeo, Mariam à Christo vocari *Mulierem* per antonomasiam, & per excellentiam, indicando esse illam *mulierem*, de qua dictum fuerat Genesis 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem.* Dum autem Christus dixit, *Quæ est Mater mea?* non negavit illam esse Matrem suam, sed docuit & instruxit adstantes, non esse dimittenda præcepta Dei, & ejus prædicationem propter Matrem, & alios consanguineos. Ita Becanus *de Incarnatione c.28.qu.6*. Vide Bonacinam *ibidem disp.* 1. *quæst.* 4.

DISCURSUS QUINQUAGESIMUS PRIMUS.

EX THEOLOGIA.

De Antichristo.

CAPUT I.

Utrum Antichristus sit jam natus, an verò nasciturus.

CUm opposita juxta se posita magis elucescant, ordo doctrinæ postulare videtur, ut post dissertationem de Christo, agamus de Antichristo, Christi antagonista, imò jurato, & capitalissimo ejus inimico: Ut perspecta hujus bestiæ extrema nequitia & malitia, Christi Servatoris nostri sanctimonia magis elucecat.

Porrò inter quæſtiones, quæ de hoc argumento proponi ſolent, prima eſſe poteſt, ac debet ea, quæ tempus nativitatis Antichriſti concernit.

Circa quod opinantur nonnulli, Antichriſtum jam eſſe natum, & quidem in perſona Neronis Imperatoris Romani: quem proinde putant vel necdum eſſe mortuum, vel certè in fine mundi reſuſcitandum, ut officio Antichriſti fungi poſſit. Ita ſenſit Victorinus *in cap.* 17. *Apocalypſ.* & multi veterum, teſte Hieronymo *in cap.* 11. *Danielis.* Unde S. Auguſtinus lib. 20. civit. c. 19. *Nonnulli*, inquit, *illum* (Neronem) *reſurrecturum, & futurum Antichriſtum ſuſpicantur. Alii verò nec eum occiſum putant, ſed ſubtractum potius, cùm putaretur occiſus, & vivum occultari in vigore ejus ætatis, in qua fuit, cùm crederetur extinctus; donec ſuo tempore reveletur, & reſtituatur in regnum. Sed multùm mihi mira eſt hæc opinantium præſumptio.* Promovit hanc opinantium ſuſpicionem, quòd etiam inter Gentiles fama ſparſa fuerit, Neronem non eſſe occiſum, ſed à morte ſubductum. Ita Suetonius in Nerone cap. 57. *Non defuerunt*, inquit, *qui per longum tempus, vernis æſtivisque floribus tumulum ejus ornarent, ac modò imagines prætextas in roſtris proferrent, modo edicta quaſi viventis, & brevi magno inimicorum malo reverſuri. Quin etiam Vologeſes Parthorum Rex miſſis ad Senatum Legatis de inſtauranda Societate, hoc magnoperè rogavit, ut Neronis memoria coleretur. Denique cùm poſt* 20. *annos adoleſcente me extitiſſet conditionis incertæ, qui ſe Neronem eſſe jactaret, tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus ſit.* Hæc Suetonius: quæ Tacitus his verbis confirmat: *Sub idem tempus Achaia atque Aſia falsò exterrita, velut Nero adventaret, vario ſuper exitu ejus rumore, eumque pluribus vivere fingentibus, credentibusque.*

Ex qua Gentilium fama, aliisque argumentis, (re-ctiùs dixerim, figmentis) opinatus est Severus Sulpitius *lib. 2. historiæ*, Neronem vel ipsum Antichristum, vel certè Antichristi collegam & socium futurum. Unde creditur (inquit Sulpitius) etsi se gladio Nero trans-fixerit, curato vulnere ejus esse servatus, secundùm il-lud quod de eo scriptum est; *Subductus est, sub sæculi finem mittendus, ut mysterium iniquitatis exerceat.* Et quod mireris, hanc sententiam Sulpitius imponit etiam S. Martino: Cùm, inquit, ab eo de fine sæculi quæreremus, ait nobis: Neronem & Antichristum priùs esse venturos; Neronem in occidentali plaga, Regibus subactis decem, imperaturum: ab Antichri-sto verò Orientale imperium esse capiendum: qui quidem sedem & caput regni Hierosolymam esset ha-biturus &c. & ipsum denique Neronem ab Antichri-sto esse perimendum, atque sub illius potestate univer-sum orbem, cunctasque gentes esse redigendas. Hæc Sulpitius; quæ si verum est S. Martinum dixisse, di-xit non velut Propheta, sed quasi recensens opinionem aliorum, quæ tamen caret fundamento, cùm fide hi-storicâ certum sit Neronem esse occisum & mortuum. Non tamen negaverim, Neronem æquè ac Antio-chum Epiphanem fuisse insignem typum & figuram Antichristi; præterquam enim quòd fuerit Monar-cha superbissimus, luxuriosissimus, potentissimus, sceleratissimus, fovit etiam Simonem aliosque Magos, fuitque Christi hostis & Christianorum, qui primam in eos persecutionem solennem excitavit.

Sectarii ridiculè sibi imaginantur, Pontificem Ro-manum esse Antichristum: sed Cornelius à Lapide *in Epistol. 2. ad Thessal.* novem rationibus eruditè de-monstrat, Antichristum necdum venisse, sed esse venturum, & consequenter nec Papam Romanum,

nec alium, qui vivat, aut vixerit, esse Antichristum.

Primò, quia unus erit singularis homo, qui dicetur Antichristus, ut Cornelius probat: *Papa* verò non est nomen hominis singularis, sed nomen officii communis, in quo unus alteri succedit; non minùs, quàm nomen Regis, Imperatoris, Episcopi &c. igitur Papa non est Antichristus.

Secundò, Antichristus non veniet, nisi postquam omnino eversum fuerit Romanum Imperium à decem Regibus, ut patet ex *cap.* 7. *Danielis v.* 17. at Romanum Imperium nondum est eversum, nec visi sunt hactenus 10. Reges illud evertentes.

Tertiò, Antichristus erit è diametro contrarius Jesu Christo, voletque ipsemet haberi Christus & Messias, tolletque fidem & cultum Christi: talis autem nec est, nec fuit hactenus Papa, aut alius quispiam.

Quartò, Antichristus abrogabit in Ecclesia juge Sacrificium (quod non potest esse aliud, quàm Sacrificium Missæ) omnemque Religionem, ut patet ex 12. *cap. Danielis*: atqui hactenus perdurat Missæ Sacrificium, cultusque divinus in Ecclesia Romana: ergò hactenus in Ecclesia Romana non est visus Antichristus.

Quintò, Antichristus Deo vero, omnique Numini adversabitur, voletque ipse solus haberi & coli in templo ut Deus: atqui nec Papa, nec quis alius hactenus omne Numen sustulit, voluitque ipse in templo coli ut Numen.

Sextò, Antichristus, ut docet Daniel *cap.* 12. tantùm regnabit dies mille ducentos nonaginta: Papa verò plusquam mille annis in Ecclesia regnavit & præsedit.

Septimò, Antichristi imperium erit ultimum mundi, & sub finem mundi inchoabitur: Papatus autem diu ante finem mundi viguit & floruit.

Octavò,

Octavò, Antichristus occidet Eliam & Enoch, ut pa-
et tum ex *cap.* 11 *Apocal.* tum ex communi sententia Pa-
rum: hoc autem de Romanis Pontificibus nemo sa-
æ mentis asseruerit.

Nonò, Antichristus non regnabit Romæ (illa enim
nte Antichristum evertetur & concremabitur à decem
Regibus, ut probat Cornelius) sed Jerosolymis, juxta
a quæ habentur *in cap.* 11. *Apocal.* Papa verò non
erosolymis, sed Romæ hierarchicam exercet potesta-
em.

CAPUT II.

Antichristi natales.

CIrca natales Antichristi observandum est primò,
eum fore Judæum, & quidem ex tribu Dan oriun-
um, juxta illud Genes. 49. *Fiat Dan coluber in via, ce-
astes in semita.* Unde *Apocal.* 7. inter duodecim tri-
us, in quarum qualibet duodecim millia signati nu-
erantur, omittitur tribus Dan, eò quod ex hac tribu
t nasciturus Antichristus. Quapropter omnes Da-
itæ Antichristum, ut contribulem sequentur, & nemo
x eis salvabitur.

Secundò observandum est, Antichristum loco hu-
nili, & ex vilibus nasciturum parentibus. Inde enim
Daniele *cap.* 7. vocatur cornu parvulum, quod sen-
m crescet, & regnum non hæreditate, sed fraude ob-
inebit.

Tertiò observandum est, Antichristum, ut volunt
liqui, nasciturum in urbe Dan, quæ postea dicta est
Cæsarea Philippi, vel (quod est probabilius) Baby-
one, hoc est, in media ipsa barbarie, & nationum uti
olluvie, sic & superstitionum confusione.

Quartò observandum, quod tradit Damascenus, An-
ichristum ex concubitu fornicario, vel (ut alii sentiunt)

ex adulterio, vel denique ex incestu Patris cum filia (quæ aliorum est opinio) procreandum.

CAPUT III.

Utrum Antichristus sit futurus Diabolus incarnatus, vel saltem filius Diaboli.

APostolus 2. *ad Thessal. c.* 2. testatur, adventum Antichristi fore secundùm operationem Satanæ. Ex quo nonnulli deducunt, eum fore Diabolum incarnatum, ut opponatur Christo Deo incarnato. Sicut enim verbum per humanitatem assumptam operatum est, & vim suam exeruit: Ita Satanas per carnem Antichristi assumptam operabitur, & virtutis Satanicæ specimina edet. Ita loqui videtur Theodoretus. Verùm quia fieri non potest, ut Diabolus, aut alia Creatura carnem, aliamve Creaturam hypostaticè assumat, sicut DEUS assumpsit carnem humanam, ut docent Theologi; hinc Hippolytus Martyr *libro de consummatione sæculi*, censet Antichristum fore Dæmonem, non quidem incarnatum, sed tamen in carne apparentem, falsâ & phantasticâ carne de falsâ virgine assumptâ.

Alii existimant Antichristum non fore Dæmonem, sed hominem, qui tamen ex Virgine operâ Dæmonis concipietur, uti Christus conceptus est ex Virgine de Spiritu Sancto. Ita opinantur nonnulli apud Rabanum, *Tractatu de Antichristo.*

Verùm non potest Dæmon Virginem fœcundare, nisi ut succubus aliunde semen humanum exceperit, quòd deinde Virginis utero infundat, ac proinde non manebit virgo, quæ ab eo impregnata fuerit, sed more cæterarum puerperarum claustris virginitatis reseratis concipiet & pariet.

Pro-

Probabiliùs itaque opinatur Franciſcus Suarez cum
ıultis aliis, Paulum verbis ſuprà citatis ſignificare vo-
iiſſe, quod Antichriſtus à puero omnem operationem
)iaboli in ſe ſuſcipiet; quodque Diabolus in utero
latris humores Antichriſti ſic attemperabit, ut ejus
mperamentum & complexio fiat propenſiſſima ad
n.ne genus vitiorum. Et hoc ipſum videtur indica-
; voluiſſe S. Hieronymus *in cap.* 16. *Iſaiæ*, ubi Dæmo-
em vocat *Patrem Antichriſti.*

Addunt aliqui primò, quòd Antichriſtus ſaltem à
latre, muliere corruptiſſima, Diabolo conſecrabitur,
quòd vi hujus conſecrationis, vel potiùs Execratio-
s, Dæmon Antichriſti corpus & animam ab ipſa in-
ntia, imò ab utero poſſidebit, ac inhabitabit. Se-
ındò, quod Antichriſtus non aliam nutricem, quàm
:neficam illam Matrem, nec alium pædagogum,
ıàm Satanam ſit habiturus: â quibus ad omnem
ɪpietatem informabitur. Ex quibus omnibus pro-
ım eſt colligere, qui fructus à maledicta ejuſmodi
rpe, ab execrando ſurculo, à Diabolica cultura ex-
ctandi ſint.

CAPUT IV.

Mores & indoles Antichriſti.

ANtichriſtus erit homo ſceleratiſſimus, ita ut to-
tus non videatur eſſe aliud, quàm peccati orga-
ım, mancipium, & complementum. Nam jura
nnia, divina & humana peſſumdabit, & omnium
:ccatorum colluvies in eo collecta eſſe videbitur, ſi-
:, ut Divus loquitur Irenæus, tota peccati univerſitas
ı eo habitatura eſt. Unde Scriptura Sancta vocat
lum filium perditionis; id eſt, perditiſſimum, & per-
i ac perire digniſſimum, atque ex ipſa, quaſi perditio-
ne na-

ne natum , ad ſe alioſque in barathrum perditionis præcipitandum. Cujus tanta erit impietas, ut divinos ſibi honores deferri , ſacrilegâ mente ſit poſtulaturus. Volet enim ſibi offerri ſacrificia, dedicari templa, nuncupari vota : Volet per ſuum nomen jurari : Volet non tantùm duliâ, ſed etiam Latriâ, latrinâ ipſe digniſſimus, adorari : Volet denique invocari, ut dator & author omnium frugum, opum & bonorum , imò ut author omnis gratiæ & gloriæ.

Hujus extremæ nequitiæ & malitiæ adminiſtros ſe præbebunt Judæi, quos Antichriſtus ſibi primò conciliabit, judaizando & promittendo eis bona temporalia, quæ ipſi à ſuo Meſſia avidè expectant: dando eis theſauros, quos Dæmon ipſe ſubminiſtrabit ; erit enim opulentiſſimus : cujus opulentiam extollit Daniel cap. 11. dum ait : *& dominabitur theſaurorum auri & argenti, & in omnibus pretioſis Ægypti.* Anſelmus in Elucidario per hos theſauros intelligit omnem pecuniam , quæ in mari vel in terræ viſceribus occultata deliteſcit, & per Dæmonem Antichriſto prodetur ac tradetur. Hinc ergò Antichriſtus à Judæis recipietur, & habebitur quaſi Meſſias promiſſus, totque ſæculis ab iis avidiſſimè expectatus. Habebit verò ſuum Antichriſtus præcurſorem, uti Chriſtus habuit Joannem Baptiſtam. Is erit inſignis impoſtor , videbiturque miracula facere, & coget imaginem Antichriſti ab omnibus adorari. De hoc Impoſtore intelligunt Irenæus, Ribera, Viegas & alii illud Apocalypſeos cap. 13. *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra , & habebat cornua duo ſimilia Agni , & loquebatur ſicut Draco.*

Hæc porrò beſtia nequiſſima, imitatione quadam conabitur fungi quodammodo officio Spiritûs Sancti. Antichriſtus enim (inquit Joſephus Acoſta *lib.*1

d

le tempor. noviss. cap. 17.) qui volet coli ut Deus, imi-abitur mysterium SS. Trinitatis, quæ est in Deo, scili-et ut Draco infernalis seu Diabolus sit Pater, Anti-hristus sit filius, hic vero impostor seu præco sit instar piritûs Sancti. Sicut enim Patri Christus defert, & Christum Spiritus Sanctus clarificat: ita Antichristus olet Diabolum ut Patrem suum, Antichristum verò seudopropheta iste signis magnis, ope Dæmoniacâ pa-atis, prædicabit & nobilitabit. Ita citatus Acosta, ui etiam ibidem *cap.* 11. mirum cujusdam præcursoris ntichristi in Peru à se visi refert exemplum: qui cùm sset Doctor Theologus, & quasi oraculum illius loci aberetur, à muliercula deceptus, dicebat se esse re-emptorem mundi per efficaciam, Christum verò fuis-e tantùm per sufficientiam; ideoque flammis traditus, ertinax in sua superbia & hæresi, bis miser, à morte ræsenti ad æternam transiit.

CAPUT V.

Antichristus erit similis bestiæ.

S. Joannes in Apocalypsi sua cap. 13. ait: *Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem cornua decem, & super cornua ejus decem diademata, super capita ejus nomina blasphemiæ. Et bestia, quam di, similis erat pardo &c.*

Per hanc bestiam communiter intelligunt Doctores ntichristum, ob bestialem ejus feritatem. Unde Gregorius Nazianzenus jambico 5. ait. *Quid est ntichristus? bellua venenum vomens.* Porrò septem pita hujus bestiæ designant litteraliter septem eges, qui præcedent Antichristum, quorum regna se unus occupabit. Symbolicè verò septem capita nificant Regum discordiam ac dissidia. Hinc olim

Soly-

Solymannus Turcarum Imperator, ut suum imperi-um potentius esse imperio Cæsaris ostenderet, ejus Le-gatis dixit: *se esse Draconem unius capitis, sed multa-rum caudarum; Cæsarem verò & Christianos esse Dra-conem multorum capitum, sed unius caudæ*, quasi dice-ret: meum Imperium est monarchicum, ideoqu concors & validum: Christianorum verò Imperiu est polyarchicum, ideoque discors & imbecillum.

Per decem illa coronata cornua intelliguntur de-cem Reges, qui veniente Antichristo erunt in orbe, quibus ipse tres prælio profligabit, & occidet, mox ca teri septem territi, sponte se ei subdent, uti docet Dani Propheta *cap.*7. Comparatur autem Antichristus pa do, quia hæc bestia est maculosa, crudelis, sanguina ria, velocissima. Talis erit & Antichristus, scilic maculatus omnibus sceleribus & versatilis in omn fraudes ac dolos: item sanguinariæ Crudelitatis, plurimorum homicida: atque insuper velocitat inusitatę, quia fulminis instar pervadet orbem, eumqu sibi subigendo, ingentem inde plausum triumphum gloriam obtinebit: cujus symbolum est ocellata speciosa pellis pardi.

Prætereà non ineptè, meo quidem judicio, comp rari potest Antichristus cum ariete. Nam aries an mal apprimè pugnax, convocato in caput suum to robore, nervoque Martio, tantâ pugnandi contenti ne, tantâ victoriæ cupiditate in adversum rivalis capu adverso & ipse capite incurrere solet, ut majori (si pa va licet componere magnis) vix fuerit pro fortun Græciæ decertatum: tantâ ictûs vehementiâ feri consuevit hostem, ut mirari liceat, referri integra prælio præliantium capita; quæ sanè si non carnea, se silicia forent, crediderim, collisione attrituque veh mentiore, excutiendas scintillas, vel in Trojanum i cendium suffectura.

Ati

Arietinam hanc indolem imitabitur Antichristus, quando suo pugnaci & turbulento, adeoque verè arie-ino, imò plus quàm arietino, quia impio & sacrilego, quia cædes & vulnera spirante, quia sacris & non sacris xitium machinante capite, in Deum pariter ac Divos npinget; cùm enim nullum Divis, sed omnem Deo, oc est, sibi ipsi (neque enim atheus præter se alium gnoscet Deum) sit impensurus honorem, omnem eipsa & Deo & Divis honorem auferet: quorum ta-ien frequenter erit memor, sed semper cum contume-a & injuria, præsertim Divorum, quos optimè coli do-ebit, si contemnantur, & ne quidem in imagine tole-entur. Incurret etiam hic truculentus aries in templa aras, quando aras & haras, sacra & profana permi-ebit, templisque dejectis & eversis, arando magis uàm orando ea colere, exemplo suo edocebit. In-irret item hic aries in sacras leges, quia legem condet vendi sine legibus, & exlegem promulgando liber-tem, veram reipsa libertatem opprimet: jugum-ie Christi leve & suave excutiendo, jugum ipse gra-ssimum admirando simulationis artificio, imponet, on sibi tamen, sed aliis; quia novus hic Legislator pra leges gradietur, ut vel hinc intelligi possit, ab eo ges conculcatas esse. Arietabit præterea ferocissi-us iste aries sacras Indulgentias, quas in exilium mit-ndo, vitiorum omnium faciet indulgentiam. Arie-bit sanctissima Sacramenta, Sacramentorum Mini-os omni crudelitatis genere persequendo. Arie-bit viventes ac morientes, quia utrosque ita concu-t, ut illis fidem, istis spem, utrisque charitatem excu-t. Arietabit superbos & humiles: nam super-s non feret, quòd ipse superbus sit: humiles non erabit, quòd ipse humilis non sit. Arietabit riam, quia rependet ei interitum, à quâ vitam

hau-

hauſerat. Arietabit Orbis Chriſtiani Principes, & optabit Reipublicæ fidelis capita videre ſine capite, Imperatorem ſub imperio, Magnates in ſervitute. Arietabit denique hic Aries Orbem univerſum, terrâ ipsâ ſub tam execrabili pondere ingemiſcente.

CAPUT VI.

Antichriſtus falſis & fictis miraculis aliisque fallaciis conabitur homines ſeducere.

IN epiſtola 2. ad Theſſalonicenſes cap. 2. ſcribit S. Apoſtolus Paulus de Antichriſto in hæc verba: *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet Spiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventûs ſui eum: cujus eſt adventus ſecundùm operationem Satanæ in omni virtute & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt.*

Ex his verbis non obſcurè perſpicimus, Antichriſtum, ad homines ſeducendos, uſurum multis fallaciis, dolis, fraudibus, & artificiis: primùm quidem, comitate magna, & gratiâ ſingulari ſe inſinuandi, captandique hominum benevolentiam. Deinde hypocriticâ probitate, & ſanctimoniâ ſimulatâ. Tertiò ſapientiâ & eloquentiâ incredibili; callebit enim omnes artes & ſcripturas. Quartò, promittendo & largiendo; poſſidebit enim ingentes opes ac theſauros. Quintò, reluctantibus inferendo terrores, & tormenta exquiſita. Sextò, faciendo ſigna & prodigia rudibus admiranda.

Circa quæ ſigna & prodigia obſervandum eſt, nec Antichriſtum, nec Dæmonem poſſe facere verum miraculum, ſed ſolum Deum. Miraculum enim eſt

quo

quod fit ſuper omnem naturæ vim, quodque omnium naturalium cauſarum & creaturarum vires excedit, & tranſcendit. Itaque Antichriſtus faciet miracula, non tamen vera, ſed ficta, falſa & mendacia: & quidem quadrupliciter, ſcilicet ratione & reſpectu omnium quatuor cauſarum. 1. Reſpectu cauſæ finalis: quia eo ine faciet illa Antichriſtus, ut homines in mendacium & errorem inducat; nimirum, ut per hæc miracula robet ſe eſſe Meſſiam & Deum, ſicuti fecit Chriſtus. ta SS. Ambroſius & Chryſoſtomus. 2. Ratione cauſæ efficientis, quia eorum Architectus erit pater mendacii, nimirum Diabolus. 3. Ratione cauſæ materias erunt præſtigia, quibus Antichriſtus faſcinabit oculos hominum, ut videatur facere id, quod revera non ciet. Erit enim Antichriſtus (inquit Cyrill. *catech.* 15.) magia inſtructiſſimus. 4. Reſpectu uſæ formalis, nam quæ ex hiſce non erunt præigia, naturaliter fient per applicationem occulm cauſarum naturalium. Unde mira quidem unt, non tamen miracula, quæ omnes naturæ vis ſuperent.

Cæterùm *Apocal.* 13. ſpeciatim tria miracula Anchriſti deſcribuntur. Primùm, quòd unum è Regis ſibi ſubjectis, vel potiùs ſeipſum plagâ mortiferâ n bello, vel aliunde acceptâ) ſaucium, ſanaturus . Hæc tamen plaga reipſa non erit mortifera, ſed l talis hominibus videbitur tantùm (inquit Cornes) vel ſi revera erit incurabilis, id tantùm erit reſpeu artis & opis humanæ; Dæmoni enim totum cors noſtrum pernoſcenti & pervadenti naturaliter rabilis erit: ac proinde nec vim creati agentis trandet curatio, nec miraculum erit. Alterum miralum eſt, quòd Antichriſtus faciet ignem de Cœlo ſcendere. Sed & hoc naturaliter poteſt facere Dæ-

mon; quo pacto scimus eum ciere fulmina, tonitrua, & tempestates, concitando vapores & nubes. Tertium est, quòd Antichristi præcursor & pseudopropheta faciet statuam ejus loqui. Sed neque hoc vim miraculi obtinet; scimus enim Dæmonem sic locutum esse olim per Idola, & per Pythones etiamnum loqui naturaliter.

Adhæc Sybilla *libro 3. Oraculorum* de aliis etiam miraculis mentionem facit; quòd videlicet sistet mare, solem, lunam, & mortuos ad vitam suscitabit: sed addit, non fore signa vera; illudet enim oculis hominum, uti jam per suos circulatores & præstigiatores illudit Dæmon.

Similia de Antichristo tradit Methodius Episcopus & Martyr in suis revelationibus, quæ referuntur *tom. 2 biblioth. SS. Patrum.* Faciet, inquit, multa signa & prodigia sophistica; cæci respicient, claudi ambulabunt, surdi audient, dæmoniaci curabuntur, convertet solem in tenebras, & lunam in sanguinem apparenter.

Et Hippolytus Martyr *Orat. de consummatione mundi:* Leprosos, inquit, mundabit, paralyticos excitabit, expellet Dæmones, longinqua non aliter quàm præsentia denunciabit, mortuos suscitabit, transferet monte ante oculos spectantium, siccis pedibus ambulabit su per mare, deducet ignem è cælo, convertet diem in te nebras, & noctem in diem, solem circumaget, quò li buerit.

Et S. Ephrem *tractatu de consummatione mundi & Antichristo*: transferet, inquit, montes & insulas fallaciter, & currere quidem videbitur mons coram cun ctis spectantibus, licet omnino à suis fundamentis no sit motus, super abyssum incedet, & in ea, ut super ter ram ambulare se simulabit. Magna tribulatio erit i diebus illis, quando seipsum ut Deum ostentabit for mida

midabilibus portentis, per aërem volitans &c. *Ita S. Ephrem.*

CAPUT VII.

De atrocissima Antichristi persecutione: ubi de exercitu & Monarchia ejusdem.

NOnnulli ad declarandam magnitudinem exercitûs Antichristiani, adducunt illud Apocalypsis 9. v.16. ubi dicitur: *Et numerus equestris exercitûs vicies millies dena millia*; id est, duæ myriades myriadum, myrias enim continet decem millia, duæ ergo myriades myriadum sunt ducenta millena millia, sive ducenti milliones. Itaque ducentos milliones equitum, juxta hunc computum, haberet Antichristus. Quantus ergo foret peditatus illius? Verùm hic locus (ut arbitratur Cornelius) non spectat ad Antichristum, sed ad tempora prævia.

Nihilominus indubitatum est: exercitum Antichristi fore maximum, instar arenæ maris, juxta ea, quæ habentur *in cap.20. Apocalypseos.* Atque hujus numerosissimi ac potentissimi exercitûs adminiculo, Antichristus sensim ita suum dilatabit imperium, ut illud non aliis, quàm terræ finibus terminetur, atque ipse tandem totius orbis fiat Monarcha.

Sed ista Antichristi exaltatio & gloria, conjuncta erit cum gravissima & acerbissima Ecclesiæ, Christique fidelium oppugnatione, depressione & persecutione: quam in priscis Gentilium & hæreticorum furoribus adversùs Christum & Christi sponsam, velut in umbra quadam & rudiori imagine delineatum cernere licet.

Inprimis enim quæ primis trecentis post Christum annis sub Nerone, Decio, Diocletiano, aliisque Imperatoribus perpessi sunt Christiani, hæc omnia patientur

simul Christiani tribus annis cum dimidio ab Antichristo, imò longè plura & diriora. Nam Nero & cæteri ejus sequaces fuerunt tantummodò typus & præludium Antichristi.

Deinde quæ de Arrianis, pestilentissimis Ecclesiæ hostibus Athanasius, de Wandalis Victor Uticensis, de Donatistis Optatus Milevitanus & alii scribunt, ea fuêre non nisi umbræ quædam Antichristi & Antichristianæ persecutionis.

Sed præ cæteris exaggerant, ac detestantur Sancti Patres malitiam Imperatorum Constantii & Juliani: quæ tantò fuit nocentior quantò fraudulentior. Etenim Constantius inconstantissimus novas semper fides quærebat, ut Sanctus loquitur Hilarius. Constantius miris artibus & fraudibus orthodoxos pervertere satagebat. Constantius patientiam & lenitatem affectabat, sed per Ministros furorem suum explebat. Constantius in exiliis separabat Confessores ab invicem, ne mutuo se solarentur & animarent: quâ consolatione Decius & Diocletianus eos non privarunt. Constantius volebat videri & haberi Christianus & Catholicus, ideoque Catholicos Orthodoxos ad suam Sectam pellicere satagebat fictâ benevolentiâ, ne videretur imitari sævitiam Decii & Diocletiani, cùm tamen reipsa esset sævior; nam fideles ita discruciabat, ut tamen eos enecari nollet, atque ita ipsi sine martyrio viverent in tormentis. Unde S. Basilius *epist.* 60. asserit, tam atrocem & horribilem fuisse persecutionem Constantii, ut putet eam esse initium persecutionis Antichristi. Et S. Hilarius *lib. ad Constant.* Pugnamus, inquit, contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum. Et infrà, nocentissima hujus Imperatoris blandimenta perstringens, sic loquitur: Non dorsa cædis,

sed

ſed ventrem palpat; non proſcribit ad vitam, ſed ditat ad mortem: non tradit carceri ad libertatem, ſed intra palatium honorat ad ſervitutem: Non latera vexat, ſed cor occupat: non caput gladio deſecat, ſed animam auro occidit: non ignes publicè minatur, ſed gehennam privatim accendit: Chriſtum confitetur ut neget.

Conſtantium, & Conſtantio antiquiores Tyrannos, Decium, Diocletianum, &c. ſuperavit Julianus Apoſtata, ideoque præ illis omnibus fuit typus & præcurſor Antichriſti. Ipſe verò Antichriſtus ſuos omnes typos & præcurſores ſuperabit: quia omnes eorum perſecutiones, quaſi præambulas quaſdam velitationes Antichriſtiana complectetur impietas, & longè tranſcendet. Tunc enim Diabolus extremas iras & vires exſeret. Unde dicitur cap. 12. Apocalypſis: *Væ terræ & mari, quia deſcendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens, quod modicum tempus habet*: Scilicet tres annos cum dimidio, ut patet ex capite citato verſu 14. Nimirum Diabolus imitabitur accipitres in Norwegia, qui celerrimè ad prædam involant, eò quòd ternas tantùm lucis horas habeant, quibus volare & prædari poſſint, ideoque feſtinant, quia ſentiunt diem ſeneſcentem. Idem facturus eſt in fine mundi Diabolus, qui vocatur accipiter Aquilonis.

Quocirca tunc erunt Martyres, ùt teſtatur Hippolytus *tract. de conſummat. ſæc.* prioribus ſæculis illuſtriores & ſublimiores: certabunt enim contra draconem & Antichriſtum omnis nequitiæ principem, & de utroque triumphabunt. Huc ſpectat, quòd S. Thereſa Spiritu Prophetico celebris, afferat duplicem Religioſum Ordinem, S. Dominici videlicet, & Societatis Jeſu, tempore Antichriſti contra hæreticos & Antichriſtianos præ aliis pugnaturum, & Eccleſiam

propugnaturum, atque ideo ex utroque fore illustres, tum Doctores & Prædicatores, tum Martyres. Ita referunt tum alii, tum Franciscus Ribera in ejus vita *lib. 5. c. 5.*

CAPUT VIII.

Eversio Romæ & Romani Imperii per Antichristum & asseclas ejus.

DAniel Propheta *cap. 7.* suæ Prophetiæ præcipua mundi Imperia & Monarchias sibi succedentes ordine recenset. Prima fuit Assyriorum & Babyloniorum, quæ Danieli repræsentata fuit per Leonem. Secunda Persarum, significata per Ursum. Tertia Græcorum, adumbrata per Pardum. Quarta & ultima Romanorum, indicata per bestiam decem cornuum. Post quæ, ut ait Daniel, undecimum parvulum cornu (id est, Antichristus) consurget & crescet, facietque bellum adversùs Sanctos & prævalebit &c.

Est autem communis Patrum sententia, teste D. Hieronymo, *in cap. 7. Danielis*, Romanum Imperium sub finem mundi destruendum. Roma quoque sub illud tempus, ad pristinam Imperii dignitatem, atque etiam ad vetera crimina, & à Christianismo ad Ethnicismum redibit, Pontificemque suum expellet, & fideles persequetur; uti fecit tempore Neronis, Decii & aliorum Imperatorum Gentilium. Unde in Apocalypsi *cap. 17.* Roma sub finem mundi futura, vocatur *Babylon, meretrix magna, sedens super septem montes, ebria sanguine Sanctorum, & Martyrum Jesu, quæ vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes.*

Sed audiamus insulsum, quod Beza nobis hic objicit argumentum. Romæ, inquit, jam non imperat Romanus Imperator, sed Papa Romam occupavit, quo proinde Imperium Romanum destruxit, & est Antichristus.

Miror sanè tam cæcum fuisse Bezam, ut non viderit, aliud

aliud esse Romam, aliud Romanum Imperium; Romanum siquidem Imperium, & Romanorum Imperator sine Roma consistere possunt. Quamdiu enim unus Rom. Imperator alteri in eadem potestate & dignitate succedit, uti hactenus factum vidimus, sive Romæ imperet, sive non, sive plures obtineat provincias, sive pauciores, est & dicitur Romanus Imperator, censeturque Romanum obtinere Imperium. Etenim Româ ab Hunnis & Gothis captâ, non desiit Romanum Imperium, nec Romanus Imperator, uti nec S. Leo desiit esse Romanus Pontifex. Patet id etiam ex communi omnium sensu; omnes enim Leopoldum Imperatorem modernum vocant Romanum; Ipsique adeò Lutherani suos Electores vocant Electores Imperatoris, aut Regis Romanorum. Similiter Valens, Arcadius, Theodosius, & cæteri usque ad Justinianum fuerunt Romani Imperatores, & tamen Româ caruerunt.

CAPUT IX.

In quo loco, & quâ ratione Antichristus sit occidendus?

ANtichristus filius perditionis, homo peccati, caput execrandum, Orbis lues, generis humani opprobrium, pestis Ecclesiæ, juratus Dei hostis, verbo Antichristus, & Antitheus, impletâ propè mensurâ peccatorum suorum conabitur malitiæ & nequitiæ suæ manum supremam imponere. Itaque prædicabit se verum esse CHRISTUM & mundi Servatorem; Christum verò nostrum, impostorem fuisse: quæque de Christi miraculis, regno, morte, resurrectione, & ascensione in Cœlos à Prophetis prædicta sunt, in se uno omnia certissimè implenda.

In quem finem bipedum nequissimus finget plagam lethalem & incurabilem, ex eaque se mortuum simulabit,

 labit,

labit,ac triduò tranſacto, inopinato omnibus ſe redivivum ſiſtet & oſtendet, ut ſcilicet hac ratione imitetur Chriſtum tertio die à morte reſurgentem, ut teſtantur Beda, Primaſius, Richardus, Ansbertus.

Poſt hanc fictam & hypocriticam reſurrectionem, coram toto populo aſcendet in montem Oliveti (uti ſignificat Daniel *cap.*11.) voletque inſtar Chriſti in cœlum aſcendere, ex quo ſe primitùs deſcendiſſe mentietur. Attolletur autem in aëra à Dæmonibus, aſſumentibus ſpeciem Angelorum, cunctis admirantibus, ejuſque divinitati acclamantibus, ut ait Pererius; ſed mox à Chriſto per Michaëlem Archangelum deturbabitur & terrâ dehiſcente, vivus à Dæmonibus rapietur in infernum: ubi cum ſuo Pſeudopropheta cruciabitur die ac nocte in ſæcula ſæculorum, ut habetur in Apocalypſi.

Exercitus verò Antichriſti, igne de cœlis delapſo, totus aſſabitur & concremabitur. Quæ ſtrages quanta futura ſit, declarat S. Johannes in Apocalypſi *cap.*19. *verſ.*17. his verbis: *Et vidi unum Angelum ſtantem in Sole, & clamavit voce magna, dicens omnibus avibus &c. Venite, & congregamini ad cœnam magnam DEI.*

Porrò hic Angelus ſtat in Sole, ad indicandum, hanc Antichriſtianorum Ultionem fieri in oculis totius mundi. Advocatio & Invitatio volucrum ſignificat ingentem fore ſtragem, adeò ut ad Cadavera Antichriſtianorum depaſcenda & devoranda, undique vultures, aliæque Carnivoræ aves advolent. His enim Deus hanc cænam cadavericam, hanc aſſaturam præparavit.

Alludit autem S. Joannes tum ad illud *Jerem.*12. *Venite, congregamini omnes beſtiæ terræ, properate ad devorandum:* tum etiam ad illud *Ezechielis* 39. ubi de eâdem Antichriſtiani exercitûs internecione loquens Deus, ait: *Dic omni volucri & univerſis avibus, cunctisque*

beſtiis

bestiis agri: Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem &c.

Lactantius illam exercitûs Antichristiani cladem paulò aliter *lib. 7. c. 17. & 18.* describens, Cùm hæc, inquit, facta erunt, Justi & Sectatores veritatis segregabunt se à malis & fugient in solitudines. Huc impius Rex inflammatus irâ veniet cum exercitu magno, & admotis omnibus Copiis circumdabit montem, in quo justi morabuntur, ut eos comprehendat. Illi verò, ubi se clausos undique atque obsessos viderint, exclamabunt ad Deum voce magna, & auxilium cæleste implorabunt. Et *cap. 19.* Commotus igitur Deus ancipiti periculo, & miserandâ comploratione justorum, mittet protinus liberatorem justorum. Tunc aperietur cœlum medium intempestâ & tenebrosâ nocte, ut in orbe toto lumen descendentis DEI tanquam fulgur appareat. Et paulò post: Qui priusquam descendat, hoc signum dabit: cadet repente gladius de cœlo, ut sciant justi ducem sanctæ militiæ descensurum. Et descendet ille comitantibus Angelis in medium terræ, & antecedet eum flamma inextinguibilis. Virtus autem Angelorum tradet in manus justorum multitudinem illam, quæ montem circumsederit, & concidetur ab hora tertia usque ad Vesperum, & fluet sanguis more torrentis &c. *Hactenus Lactant.*

Post Antichristi ejusque asseclarum stragem, & atrocissimam Ecclesiæ persecutionem Deus pro sua clementissima bonitate, spatium aliquod temporis concedet, ut Christiani, Judæi, aliique homines à tot plagis, & immani illâ Antichristi persecutione respirare, & resipiscere, si lapsi fuerint, Deoque reconciliari & salvari possint. Quod ut commodiùs præstare valeant, Diabolus ipse cum Antichristo in tartarum detur-

babitur, juxta illud Apocalypsis 20. *Et Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi & bestia* (Antichristus) *& Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.*

Veruntamen homines mundani pretiosissimo illo tempore gratiæ abutentes, sicut pueri amotâ virgâ, ad ingenium redibunt, nubent, & nubentur, potabunt, & epulabuntur, prout in diebus Noë fecerunt, donec ex improviso Deus mundi finem adducat, Christumque Judicem mittat.

DISCURSUS QUINQUAGESIMUS SECUNDUS.

EX SCIENTIA QUODLIBETICA.

De Rebus ad varias scientias spectantibus.

PRÆFATIUNCULA.

SCientia Quodlibetica est Scientia Miscellanea, ut nomen ipsum per se declarat, tractans de rebus variis, ad varias Scientiarum Classes pertinentibus. Unde hanc scientiam non inepte quis comparaverit Virgunculæ curiosæ, quæ amœnissimum Litteraturæ humanæ viridarium ingressa, per omnes Scientiarum areolas vagatur, & ex singulis flosculum aliquem decerpit, odorato serto aut fasciculo inserendum.

CA

CAPUT I.

De nonnullis rebus ad Meteorologiam spectantibus.

OBSERVATIO I.

De Vento quodam mirabili ferrum afflatu suo consumente.

TEstantur Auctores idonei fideque digni, se in diversis Indiæ locis conspexisse clathros ferreos, solo venti afflatu quasi consumptos, seu friabiles redditos; ta ut levi digitorum attactu & confricatione in minutissimas particulas instar stıaminis seu fœni aridi resoluti fuerint. *Joann. Godefridus in Histor. Antipodum part.* 1.

OBSERVATIO II.

De quodam mirabili & exotico vento, qui homines absque sensu doloris perimit, omniaque corpora à corruptione præservat.

Cùm olim Hispani ex Regno Peruano ad Regnum Chiles itinere pedestri & montano proficiscerentur, xperti sunt mitem quendam ventulum, sed sensim sine ensu ita viatorum corpora penetratione intimâ afficientem, ut multi ex illis mortui conciderint, antequam e mori sentirent. Multorum opinio est, virtute hu-us ventuli intimas corporis humani fibras penetrantis, extingui calorem naturalem, sine quo vita consistere nequit. Nonnullis etiam manuum pedumque digiti afflatu ventuli illius deciderunt. Qui insuper ioc sibi habet proprium, quòd nulla cadavera ipsi exposita computrescant. Cujus ea est ratio, quod ventulus ille sit admodum siccus, omnis autem putrefactio à calore & humiditate oriatur. *Joan. Lud. Godefridus loco sup. citato.*

OB-

OBSERVATIO III.

De fulgure & fulmine.

1. In Brasilia rarò decidunt fulmina, at fulgura tanta sunt, ut solem superare videantur. *Josephus Acosta Anno* 1560.

2. Feles, canes, & capras præ aliis animantibus esse obnoxios fulmineis ictibus, experientia testatur. Hinc si tonante & fulgurante cœlo, canis in patenti campo cum homine versetur, territus sub pedibus ejus refugium quærit. Causam hujus experimenti in halitus ex animalium istorum corporibus exhalantes conjicit Bartholinus: quos tanquam materiam cognatam, & nutrimentum aliquod fulminei spiritûs, fulmen ipsum subsequitur. Hinc feles sæpissimè in ipsis domorum limitibus fulmine feriuntur.

OBSERVATIO IV.

De nive & grandine.

1. In Æthiopia nullæ sunt nives, nec in alto mari. *Alvarez de rebus Æthiop.* At in Tartaria etiam æstate decidunt, quas frigus immensum, ventusque omnia abripiens, comitatur. *Hispal.p.4.c.23.citatus à Jonst.in Thaumat.*

2. Anno 1395. grando decidit, quæ humanas exhibuit facies: viriles cum barbis, muliebres cum peplis & crinibus. *Jonstonus in Thaumatographia, de meteoris cap.* 9.

CA

CAPUT II.

Observationes ad Lithologiam, sive ad scientiam de lapidibus spectantes, in quibus ostenditur, multa de adamante à veteribus falsò credita, & errorem ad posteros propagatum fuisse.

MUlta, eaque miranda de adamante tradiderunt veteres, quorum falsitatem posterorum experimenta detexerunt. Existimarunt illi 1. Adamantem nullis ictibus frangi posse. 2. Magneti per eum vim omnem adimi. 3. Ignibus illum sic resistere, ut nunquam incalescat. Contrarium experti sunt complures Neoterici, teste Camerario *Memorabil. Medic. cap.* 8. Nam & in scobem malleo redigitur, & ferreo atteritur pistillo. Ignibus cedit, & in calcem vi flammæ diuturnæ redigitur. Existimarunt item tum veteres permulti, tum recentiores nonnulli, propinato adamantis pulvere dysenteriam gigni, imò eum esse præsentissimum venenum. Sed id falsum compertum non modò in adamante integro, sed etiam in ejus pulvere. Nam mancipia quædam integros devoravêre adamantes, ut furtum tegerent, & rursum integros illæsâ egesserunt valetudine. Drachmæ unius pondere sub forma scobis propinatus adamas non magis quàm panis obfuisse dicitur. *Cardanus lib.* 2. *tract.* 5.

CA-

CAPUT III.

De rebus ad Chromocriticam, hoc est, ad scientiam de natura colorum spectantibus.

OBSERVATIO I.

Modus parandi colorem roseum.

Recipe partes minii duas, cerussæ partem unam quæ conterendo probè misceantur. Vel sume auripigmenti, & minii, æquales utriusque partes, & agitando bene commisce. *Weckerus de secret. lib.* 16.

OBSERVATIO II.

Modus conficiendi colorem flavum & luteum.

Recipe baccas rhamni circa festum S. Laurentii lectas, illisque contusis adde paululum aluminis triti, & in vase æneo asserva.

Vel accipe cortices mali, quibus detrahe, & abjice tunicam asperam exteriorem, reliquas in frusta seca, superinfunde aquam, pone ad ignem, ut bis terve ebulliant, adde alumen tritum, & sine adhuc semel bullire.

Optimum parabis colorem luteum, si ovi vitellum cum croco permiscueris. Vel excipito crocum & alumen tritum panno lineo, superinfunde acetum, & exprime. Item poteris invicem commiscere crocum, vitellum ovi, gummi Arabicum, & alumen, atque ad usum reservare.

OBSERVATIO III.

Modus parandi colorem viridem.

Baccas rhamni post festum S. Michaëlis lectas contunde, aquam superinfunde, aluminis pauxillum adde. Deinde probè commisceantur, & per duos dies relinquantur.

Elegantem colorem viridem paraturus, accipe mellis quantum ſatis, cui affunde paulò plus aceti, commiſce invicem diligenter in vaſe vitreo vel cupreo (quod melius) quo obturato, per duodecim dies fimo immoretur.

OBSERVATIO IV.

Quod plantæ & animalia nigri coloris ſint malæ notæ, ſecus aromata.

Quæcunque plantæ atro colore ſqualent (inquit Kircherus *in Arte Magna lucis & umbræ lib.1.part.3.*) atræ ſe bilis alumnas hoc ipſo lugubri indumento monſtrabunt. Imo aliquid humanæ naturæ contrarium & deleterium portendunt. Unde Pythagoras ajebat, res atri coloris ad mortem pertinere. Hujuſmodi herbæ ſunt hyoſciamus, ſmilax, mandragora, apii, ſolani, & papaveris plura genera, aliæque conſimiles herbæ ac plantæ, quæ partim atris, partim luteis, cinereiſque, aut maculoſis pallore interfuſo floribus conſtant. Earum noxii effectus ſunt tetra ſomnia, bilis atræ augmentum, vertigo, epilepſia, lethargus. Semina hyoſciami devorata non homines tantùm, ſed & reliqua animalia vertigine perculſa dementant. Napellus quàm formidandus ſit, ipſo flore, mortui hominis cranium exprimente, ſatis demonſtrat. A faba quoque pallidæ indolis herba Pythagoras non ſine ratione ſuos diſcipulos abſtinere voluit, quòd ſumentibus frequenter errorem ſtuporemque animi cum inſigni perturbatione afferat, flatulento verò vaporis halitu, ſatyriisque affectibus ſuis ita eundem convellat, ut ſapientiæ ſtudioſos reddat incapaces ad mentis actiones cum dignitate obeundas: idque addito quodam à natura ipſi impreſſo characteriſmo demonſtrat: ſiquidem humor, quo macerata fuit, atrâ quadam fuligine tinctus remanet.

Idem

Idem de animalibus nigris judicium esto: quorum carnes frequenti usu melancholicum commovere augereque humorem, quartanas inducere febres, carcinomata causare consueverunt, ut plerique testantur Medici. Hanc ob causam bubalus nigrâ carne, & pilo, tetroque aspectu formidabilis in cibo vetatur. Feles quoq; nigri coloris, cùm venenatâ quadam & lethiferâ qualitate cerebri meatus obstruunt, epilepsiæ, aliorumque symptomatum lethiferorum causa sunt. Pili ejusdem animalis phthisim efficiunt. Eandem ob causam à noctuæ, hirundinis nigræ, aliarumque nocturnarum avium esu, atque universim à carnibus nigris, cujusmodi est lupina, bubalina, anatina, pavonina &c. abstinendum esse suadent Medici, qui tales carnes pessimi succi esse judicant.

Alia Ratio est de pipere, lapide Bezoar, balsamo, baccis juniperi, aliique similibus, quæ licet colore nigra sint, non tamen obsunt, sed prosunt potiùs, quia sua vi aromatica cor spiritusque vitales quàm maximè roborant; quia rerum istarum nigredo ex differenti prorsus temperamento oritur: constat enim quadam igneâ & solari virtute, suntque temperamenti calidi, sicci & adusti, cujus dicta nigredo veluti quidam index est. Adhæc specificâ quadam dote, qua, sicut & alia omnia ferè aromata cor vitæ fontem roborant à naturâ prædita sunt. Illa verò, quæ dixi feralis aspectûs animalia & plantæ, ex frigido humido, vel frigido sicco temperamento, crassoque & fuliginoso succo constant, atque insuper malignam indolem ips[...] gravis eorundem odor, cùm nescio, quod virulentum oleant, manifestat.

OB

OBSERVATIO V.

Judicium Physiognomicum de iis Hominibus, qui colore nigri sunt.

Observant Physiognomi, omnes homines, qui valle nigri sunt, esse timidos, imbecilles, præcipitis consilii, inconstantes. Ratio physica est, quia cùm ab externo calore intenso evocetur interior, fit, ut partes nteriores naturali calore destitutæ frigescant, & accientali calore subinde incalescant. Atque hæ sunt ausæ prædictarum dispositionum in Æthiopibus. Nigrescunt verò illi humore evocato ad cutem, ibique dusto. Illis enim, quorum exteriora nigra sunt, evoatus est humor cum calore ad partes exteriores, ibiq; b externo calore ambiente adustus.

CAPUT IV.

De rebus, quæ ad Phytologiam, sive ad scientiam de Plantis & vegetabilibus pertinent.

OBSERVATIO I.

Antipathia inter Cucurbitam & Muscas atque Culices.

ANtipathiam intercedere inter cucurbitam & muscas atque culices, experientia comprobat, quâ ixus *Auctor Joco-serior. Naturæ & Artis Centur. 3. ropofit. 44.* asserit, equum à muscis & culicibus non edi, si pili ejus succo foliorum cucurbitæ madefacti ierint.

OBSERVATIO II.

Antipathia inter Radicem Cinaræ, & Gonorrhæam Veneream.

Hanc antipathiam Joannes Langius à Weckero *lib.5.de secret.* citatus, ex eo colligit, quòd radix cinaræ in vino cocta & pota, sit præsens remedium adversùs morbum illum, videlicet gonorrhæam venereeam, additque seipsum felici successu id probasse.

OBSERVATIO III.

Lappa medicamentum nephriticum.

Si semen inventum in pilulis & globulis lappæ minoris in levissimum pulverem redigatur, & cum pauco vino albo & generoso adhibeatur, renes ab arenulis efficacissimè repurgabit, sed aliquanto celeriùs, si cum aqua vitæ sumatur. *Mizaldus ab experto.*

OBSERVATIO IV.

De Nasturtio, herba sternutatoria.

Tragus *part.1. herbarii cap.26.* triplex distinguit nasturtium, hortense, aquaticum & pratense. Prim[...] semen mordacius est, quàm folia. Et de hoc nastur[...]tio hic præcipuè sermo est, cùm dicitur illud habere vim provocandi sternutationem.

Aliqui facturi jocum inter saltantes, & lætitiam lu[...]dicram inter eos excitaturi, nasturtii semina ac foli[...] siccata comminuunt in pulverem, & pavimentum loc[...] in quo choreæ ducendæ sunt, clam aliis pulvere illo in[...]spergunt: qui saltantium motu elevatus, & tam horum quàm spectantium nares ingressus, eas vehementer ve[...]licabit, tantamque omnium sternutationem excitabi[...] ut in cachinnos soluti, saltum interrumpere cogantu[...] Eundem effectum facit pulvis ille, si pulveri tabaci m[...]sceatur, & naribus attrahatur.

OB[...]

OBSERVATIO V.

De herba in quā sericum nascitur.

In Virginia novi Orbis Provincia est herba, in cujus foliis præstans nascitur sericum, membranæ tenui splendenti simile. Alta est duos pedes & dimidium; foliorum longitudo duorum pedum est, latitudo dimidii. In Anglia specimen hujus texturæ confectum est. Ibi enim tela integra è stamine serico, à prædicta planta desumpto, confecta, pro bona & legitima est habita. *Arioth. in Virginia.*

OBSERVATIO VI.

Quomodo sciri possit, quot grana habeat malum punicum?

Unum malum punicum aperi, ejusque grana numera, quotque in eo repereris, tot in singulis malis punicis esse judica. *Aphricanus & alii.*

OBSERVATIO VII.

Laudabilis consuetudo, ut à novo subdito nova arbor plantetur.

Laudabilis, totique Reipublicæ proficua consuetudo in quibusdam locis Ducatûs Würtembergici introducta est, ut quilibet post receptionem in subditum, arborem novam frugiferam in loco quodam communi plantare teneatur: Er muß auff die Allmandt ein fruchtbaren Baum setzen lassen. *Speidel. in Specul. Jurid. Polit. Hist. observat.*

OBSERVATIO VIII.

Modus arbores sylvestres exstirpandi.

Lupini florem in succo cicutæ uno die macerato, & ablaqueatis arborum eradicandarum radicibus inspergito. Vel diebus canicularibus illas ad medullam usque perforato, & petroleum cum sulphure injicito. *Democritus & Plinius.*

OBSERVATIO IX.

Lucrum ingens ex arboribus ſylveſtribus.

Arbores ſylveſtres, præſertim ſi glandiferæ ſint ærario locupletando plurimùm conducere, teſtatu Klockius *in tract. de ærario lib. 1. cap. 2. num. 47.* ub ait, unam Haſſiæ ſylvam, ſi glandis copia ſuppetat an nuatim 200000. porcis ſagiandis ſufficere, & lu crum inde proveniens ſummam 30000. florenorun ſuperare.

CAPUT V.

De rebus, quæ ad Zoologiam, ſive ad Scientiam de Animalibus pertinent.

OBSERVATIO I.

De Eruca noctiluca, præſentiſſimo veneno tangentem necante.

SCribit Herrera *in nova Hiſpania,* reperiri in mon tibus Quatimalenſibus Americæ, genus quod dam erucæ, quod nemo impunè & ſine vitæ pericul contrectet; unde luce ventri ejus innata, veluti lampa de quadam, viatores monet, tanquam peſtem fugien dum eſſe animalculum, quod tam exitiali luce coru ſcat.

OBSERVATIO II.

Araneus Bufonis victor, & Hominis liberator.

In Britannia ſolum conclavium ſcirpis virentibu conſterni ſolet. Quidam faſciculos aliquot in cubicu lum congeſſerat, ſparſurus cùm eſſet commodum. cùm à prandio ſupinus in conclavi dormiret, bufo in gens è faſciculo erepſit, & os dormientis obſedit, in fixis ſuperno atque inferno labro quatuor pedibu Detrahere certa mors erat, non amovere morte crude

liu

ius. Suaſu quorundam ſub feneſtram delatus eſt ſupinus jacens, in qua ingens araneus telam texuerat. Ille conſpecto hoſte ſuo ſe librat, bufonique ſpiculum infigit, quod cùm tertio ictu repetiiſſet, abduxit bufo pedes, ruptusque vi veneni decidit. Hanc hoſpiti ſuo gratiam rependit araneus. *Eraſmus, & ex eo Schenckius obſervat. 7. lib. obſervat.* 115.

OBSERVATIO III.

Bufo manantem è corpore ſanguinem ſiſtit.

Geſnerus apud Jonſtonum *in Thaumatographia claſſe* 10. *cap.* 3. *art.* 3. commemorat, Fridericum Saxoniæ Ducem, bufonem veru ligneo transfixum, in umbra diligenter arefactum, ſindone involutum, hæmorrhagiâ laborantibus, tam diu manu tenendum dediſſe, donec intra manus incaleſceret; atque ita ſanguinem repreſſum fuiſſe.

OBSERVATIO IV.

Quòd Mures & Sorices vim habeant partem corporis piloſam reddendi depilem.

Mizaldus ait, urinam murium & ſoricum piloſam corporis partem reddere depilem: reſtitui verò pilos talparum ſanguine, aut earundem pelle, ſi ei loco affricentur. Quod ſubjungo, lepidum & certâ experientiâ comprobatum eſt.

Vir mihi notiſſimus, ex cujus ore hiſtoriam habeo (inquit *Schottus Phyſicæ curioſæ lib.* 3. *cap.* 23.) cùm Romæ brumali tempore ſub veſperum domum ex Urbe revertiſſet, & clauſis ad primum ingreſſum cubiculi feneſtris ac valvis, illatoque lumine, ad ſtudendum ſe compoſuiſſet; videt ingentem ſoricem ad valvas interiores cubiculi oberrantem, & exitum quærentem:

ingressus enim absente viro illo per fenestram apertam, inclusus manserat. Arripit ergo baculum, qui fortè ad manum erat, & sorici ad parietem arrepranti tam validum infligit ictum, ut sanguis per baculum ad manum usque momento temporis, percutiente id minimè advertente, magnâ copiâ deflueret, manumque commacularet. Quo facto, abjicit per fenestram apertam soricem, & studia prosequitur, mentum cum maxilla dexterâ sustentans manu, cubitoque mensæ innixo, ut facere solent, qui libros meditabundi legunt. Die sequenti cùm primùm in conspectum venit Collegarum suorum, risu excipitur & cachinnis: erat enim (quod ipse non adverterat) menti pars dextera, dexteraque maxilla penitus depilis, pars verò reliqua pilis hirsuta. Subitò igitur è conspectu hominum se subducit, & partem quoque alteram barbæ abradi novaculâ curat, antitotumque ad pilos recuperandos adhibet. At cum pili jam crescerent, non minori quàm antea risu excipiebatur: erant enim qui de novo erumpebant, mollissimi instar lanæ, reliqui verò setarũ in modum duri; nec parum exspectandum fuit, donec ad æqualem utrique duritiem reducerentur.

OBSERVATIO V.

Antipathia inter aconitum, & scorpiones.

Antipathiam esse inter aconitum & scorpiones, ex eo liquet, quòd hi torpeant aconiti tactu, stupeantque pallentes, ut loquitur *Plinius Hist. Natur. lib. 27. cap. 2*. Unde aconitum in vino calido datum, scorpionibus eorumque ictibus adversatur. Mirandum sanè, quòd cùm hæc duo sint exitialia venena, in homine tamen commoriantur, ut homo supersit, & vivat.

OBSERVATIO VI.

Serpentes ut absque periculo tractari possint.

Succus raphani, perunctis eo diligenter manibus effici

fficit, ut securè & absque periculo serpentes tracta-
e possis. *Cardanus ex Tarentino.*

OBSERVATIO VII.

Serpentes quomodo capiantur, aut fugentur.

Serpentes vini incontinentes sunt; ideo eos aliqui
vino in fictilibus ad sepes deposito venantur; ebrii
enim capiuntur. Fugiunt verò è loco, ubi absynthi-
um, aut artemisiam, aut abrotonum circa eum planta-
veris, aut meliùs fraxini cineribus locum consperseris.

OBSERVATIO VIII.

Contra ictus seu morsus serpentum.

Si à serpente quispiam morsus fuerit, nisi febricitet,
bibat succum è foliis fraxini, vino albo generoso exce-
ptum, foliisque ipsis tegat morsum. Miraculum (inquit
Mizaldus) à multis felici successu probatum expertum
demirabitur.

OBSERVATIO IX.

Serpentum regeneratio.

Serpentes (inquit S. Gregorius Nyssenus *orat.* 3. *de
resurrect. Christi*) licet vivida alioquin animalia sint,
hyberno frigore enecti, sex mensibus in cavernis terræ
delitescunt immobiles. At cùm statum tempus adve-
nerit, & tonitrua in mundo audita fuerint, fragor ille
nubium ipsis est quasi signum surgendi: quare celeri-
ter exsiliunt, & post tot mensium veluti mortem ad
consueta opera prodeunt.

OBSERVATIO X.

Canes officio militum fungentes.

Inter memorabilia refert Plinius *lib.* 7. *c.* 40. quòd
Garamantum Regem canes ducenti ab exilio reduxe-
rint, præliantes contra resistentes.

Propter bella etiam Colophonii, itemque Castaba-
lenses, militares canum cohortes habuêre, quæ primæ

dimicabant in acie, nunquam prælium detrectantes. *Majolus in diebus Canicularibus tom.* 1. *Colloq.* 7. Huc ſpectat quod, ut refert Ovetus *lib.*16.*hiſt. c.*11. Canes in Hiſpaniola Inſula in militum Catalogo conſcripti, duplicique ſtipendio donati fuerint.

OBSERVATIO XI.

Mira canis benevolentia ac beneficentia erga hominem captivum & famelicum.

Boſſius *in Hiſtoria Rhodiana* commemorat, unum aliquem ex Chriſtianis à Turcis profugum, in profundam ciſternam, aquâ tamen vacuam, deſcendiſſe, ſuis viribus exinde evadere non potuiſſe, canem odoratu hominem miſerum inveſtigaſſe, repertoque panem diurnum dimidiatum, ſibi in eſcam deputatum, quotidie attuliſſe; ipſum verò canem à demenſo quotidiano detracto, poſt aliquot dies extenuatum, cuſtodi ſeu nutritori, cur præter ſolitum macreſceret, admirationem primùm, deinde voluntatem explorandi injeciſſe, atque ad ciſternam dimidiam panis partem ferentem, injicientemque vidiſſe; Chriſtianum verò in ciſterna deliteſcentem beneficio canis ſervatum, vitaque donatum fuiſſe.

OBSERVATIO XII.

Caſeus ex lacte Hirci.

Rem inuſitatam, planeque exoticam refert Ariſtoteles *lib.*3.*hiſtor. animal.* ubi ſcribit, hircum quendam in Inſula Lemno tantum lactis ad mulctram dediſſe, ut ex eo minuti caſei confecti fuerint.

OBSERVATIO XIII.

Memorabiles Caprarum proprietates.

Capras perhibent non minùs noctu, quàm interdiu cernere. Ideo caprino jecore ſi veſcantur Nyctalopæ, veſpertino reſtituuntur viſui.

Capras

Capras & auribus & naribus respirare, ex eo colligit Ælianus, quòd Naso obstructo nil offendantur.

Nunquam non febri laborant capræ. Itaque in emptione capras sanas sanus nemo promittit. *Varro lib.* 1. *de re rustica cap.* 3.

Capræ Gymanteæ sex integris mensibus non bibunt, sed mare intuentes, atque ore hyantes auras excipiunt, hac ratione sitim levantes.

Capræ sylvestres in Lybia sunt magnitudine boum, tam agiles, ut in distantissima saliant cacumina, tantâ membrorum duritie, ut nec frangant cornua, nec caput diminuant delapsæ. *Ælianus lib.*14.*cap.*16.

CAPUT VI.

De nonnullis ad Anthropologiam, sive Scientiam de Homine pertinentibus.

OBSERVATIO I.

De variis nominibus, quæ variis hominibus ob varias causas imposita fuerunt.

THeotimus Episcopus Tomitanus, ab Hunnis, qui ad Istrum habitabant, ob frequentia & illustria, quæ patrabat, miracula, *Romanorum Deus* appellatus fuit. *Nicephorus lib.*21. *cap.*45.

Anaxagoras Clazomenius, ob admirandam physiologiæ scientiam, *Mens* dictus fuit. *Cælius lib.* 9. *Antiq. Lect. c.* 5.

Phocion Atheniensis, ob frugalitatem *Chrestus* sive *Bonus* est cognominatus. *Alex. lib.*2. *c.*11. *ex Plutarcho.*

Ariſtides ab eximio cultu juſtitiæ appellationem *Juſti* ſortitus eſt. *Plutarchus in Ariſti.*

Quintum Metellum antiquitas appellavit *Pium*, quòd Patrem aſſiduis precibus & lacrymis ab exilio revocaverit, *Volater. lib.* 17. *Anthrop.*

Hermes *Triſmegiſtus* dictus eſt, quòd apud Ægyptios maximus Philoſophus, maximus Rex, & maximus Sacerdos extiterit. *Beyerlinck in Theatro vitæ hum.*

Cognomen *Magni* Alexandro Macedoni & Cn. Pompejo Romano attributum eſt. *Plutarch. in Sertorio.*

Quintus Fabius ſalutatus eſt *Maximus*. Cui hanc gloriam invidens Scipio: qui fit, inquiebat, ut tu conſervandis duntaxat exercitibus, *Maximi* cognomen adeptus ſis: ego cum hoſtibus confligendo, *Magni?* Reſpondit Fabius: At niſi ego tibi milites conſervaſſem, tu non habuiſſes, quibus hoſtes vinceres. *Polyænus lib.* 8.

L. Cornelius Sylla ob fortunatos in præliis ſucceſſus cognomen *Felicis* adſcivit. *Cælius lib.* 24. *cap.* 6. *Antiq. Lect.*

Philippus Burgundiæ Dux *Audacis* cognomen accepit, quòd ſaltu periculoſo menſam tranſilierit, ut Carolo VI. Regi Gallorum proximus ſederet. *Beyerlinck in Theatro vit. hum.*

Chærephon tragœdiarum ſcriptor, à lucubrationibus nocturnis, quibus majorem in modum extenuatus erat, cognomento *Noctua* appellatus fuit, ut Ariſtophanes teſtatur.

Archilochus Parius, quòd loquax & vocalis eſſet, *Cicada* cognominatus eſt. *Lucianus in Pſeudologiſta.*

Quintus Fabius Maximus Dictator, propter beni-

gni-

gnitatem & mansuetudinem naturæ cognomen *Ovicula* meruit. *Volater lib.16. Anthrop.*

Diogenes vulgò *Canis* dicebatur. Cùm autem varia sint canum genera, percunctanti qualis ipse canis esset? lepidè respondit: *esuriens, Melitæus, satur, Molossus:* quòd cibi appetens blandiretur: saturatus, morderet. *Laërtius lib. 6.*

Simili cognomento insignitus fuit Franciscus Dandulus Venetorum Dux, quòd cùm apud Clementem Pontificem pro Venetis Legatus fuisset, neque alia ratione iratum Pontificis animum propter ereptam Ferrariam placare posset, catenâ collo innexâ quadrupes Pontificem cœnantem accessisset, eoque consilio iram illius expugnasset. *Egnatius lib.3. c.3.*

Paulus Jureconsultus Patavinus, qui Anno Christi 230. sub Alexandro Severo Imp. floruit, propter eximiam juris civilis peritiam *Jureconsultorum Coryphæus* appellatus est, teste Politiano.

Origenes *Syntacticus*, id est, *Compositor* nuncupatus est, quod multos libros composuisset. *Suidas.*

Tatiano Oratori cognomen *Simiæ* inditum est, quòd omnia ingeniosè imitando exprimeret. *Cælius lib.3. c.10. Antiq. Lect.*

Robertus Auberti Ducis ex Ida Burgundiorum Ducis sorore filius, ob vitæ turpitudinem Diabolus est appellatus: qui tandem resipiscens sanctitatis opinionem obtinuit. *Guagninus lib.3.*

Carolus quidam Francorum Rex propter ignaviam, & quod nihil serium ageret, dictus est *Maleferiatus.* Ita scribit *Ritius lib.1. Reg. Franc.*

Tiberius Cæsar propter nimiam vini appetentiam pro Tiberio *Biberius*, pro Nerone *Mero* appellatus est. *Suetonius.*

Titum Vespasianum Romani, propter humanitatem,

tem, mansuetudinem & popularitatem *Delicias generis humani* appellavêre. *Fulgosius lib.5. cap.1. ex Suetonio.*

Marcus Antonius Pius Imp. cùm nimiùm curiosus esset, poneretque maximam diligentiam in quibusdam reculis indagandis, *Cuminisector* appellatus est. *Dion & alii.*

Cornelius, quia Patrem cæcum baculo regebat, *Scipio* cognominatus, nomen ex cognomine posteris dedit. *Macrobius lib.1. Saturnal. c.6.*

Livio Salinatori, quòd ex sale novum vectigal constituisset, sal cognomentum dedit. *Ex Histor. Roman.*

Scarbicus Comes missus cum aliis ad Henricum IV. Imperatorem à Boleslao III. Polonorum Rege, Glogoviæ ab Imp. obsesso, ut pacem peteret: cùm Cæsar legatis thesaurum ingentem ostenderet, his verbis: Hic, inquiens, Polonos perdomabit; Scarbicus legationis Princeps jactantiam Cæsaris repressurus, annulo, quem digito gestabat, in thesaurum projecto: Aurum, inquit, adjiciamus auro. Quod scomma intelligens Cæsar, gratias agendo illud elusurus dixit Germanicè Hab Danck. Unde familiæ Scarbicianæ id nomen adhæsit, ut *Habdanci* dicantur. *Cromerus lib.5.*

Curiones apud Romanos à curis, quibus macilentiores redditi fuerant, denominati sunt. Ex qua Gente tres præcipui oratores lumen totius Senatûs atque Imperii fuêre.

Philippum II. Regem Francorum *Adeodatum* vocitarunt, quod obsecrationibus eum Pater Ludovicus tertia tandem ex uxore, ipse magnus natu impetrasset. *Æmil. lib. 6.*

Ericus Canuti Fratris Regis Vandalorum cædem cùm ulcisci conaretur, crebris præliis victus, *Pedis Leporini* cognomen accepit, quòd frequenter fugâ sibi consuleret. *Cranzius lib.3. Vandaliæ c.36.*

M.Craf-

M. Crassus avus ejus, qui bello Parthico interiit, eò quòd nunquam in vita riserit, *Agelastos* cognominatus est. *Cicero Tuscul. quæst. lib. 3.*

Scipio Africanus minor, eò quòd defuncta parente excisus utero, in lucem venerat, primus Romanorum Cæsar dictus est. *Silius Italicus lib. 13.*

Gratianus Imperator *Funarius* est dictus, quòd ei funem quinque etiam robustissimi milites è manu extorquere nequierint. *Paulus Diaconus & alii.*

Papyrius, à pedum pernicitate, quâ victor omnium suæ ætatis æqualium fuit, *Cursoris* nomen accepit.

Artaxerxes Persarum Rex Longimanus vocatus est, quòd manum dexteram haberet alterâ longiorem. *Plutarchus in Artaxerxe.*

Antimachus Poëta cognominatus est *Psecas*, id est, *Pluvia*, quod inter colloquendum sputo adstantes conspergeret. *Suidas.*

Corneliis datum est cognomentum *Asinæ*, quoniam Princeps Corneliæ Gentis empto fundo, cum sponsores ab eo solenniter poscerentur, asinam pecuniâ onustam produxit in forum, quasi pro sponsoribus præsens pignus. *Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 6.*

Otho IV. Imperator, qui 38. annis imperavit, ob rerum gestarum magnitudinem *Miraculum Orbis* appellatus fuit. *Bern. Corius in ejus vita.*

Julianum Imperatorem ab hirsutie *Capellam* nuncuparunt. Idem *Simia purpurata* audiit. *Cælius lib. 25. c. 17.*

OBSERVATIO II.

Locus, in quo nulli Hominum aut nasci, aut mori fas est.

In Insula Delo (quæ est Cycladum media, clara Templo Apollinis) lex fuit sancita, ne quis hominum in ea vel moreretur vel nasceretur. *Plutarchus in Apophtegmat.*

mat. Itaque puerperæ, & morituri in vicinam Insulam Rheneam deportabantur. *Strabo lib.* 10. *Geograph.*

OBSERVATIO III.

Cur hominibus circa intestina plurimus, circa jecur nullus adeps concrescat.

Jecur, quia membrum est valde calidum, nullum: intestina, quia frigida, copiosum adipem admittunt; adeps enim ut generetur, frigore indiget, cùm aliter non conficiatur, quàm appulsu sanguinis ad partes frigidas.

Sed hæc doctrina videtur oppugnari exemplo cordis, quod est membrum calidissimum, & tamen adipe circumvestitur; ergo excessus caloris non obstat generationi adipis.

Respondeo, cordis adipem ex illius temperamento non provenire (nam cor temperamento constat calidissimo: quo, nisi aliud obstaret, materia omnis adipis resolvenda & consumenda esset) sed ex singulari cura & providentia naturæ circa Principalis membri conservationem satagentis, ut adipe circumjecto refrigeretur, nimiaque impediatur exsiccatio, quæ ex perenni cordis motu oriri posset.

OBSERVATIO IV.

Oculum hominis erutum, seu destructum naturaliter restitui posse.

Oculum hominis (idem est de aliis animalibus) ope Medicinæ, si destructus fuerit, reparari posse, constat experimento ante paucos annos Pragæ in Bohemia facto: de quo Excellentissimus Medicus Marcus Marci Pragâ Anno 1662. ad amicum in hæc verba scripsit. Ante dies octo, inquit, invisit me quædam Persona nobilis ex terris peregrinis Angliam repetens, honoris gratiâ; atque inter cæteros discursus incidit mentio de oculis

oculis restituendis. Affirmabat verò oculum erutum posse restitui, &, si vellem, mox demonstraturum in quovis animali. Jussi adferre anserem, qui occidi debuit. Ille verò lanceolâ oculum discidit, ut humor aqueus totus efflueret: mox humorem Crystallinum, unà cum vitreo digitis expressit, ut loco oculi nihil nisi foramen adesset: in quod de aliqua aqua, quam secum habebat, modicum instillavit; & ecce oculus subitò impleri cœpit, & infra quadrantem horæ fuit perfectus, qualis antè fuit: quem anserem in hodiernum diem servo, & aliis ostendo.

Circa hoc punctum notandum primò, anserem illum post reparationem oculi vidisse, sed minùs perfectè, quia cicatrix in pelliculis oculi facta non satis æqualiter coaluerat; quod futurum ipse artifex prædixit, qui inter operandum errorem suum fassus fuit.

Notandum secundò, non videri dubitandum, quin humor aqueus ex oculo expressus medicamine restitui possit. Id enim, teste Schoto *in Magia naturali. 1. part. lib. 2.* probavit. P. Nicolaus Cabæus Soc. JESU in agno, cujus utrumque oculum acutâ lanceolâ perforavit, totumque humorem aqueum expressit, ac vulneri deinde applicavit vittam madefactam succo chelidoniæ majoris, postridieque deprehendit agnum habere oculos sanos, videreque ut priùs. Si ergo succo chelidoniæ adhibito aqueus humor, salvis adhuc oculi tunicis, restaurari potest, poterit etiam eodem, aut alio restaurari vitreus & crystallinus humor.

OBSERVATIO V.

De abscissione aurium in Hominibus facinorosis.

Aurium, sive cartilaginis in aure dextra vel sinistra abscissionem inde ortam esse, scribit Usilius *in §. ex maleficis, n. 22. & seq. Instit. de actionib.* quòd in auribus vena

vena quædam promineat, quæ prolificum contineat sperma, cujus venæ abscissione, procreationis vis, seu semen prolificum submoveatur, ne hominum facinorosorum, quibus in pœnam commissi sceleris auriculæ abscinduntur, posteritas ulla relinquatur, quod fieret, si liberos generarent. Quod confirmans Bodinus *de Republ. lib.* 5. asserit Scythos indignè ferre quòd ad venerem inepti sint, & ideo seipsos castrare parotidos venæ, quæ sub aure latet, sectione.

OBSERVATIO VI.

De Metamorphosi, seu transmutatione Hominis in Anserem, vel aliud quodcunque animal.

Ajunt extare librum quendam Joanni Trithemio adscriptum, in quo Auctor transmutationem hominum in quodcunque animal promittit, putantque multi id absque arte & ope diabolica fieri non posse. At multa Trithemio impia affinguntur, quæ tamen, si à rerum peritis examinentur, naturalia esse deprehenduntur. Ego arbitor illud Trithemii promissum viâ duplici posse compleri: vel arte catoptrica seu speculari, vel arcaniore quadam rerum applicatione, quâ homo se in aliquod animal conversum putet. Certè P. Athanasius Kircher *in Arte Magna lucis & umbræ lib.* 10. *part.* 3. docet, per specula plana machinam catoptricam ita constitui posse, ut homo speculum intuens, loco humani vultûs, asini, bovis, cervi, accipitris, aut similium animalium vultus sibi videre videatur. Addit P. Athanasius, se hujusmodi machinam catoptricam penes se habere, quæ in ingentem omnes admirationem rapit, dum inspicientes loco naturalis faciei, nunc lupinam, modo caninam, jam alterius animalis faciem intuentur.

Sciendum insuper, res quasdam naturales esse, quæ mox ubi per os assumptæ fuerint, imperium in phantasiam

ſiam hominis exercentes, eum in id tranſmutant, ad quod vel maximè inclinaverit. Ita novi radicem (verba ſunt P. Athanaſii citati) quæ in cibo ſumpta homines, illico in anſeres & anates tranſmutat, non ſecundùm viſum exteriorem, ſed interiorem; ita ut qui eam ſumpſerint, ſe anſeres eſſe arbitrentur. Sunt & aliæ res, quæ per cibum ſumptæ, in feles, canes, lupos dictâ ratione tranſmutant atque transformant.

OBSERVATIO VII.

De Arte nova Cryptologica, & Catoptrica, qua duo homines, aliquot milliaribus à ſe invicem diſtantes, nullis intervenientibus epiſtolis, aut Internunciis, occultos animi conceptus ſibi mutuò manifeſtare poſſunt.

Non ita pridem inventa eſt Ars nova Cryptologica & Catoptrica, qua duo amici, ad duo vel tria milliaria ab invicem diſtantes, non tantùm occultos animi conceptus nullo penè negotio ſibi manifeſtare; ſed & nova quadam replicatione catoptricâ amicis abſentibus præſentes ſe ſiſtere poſſunt. De quo quid P. Athanaſius Kircher *in Arte Magna Lucis & Vmbræ ſub finem* ſcribat, audire libet. Hoc inventum, inquit, propriè meum eſt, cùm apud nullum Auctorem, quod ſciam, ſimile quid me legiſſe meminerim. Inventum penitus admirabile, & ſolâ curioſitate Regiâ dignum, cùm hoc unico non tantùm occultos animi ſui conceptus tutò & ſecurè amicus amico communicare, ſed & literas integras tranſmittere, muriſque inſcribere; imò ſuam propriam effigiem umbratilem, & aliam quamlibet imaginem, ſummâ facilitate in maximam aliam diſtantiam, & ſub pluſquam Gygantea

magnitudine ſiſtere amico poſſit. Qui uberiore hujus artificii declarationem deſiderat, legat ea, quæ P. Athanaſio loco citato afferuntur.

CAPUT VII.

De rebus ad Artes Mechanicas ſpectantibus.

SECTIO I.

Recenſentur varia Artificia Mechanica.

ARTICULUS I.

Quâ arte cultri & gladii ita acui poſſint, ut ferrum inſtar plumbi incidant?

AQua ex contuſis lumbricis per pannum expreſſ & ſucco raphani æquis portionibus mixta, uſq adeo duram & denſam reddit aciem cultrorum, en ſium, aliorumque inſtrumentorum, quæ bis aut te dum cuderentur, in aqua illa extincta fuerunt, ut fe rum aliud, ac ſi plumbum eſſet, facilè incidant. Hc attificium teſtatur Mizaldus ſe à quodam Pariſien Macheropœo accepiſſe.

ARTICULUS II.

Quâ arte charta pergamena poſſit reddi translucida inſtar vitri, excluſâ fragilitate?

Chartam pergamenam translucidam inſtar vitri, n tamen fragilem reddes, ſi eam ſuper ferrum læve cal diuſculum ſenſim lacrymâ abietis aut laricis imbueri *Cardanus lib. 13. de varietate rer. cap. 36.*

AR

ARTICULUS III.

Quâ arte pingi possit imago, quæ oculos ad te semper, quocunque te verteris, conversos habeat?

Reperta est quædam ratio sanè mirabilis, quâ vultus humanus ita ad vivum exprimatur, ut intuentem, quocunque loco steterit, defixa semper acie contueatur, haud secus ac si mobiles imago haberet oculos, quos ad omnem locum, quò spectator convertit, propriâ virtute circumferat. Ut autem hujusmodi imaginem quocunque respicientem conficere possis, ita operare. Sistat se tibi vir aliquis eo habitu quo volueris pro prototypo, qui tuos oculos perpetuò, constanter & immobiliter fixis oculis respiciat. Hujus igitur hominis e dicta ratione respicientis vultum, si ad vivum depinxeris, habebis intentum; semper enim, quocunque te verteris, in te respicere, videbitur. Cujus rei hæc est ratio, quòd radiatio utriusque oculi respicientis hominis, in pictoris oculos facta, pyramides fundet visuales, quarum bases sint oculi imaginis; quæ cùm ad vivum principio sint fundatæ, & iisdem perpetuò punctis insistant, tuis quoque oculis semper insistentes, quocunque te verteris, perpetuò te persequentur; cùm situm, respectumque à principio acquisitum mira quadam vi, & proprietate perpetuò conservent: quod nunquam tamen fieri cernimus, si oculi temerè delineatur; neque enim hoc unquam in statuæ alicujus marmoreæ oculis successum habet; cùm enim statuarum oculi sphæricæ ut plurimum sint figuræ, & promineant extra plani superficiem, fit, ut basis pyramidis visualis perpetuam quoque mutationem subeat, neque oculi in obliquo respectu totam oculi basim comprehendant; Undè etiam consequenter memorata sta-

tua profpectum in omnem partem nequaquam habe bit. In folis igitur planis fuperficiebus, hujufmodi i omnem partem imaginis alicujus profpectus dictâ ra tione fieri poteft. Hinc mortis imaginem cum arc quidam ita artificiosè depingunt, ut telum arcui impo fitum, quocunque te vertas, non fine horrore in te ex plodere velle videatur.

ARTICULUS IV.

Novum artificium imagines æri incifas omni colorum genere tingendi.

Prodiit hoc fæculo mirabile quoddam imaginu tingendarum artificium, quod ajunt in Gallia inver tum effe. Spectantur in eo artificio imagines omi colorum genere depictæ, fed non femper & ubiqu nifi tunc potiffimùm, cùm luci fuerint expofitæ (tii guntur enim illo non pictæ imagines, fed æri tantù incifæ) quæ hoc artificio tinctæ, ne ullum quidem v fperi ad candelam, aut interdiu ad umbram demo ftrant coloris veftigium: at foli lucique diverfæ expo fitæ, imagines phantaftico quodam & omnigeno co lore depictas oftendunt; ut modò cæleftis iridis colo res, modo eos, qui in cauda pavonis, cæterarumqu avium plumis aureis, puniceis, croceis, purpu reis, rubeifque refplendent, te confpicere arbitrer Horum colorum alii ad lucem, aliis interim latitant bus, maximè perfpicui funt: hifce verò ex latibul productis reliqui evanefcunt. Res hæc mirific afpectum decipit, cùm hic color nequaquam terrenu nec penicillo inductus, fed latentis naturæ induftr per evaporationem, ut jam dicetur, productus fit.

Porrò modum hujufmodi imagines conficien tradit P. Athanafius Kircher *in arte magna lucis & um*

b

*ra lib.*10 *.part.*2.aſſerens ſe eum nullo docente inveniſ-
e. Accipe, inquit, Salis Communis, Salis Ammonia-
i, duplum primi, Vitrioli Romani, Cyprii, Viridis nimi-
um & Cerulei, Alr minis Tolfici (Itali vulgò *della Roc-
a* vocant) tantum ex uno, quantum ex altero, miſce-
ntur omnia ſimul, ponanturque in balneo vaporato-
io Chymiſtis noto, & mox ubi liquefactam ſalium mi-
turam vaporare ſenties, acceptas imagines æri inciſas
apori expones, & mox colores ſalibus vitriolisque na-
uraliter inſiti vaporique permixti, imagines dictâ co-
orum geneſi tingent

ARTICULUS V.

Qua Arte confici posſit Lectus pneumaticus?

Lectis pneumaticis, ſeu vento & aëre repletis, mul-
in regionibus calidioribus utuntur. Parantur au-
em hoc modo: Ex corio conſue cervicalia, & culci-
as eâ induſtria, ut inſpiratum ventum ſeu aërem con-
neant. Hæc aëre ſyringe pneumaticâ inſpirato im-
le, ſpiracula diligenter claude, & linteaminibus operi.
c habebis lectum ſtratum, non minùs mollem, quàm
o æſtivo tempore frigidiuſculum. Iter facturus ex-
ime aërem inflatum, & ſaccos vacuos facilè vehes,
oſtea iterum, cùm quieſcere aut dormire voles, in-
andos.

ARTICULUS VI.

Quomodo ferro rubigo eximi, & ne arma rubigine obducantur, præcaveri posſit?

Ferro rubiginem è veſtigio eximit, eique ſplendo-
em conciliat, oleum tartari. *Alexius Pedemontanus.*
Ad arma quod attinet, accipe ramenta plumbi, &
one ea in oleo per dies novem, ad ſolem & aërem,

atque hac miſtura inunge arma, eruntque à rubigine immunia.

ARTICULUS VII.

Modus efficiendi, ut lac non poſſit coagulari.

Ajunt, ſi lacti ſaccharum injicias, nec coagulari poſſe, nec butyro efficiendo idoneum eſſe.

ARTICULUS VIII.

Qua arte ſilices poſſint emolliri, ita, ut inſtar ceræ ſint tractabiles?

Silicem igni injectum impensè ſinito calefieri, & quaſi igneſcere, deinde miſce inter ſe aquam ſeparatoriam, acetum & ſanguinem hircinum, atque hanc miſturam affunde ſilici, ut totus cooperiatur. Molliri tunc ajunt ſilicem adeò, ut inſtar ceræ tractari queat, intraque illum abſcondi litteræ, . aut pecuniæ, atque aliò deferri. indureſcere denuò, ſi lacti caprino imponatur.

Præter hunc modum, ſupra in Lithologia allatum alii ſilicem ignitum ut antea, jubent immergi intra aquam tartari ferventem, & extractum denuò injic eidem aquæ, & in ea per horæ dimidiæ ſpatium relin qui. Quo pacto ſilex non modò reddetur mollis, sed ductilis etiam, ut inſtar corii extendi queat.

ARTICULUS IX.

Qua arte effici poſſit, ne ligna igne ardeant, & comburantur?

Ligna & tabulata alumine illita non ardent, nec ab igne læduntur: uti nec poſtes, fores, aut lacunari ære viridi imbuta, dummodo cruſta durior iis obducatur, & alumen, plumbique albi cineres, pigmentis copioſè miſceantur. Cujus rei ſpecimen edidit Archelaus Mithridatis Præfectus in lignea turri contra Syllam

Ducem

)ucem Romanorum, quam ille fruſtra incendere co- atus fuit. Eodemque modo Julius Cæſar caſtellum ıcombuſtibile ex materia laringa circa Padum con- :ruxit,ut tradit Plinius.

ARTICULUS X.

Qua arte confici poſſit lignum ebeni,ut videatur eſſe naturale?

Omnis generis ligna formam ebeni acquirere poſ- ınt, præſertim ſi ſint dura & lucidiora, ut buxus, ce- rus, morus alba & nigra: cujuſmodi ligna ad hoc ınt omnium aptiſſima, quamvis nigra morus albæ ræferatur. Sumito itaque hujus generis ligna, & in qua aluminoſa per tres dies, vel ad ſolem, vel prope ;nem ponito, ut tantùm calefiant: deindè coquito iquamdiu in oleo communi, vel Seſamino, in quo ſit itrioli Romani & ſulphuris, ſingulorum tantum, uantum avellanæ reſpondeat. Quo autem magis ocła fuerint ligna illa,eò etiam nigriora fient,modò ne imiùm coquantur. Nam tunc & ambuſta & fragilia unt. Ritè autem cocta ſi fuerint, nihil in eo genere ulchrius deſiderari poſſe videtur. *Alexius Pedemontanus.*

ARTICULUS XI.

Qua arte posſit ex plumbo confici argentum vivum?

Sumito plumbum in tenues laminas redactum: po- antur in vaſe vitreo, una cum ſale communi interpo- to; deinde vas cooperiatur optimè, & ſub terra re- nquatur per dies novem, & argentum vivum poſtea eperies. *Fallopius.*

ARTICULUS XII.

Quomodo effici posſit, ut lapides quivis molleſcant?

Lapides quivis facilè molleſcunt, ſi illos in ſanguine

calido bovis, & pinguedine vervecis, cum forti aceto pernoctare permiſeris. *Mizaldus.*

ARTICULUS XIII.

Quâ ratione lapis bufonius comparare, itemque ſciri poſſit, an ſit legitimus?

Lapis Bufonius in capite bufonis deliteſcit, qui hac praxi ex eo elici ſolet. Bufo in quampiam caveolam cum panno puniceo detruditur, ſoli ardentiſſimo per dies aliquot exponitur, ibique tantiſper retorretur, & ſiti excruciatur, donec lapidem, onus capitis, deponere, & per os evomere cogatur: debet autem lapis ille per medium caveæ foramen, vaſculo ſuppoſito, excipi, vel aliter detrahi, idque celeriter, ne à bufone reſorbeatur. Sunt, qui paulò tutiùs, ac faciliùs rem eam exequantur. Bufonem illi pertuſo multis locis vaſi fictili immittunt, & formicis depaſcendum in myrmecium conjiciunt. Sic enim fit, ut exeſa bufonis carne, lapis bufonius cum oſſibus relinquatur.

Quòd ſi lapidem illum aliunde acceperis, dubitesque an legitimus ſit, rei veritatem ſic poteris explorare. Oſtendatur lapis bufoni, qui ſi in altum ſe elevaverit, ac ſi lapidem vellet contingere, ac ſaltu præripere, ſignum eſt eum eſſe verum atque legitimum. Nam bufo invidet illum homini. *Ex Relatione cujuſdam Medici Regii, qui Mizaldo teſtatus eſt, ſe id vidiſſe.*

ARTICULUS XIV.

Quomodo maculæ omnis generis ex veſtibus pannisque deleri posſint?

Accipe ſalis communis optimè triti, & ſaponis nigri, ſingulorum quantum ſatis eſt: quibus optimè miſtis maculæ inungantur; deinde cùm ſiccatæ fuerint primo lixivio, aquâ tepidâ laventur, & maculæ evaneſcent. *Alex. Pedemon.*

AR-

ARTICULUS XV.

Quomodo maculæ pannorum sericorum & aliorum delendæ sint?

Vervecis pedes anteriores in cinerem redigito, & iat pulvis inde, quo panni prius aqua madefacti aspergantur; postea cùm ad solem siccati fuerint, iterum qua humectentur, pulvereque ut priùs aspergantur. Quibus sæpius iteratis, pulvis diligenter aquâ abluaur, & maculæ evanescent.

ARTICULUS XVI.

Quomodo maculæ atramenti ex panno tollendæ sint?

Pannum priùs aceto acerrimo lava, exprimendo bee manibus, & fricando; deinde lava eundem aquâ & apone, & maculæ delebuntur.

ARTICULUS XVII.

Quomodo maculæ atramenti vel vini ex pannis lineis vel laneis deleri possint?

Accipe succi malorum limoniorum, vel aurantioum, vel citriorum quantum sufficit, quo maculæ humectentur, & siccentur sæpiùs; deinde aquâ frigidâ bluantur, & delebuntur. Quod si ex atramento fueint maculæ, sapone albo & aceto laventur.

ARTICULUS XVIII.

Quomodo pelles & coria à corruptione præservari possint?

Pelles siccas, aut in sole diligenter siccatas, excusso ulvere in arcis loco sicco collocabis. Sufficiet auem eas semel in anno aëri sereno exposuisse. Porrò meius servantur pelles cum sibi similibus. Nam à lineis umectantur, laneis verò immixtæ eroduntur à tineis.

Hæc Cardanus. Proderit etiam ſubinde pelles bacillis excutere.

Coria loco mundo & altiore à terra ſervari debent, ut nec udo, nec pulvere tangantur, præſertim quæ tincta ſunt: hæc enim duo, humiditas ſcilicet & pulvis omnia corrumpere ſolent, velut & laneos pannos. Pulvis enim erodit, & blattas procreat; humiditas autem affert ſitum, & ex ſitu putredinem. Ventus igitur, qui refrigerat, & ſiccat, prodeſt: qui pulverentus eſt, qualis cenſetur ecnephias, ac typhon; aut humidus, cujuſmodi eſt Auſter, & marinus, corrumpit omnia, ut etiam laneos pannos.

ARTICULUS XIX.

Quomodo parandæ ſint ocreæ, ne aquam tranſmittant?

Halinitrum ceræ liquefactæ mixtum, prohibet ne omnino ocreæ tranſmittant aquam, ſi ad ignem eâ mixturâ diligenter imbutæ fuerint. Oportet autem halinitrum eſſe tenuiſſimè contritum. Si ceræ pingue quidpiam admiſcueris, adhuc melius erit.

ARTICULUS XX.

Quomodo picturæ veteres renovari & illuſtrari posſint?

Reſpondeo, id tribus potiſſimùm modis fieri poſſe, & ſolere.

Primus. Miſce cum ovi unius albumine vinum album, & panno laneo unge depictam tabulam, aut telam, eritque imago illuſtrior quàm antea.

Secundus. Recipe Reſinæ craſſæ & albæ libram unam, gummi uncias duas, terebinthinæ Venetæ unciam unam, olei lini uncias duas. Reſina primùm ad ignem liqueſcat, & coletur; gummi in oleo communi ſinatur, donec molleſcat: quod cùm fuerit percola-

tum

um, misceantur omnia simul, & coquantur igne lento, miscendo continuè, quousque ritè omnia fuerint permista, & serventur ad usum. Hac mistura si pictura aliqua munda fuerit illita, splendida ac pulcherrima evadet.

Tertius. Recipe olibani masculi, & gummi juniperi, singulorum quantum satis. Misce & fiat pulvis, cui addatur terebinthinæ Venetæ quantum satis esse videbitur, & misceantur omnia bene ad ignem, deinde coquentur, ac serventur. Cùm uti volueris hac mistura, priùs calefiat, deinde pictura leviter illinatur, evadetque nitida, & citò siccabitur.

SECTIO II.

Recensentur varia Artefacta Mechanica.

ARTICULUS I.

De Corona Imperiali Rudolphi II. & Regiâ Regis Galliarum.

RUdolphus II. Imperator curavit sibi confici coronam ex auro ornarique pretiosissimis adamantibus Orientalibus, quæ uno millione aureorum æstimatur, & asservatur Viennæ. Ita testatur Auctor descriptionis particularis Regiminis Ferdinandi II. *cap.* 22. *pag.* 44.

Corona verò, quâ Reges Galliæ coronantur, teste Coquille *en l'histoire du Pays, & Duché de Nivernois* p. 56. eam, quâ Imperatores nostri utuntur, & pretio, & pondere longè superat; dicitur enim valere centies & undecies mille octingentos, & quadraginta coronatos.

ARTICULUS II.

De quodam memorabili curru.

Joannes Blaeu in Theatro urbium Belgicæ fœderatæ

ratæ Currum Veliferum his ipsis quæ subjicio verbis describit.

Illustrissimus Princeps Mauritius, inquit, Nassoviæ Comes, Geldriæ, Hollandiæ &c. Gubernator, Præfectus exercitûs fœderati Belgii, ut belli studia, quibus inclaruit, tot urbium arciumque victor, honesto otio, quod Principibus invidere nefas, diffinderet, stupendæ artis currum sibi in suam suorumque aulicorum voluptates fabricari jussit. Si rotas, temonem, aliaque tanti apparatûs spectes, currus est: si vela, si Rectorem, si impellentes ventos, navis est; ita ut currus velifer aut velivolus, & navis rotis vecta per auras & terras dici possit. Viginti octo vectorum capax, tantâ celeritate & impetu ventorum vi fertur, ut spectantium oculi in motum Rectoresque defigi non possint. Duarum namque horarum spatio quatuordecim milliaria Hollandica decurrit, à Scevelinga, unde abire solet, Pettemum usque continuo planoque littore Oceanum juxta, & Maris Borealia.

Rei novitate capti periculum fecêre hujus sive navigationis, sive aurigationis, sive utriusque, plurimi Magnates, Principes, Comites, Duces, Legati Gallorum, Britannorum, Danorum, ac ipsius Imperatoris. Voluit etiam eo vehi Franciscus de Mendoza Arragoniæ Admiralis, cùm è prælio Flandrico captivus in confinibus Hagæ Comitis detineretur.

Fingunt Poëtæ, Berecynthiæ Deûm Matris currum leonibus vehi, Jovem Aquilâ per auras, Dianam cervis, Venerem cygnis, Solem per cœlos rapi equis, Triptolemi currum ab anguibus, Junonis à pavonibus. At solum Mauritium, uti fama rerum gestarum per universum orbem vexit, ita venti per Hollandiæ littora non semel vexêre, spectantibus & in admirationem raptis domesticis & exteris.

Autor

Autor artificiosæ hujus fabricæ fuit Simon Stevinus, Mathematicus celeberrimus, Principi Mauritio charissimus.

ARTICULUS III.

De alembico eâ arte constructo, ut sola ustoriorum speculorum ope majorem in distillando efficaciam obtineat, quàm ignis validus.

Lens convexa (inquit Athanasius Kircher *in Arte magna Lucis & Umbræ lib.* 10.) violentissimè ignem accendit, imò citius vehementiusque quàm concavum speculum: adeo ut mihi certum sit, quòd non ligna tantùm aliaque accendat, sed & plumbum liquefaciat. Idem præstat pila crystallina. Si itaque fortissimo igne opus sit; conficiatur alembici uterus sphæricus ex ære, vel plumbo, aut vitro: circa quem applicentur vel lentes, vel pilæ crystallinæ, ita ut sol quocunque diei tempore semper superficiem ventris alembici irradiet, & videbis effectum mirabilem: nam tota die alembici ventrem ita potenter calefaciet, ut calor ad quodvis oleum, aut quintam essentiam extrahendam sufficiat.

ARTICULUS IV.

Memorabile vestimentum, ex pilis Salamandræ confectum.

Papa Alexander (inquit Robertus Holcot Ordinis Prædicatorum in Academia Oxoniensi Magister eximius *in c.* 3. *Sapient. Lect.* 33. & ex eo Arcones *in Isaiam pag.* 216.) habuit vestimentum quoddam de pilis Salamandræ, quod quidem vestimentum quando ablui debuit, non lavabatur in aqua, sed projiciebatur in ignem, & non comburebatur, sed fulgentius redde-

deba-

debatur. *Hæc illi.* Quæ confirmans quidam magn nominis Ecclesiastes: *Pellis Salamandræ*, inquit, *si quà sordes aut nævos contraxit, non aquâ sed igne expurgatur* Quod sanè rarissimum naturæ prodigium censeri debet.

ARTICULUS V.

De bombardis, earumque inventoribus.

Inventio bombardæ vulgò, sed non verè tribuitu Berchtoldo Schwartz Monacho Franciscano. Nam ante tempora Berchtoldi bombardæ fuerunt in usu Etenim tempore Caroli M. Camoscus Frisiæ Rex sclopet ictu Hollandiæ Comitem cum duobus filiis transverberavit. Et Rogerius Baco, qui circa annum Christi 1284. obiit, pulveris pyrii meminit. Porrò Nauclerus originem hujus machinæ ad tempora Otthonis IV. & Innocentii III. Anno 1213. refert. Froissardus etiam mentionem facit bombardarum Anno 1340 & Anno 1355. item Petrarcha, qui obiit Anno 1374. Historia item rerum gestarum Alphonsi XI. Castellæ Regis docet, barbaros Anno Christi 1343. bombardas, informes tamen (dolia namque ignivoma appellantur) multis antea sæculis in bello usurpasse. Denique Petrus Maffejus tradit, ænea tormenta conflare, vetustissimo in usu esse apud Sinas sive Chinenses. Ex dictis constat, bombardarum inventionem non ita simpliciter, ut vulgò fit, adscribendam esse Berchtoldo Schwartz: sed potiùs usum illum, & perfectionem (rectiùs dixerim, imperfectionem) qualis hodie cernitur.

ARTICULUS VI.

Lorica ex glacie.

De Cynamolgis (quæ est gens Indica, corpore hirto & villoso) asperrima hyeme cum Tartaris prælio decerta-

certaturis hæc scribit Vincentius *in Speculo Histor. lib.*32. *cap.*11. Cynamolgi, inquit, hyeme asperrima ante pugnam in aquam se conjiciunt, deinde in pulvere volutantur, sicque pulvis admixtus aquæ super eos congelatur, ut quasi loricam glacialem facere videatur. Hinc dum Tartari sagittas super eos jaciunt, ac si super lapides sagittassent, retrò sagittæ redeunt.

ARTICULUS VII.

Memorabile Atrium.

Inter omnia palatia Hagæ Comitis maximè eminet illud quod Curia Hollandica appellatur: intra quam cernitur Atrium magnitudinis & latitudinis eximiæ, constructum (ut antiqua Hollandiæ Chronica testantur) ligno quodam Hibernico immarcessibili, quod nec araneis, nec vermibus ullis obnoxium est.

ARTICULUS VIII.

Domus ex sale constructa.

In Africa gens est Hammanientum cum Troglodytis commercia habens, qui propter multiplices & exuberantes venas salis, cæmentitiis illum nectunt struibus, atque ex eo domos integras conficiunt. *Solinus cap.*31. Sed quamvis mediis habitent in salibus illi, *non est in toto corpore mica salis.*

ARTICULUS IX.

De Characteribus Typographicis, eorumque inventoribus.

Joannes Guttenberg Argentinensis sub Friderico III. characteres Typographicos, seu Artem Typographiæ invenit Argentinæ. Inde Moguntiam veniens, eandē feliciter complevit, ut loquitur Joannes Wimpfelingus, qui circa illud tempus vixit, ac proinde magnám meretur fidem. Guttenbergium Argentinæ secuti sunt Joannes Mentel, Adolphus Ruschius, &

Mar-

Martinus Flachus. Porrò hanc artem Anno 1471. Neapolim attulit Sixtus Rusinger Argentinensis & Ulricus Han Romam. Quidam inventionem hujus artis adscribunt Joanni Fausto Moguntino Anno 1452. verùm ille fuit Guttenbergii adjutor. Petrus Bertius hanc gloriam tribuit Laurentio, cognomento *Johannis*, Harlemensi, cui Faustus sit artem & typos suffuratus, & Moguntiam detulerit, ibique Anno 1442. libros edere cœperit. Denique rudimenta hujus artis Chinensibus ante aliquot sæcula fuerunt cognita. Interim verum est illud Aristotelicum: *Nil prohibet artes easdem, à diversis, vel eodem, vel etiam diverso tempore, citra ullam communicationem inveniri.*

CAPUT VIII.

De rebus ad Grammatologiam, sive scientiam de literis, pertinentibus.

ARTICULUS I.

Quomodo literæ albæ, & chartæ candidæ concolores, legi possint?

SAl ammoniacum tritum, & aquæ mixtum literas albas, & à papyri colore non differentes reddit: sed si igni admoveris, nigrescent, eruntque legibiles. Ad hunc modum aluminis pulvere scripta non apparent, nisi chartam, dum voles legere, in aquam demerseris. *Mizaldus.*

ARTICULUS II.

Quomodo literæ penitus abstergi possint?

Si literas (idem est de aliis lituris & maculis) penitus abstergere velis, calamo in calcanthi & salnitri aquam intincto, supra literas delineato. Vel è sale alkali &

i & ſulphure, parvis conglobatis orbiculis perfricato
iteras,& mox erodentur, ut nec veſtigium remaneat.

ARTICULUS III.

Alius modus literas obliterandi.

Literas ſic facilè obliterabis ac delebis. Accipe car-
iem leporinam, ſicca, tere in pulverem,& vivæ calci
niſce, literisque ſuperpone & illine, & infra triduum
ullum earum comparebit veſtigium. *Tradit Mizal-
lus ex libro quodam vetuſtiſſimo.*

ARTICULUS IV.

Alius modus id ipſum præſtandi.

Accipe ceruſſæ optimè contritæ, lactis ficuum, ſin-
ulorum quantum ſufficit. Miſceantur,& fiat maſſa;
uæ cùm exſiccata,ac deinde rurſus imbuta lacte,atque
c ſexies factum fuerit,fiat pulvis,& ſervetur. Quan-
ɔ autem literas, vel alias atramenti maculas à pa-
yro auferre voles, ſumito pannum lineum aquâ imbu-
ım, quem priùs expreſſum, pone ſupra literas, vel
ramenti maculas,& tam diu relinque ſupra poſitum,
onec illæ humectatæ ſint. Quod cùm factum fue-
, pulvis prædictus ſuperaſpergatur, & relinquatur
per unam noctem, deinde manè panno aliquo lineo
co fricetur leviter: quo facto papyrum candidiſſi-
ım videbis, & ad ſcribendum aptiſſimam. Quòd
atramentum penitus deletum non eſſet, iteretur ut
us,& fiet quod deſideras.

ARTICULUS V.

Literas ut à muribus tuearis.

Atramentum librarium diluto abſynthii tempera-
n,literas à muribus tuetur: ipſa verò abſynthii her-
veſtibus inſerta, tineas arcet. *Dioſcorides.*

ARTICULUS VI.

Literæ ne comburi possint.

Accipe acetum acerrimum, & ovorum albumina, In quibus dilue & coagita hydrargyrum, eâque mixturâ ter papyrum inunge, ac toties resicca. Postea scribe in ea quidquid visum fuerit, & in ignem projice, videbisque sine ulla combustione resilire. *Ubi videro credam Weckero, id lib.* 14. *de secretis ex antiquo libri asserenti.*

ARTICULUS VII.

Ad scribendum literis aureis, sine auro.

Sume croci & auripigmenti partes æquales, dilui cum felle caprino, & tam diu sub fimo equino sepeli donec fiat veluti spissamentum: quo aureæ literæ scribi vel pingi poterunt. Idem fiet, si acceperis drachmas duas aloes, & croci tantundem, eaque in pollinem redacta, albumine ovi exceperis, & diu multumque agitaveris. *Mizaldus ex quodam Grammatographo.*

Alium modum tradit Alexius Pedemontanus. Accipe, inquit, auripigmenti, crystalli, singulorum unciam unam, redigantur in pulverem singula: deinde misceantur cum albo ovi, & fiat liquor ad scribendum.

ARTICULUS VIII.

Ad scribendum literis argenteis, sine argento.

Argenteas literas sic facies sine argento. Sume stanni optimi unciam unam, argenti vivi uncias duas misceantur, & liquescant. Deinde terantur cum aqua gummata, & ex ea materia, ubi opus erit, formentur literæ.

ARTICULUS IX.

Ut characteres, aut verba quæcunque in charta scripta, & combusta, in manu scribentis appareant.

Pennâ recenter aptatâ, urinæque tuæ recenti intinctâ, scribe in cava aut convexa manu sinistra quosvis characteres, aut verba, clam aliis, attendendo diligenter, ut ductus, & verba bene omnia exprimantur, nec deinde sudando, aut alia ratione deleantur. Cùm jam amicis spectaculum ludicrum exhibere voles, scribe atramento in charta candida eosdem characteres, aut verba; & postquam exsiccata fuerint, accende chartam & projectam in mensam penitus combure. Residuum cinerem pone supra eum locum manûs, ubi scripsisti antea characteres, aut verba, ac tere: adhærebit pulvis urinæ, & verba antea in charta descripta apparebunt in manu, non sine spectantium stupore: præsertim si varias cruces, & signa alia in speciem superstitiosa, præmiseris.

CAPUT IX.

Observationes Topographicæ, quibus memorabilia quædam de variis civitatibus traduntur.

PRima mundi civitas appellata est Enochia, quam Cain filius Adami Protoplasti Anno mundi 150. construxit. Porrò Philo recitat septem civitates, quas Cain condiderit.

Anno Mundi 1658. Noë egressus ex Arca scribitur condidisse urbem Sagalbinam, juxta Araxim amnem majoris Armeniæ.

Anno Mundi 1723. Misraim condidit urbem sibi cognominem Misraim, quæ alio nomine dicitur Memphis. Eodem tempore fuit condita Tanais,

ſeu Zoan. In hac Urbe, ceu Regia Pharaonis admini ſtratæ ſunt decem plagæ Ægypti, per Moſen & Aaro nem, *Pſalm.*78.12. Hæc Urbs olim duobus milliaribu diſſita fuit ab Heliopoli, & uno milliari à Memphi Sed hodie tres iſtæ urbes ſunt redactæ in unam quæ appellatur Al-Kair, habens 15. milliaria in ambi tu.

Anno Mundi 1841. condita fuit Hieroſolyma à Mel chiſedek, & appellata primò Salem, quod nomen reti nuit uſque ad Annum Mundi 2159. Deinde à Jebuſæ is dicta fuit Jebus: quæ nomenclatura obtinuit uſ que ad Annum mundi 2897. cùm à Davide fuit expu gnata, & *Civitas David* appellata, uſque ad Annum Mundi 2933. Tum enim cœpit appellari *Jeruſalem* quaſ. dic. Pacis viſio. Primitùs Urbs Salem occupavi ſolum montem Sion. Sed ampliata fuit à David factâ acceſſione duorum montium, Acræ & Moriæ ita quidem, ut mons Sion appellaretur civitas ſuperior reliqui duo, civitas inferior.

Porrò Hieroſolyma vicies ter eſt occupata, & ulti ma occupatio conjuncta fuit cum exciſione factâ pe Titum. Poſtquam Hieroſolyma manſit ſpelunca la tronum annos 60. poſtea Ælius Adrianus Imp. Rom rudera aliqua penitus diruit, & ad montem Golgothæ um ædificavit novam Urbem, quam à ſuo nomine ap pellavit Æliam Capitolinam, quamvis Chriſtiani no men antiquum Hieroſolymæ ipſi indiderint.

Incomparabile ornamentum Urbis Hieroſolymita næ veteris fuit templum Salomonis, quod quàm ſplen didum fuerit, vel inde colligere licet, quòd David fili Salomoni reliquerit 2700. milliones, ſive 2700000000 florenos, templi ſtructuræ impendendos.

Anno mundi 2460. Bojus Rex Germanorum con didit *Bojonum*, ſive *Bubienum*, quæ nunc *Praga* appella tu

tur. Eodem tempore Amazones uxores Cimbrorum, in Asia condiderunt Ephesum, multasque alias civitates.

Circa Annum Mundi 3399. conditum est Byzantium, amplificatum verò à Pausania circa Annum Mundi 3480. & Anno Christi 328. à Constantino M. quo inditum est ei nomen Constantinopoleos. Transtulit insuper Constantinus M. Imperium Romanum in hanc urbem, eamque *Novam Romam* appellavit: persuadens sibi eam æternam Imperii Sedem futuram, sed mille tantùm annis, minùs triginta, Christiani Imperatores eam retinuerunt, & interim Roma vetus exterarum Gentium, Gothorum & Vandalorum direptionibus objecta fuit.

Roma vetus in annuis reditibus supra centum quinquaginta auri milliones possedit: subditos in orbe universo supra trecentos hominum milliones complexa est.

Ambitus Urbis Romæ qui nunc est, tredecim millia passuum non excedit.

Duodecies capta fuit Roma à Germanis; nimirum à Brenno, ab Alarico Gothorum Rege bis, scilicet Anno Christi 408. & 410. Item à Genserico, à Ricimere, ab Odoacro, à Totila bis, scilicet Anno Christi 547. & Anno 550. Præterea ab Arnulpho Francone, ab Othone III. Saxone, ab Henrico IV. Francone, ac demum ab exercitu Caroli V.

In Persici sinûs freto Insula est ac Urbs splendidissima, Armuzia nomine, tam & sterilis, & nihilominus rebus omnibus abundans, ut nulla in orbe terrarum civitas esse credatur, in qua sic divitiæ cum paupertate, copia cum inopia, commoda cum incommodis, arte naturam superante, sint conjuncta. Excrevit enim hæc Urbs, ob loci situm, portusque Insulæ geminos,

nos, in emporium earum mercium omnium, quæ ex Oriente, Occidente, Aquilone & Austro devehuntur. Est ibi, præter cætera mala, tantus æstus, ut ardere omnia videantur, nec usquam alibi tantus sit, ne sub ipso quidem Æquatore. Hinc mira loci siccitas. E sale & sulphure tota Insula composita esse videtur. Certè fluvii ipsi æstate in salem, uti apud nos hyeme in glaciem, concrescunt. Æstui intolerabili sic utcunque mederi solent. In ædium atriis è frigida thermæ fiunt: in iis collo tenus, & temperandi æstûs, & conciliandi soporis causâ, velut in liquidis culcitris, versâ in delicias Necessitate, pernoctant. *Nicolaus Trigaultius in vita P. Gasparis Barzai.*

Memorabile est, quod de Ultrajecti (vulgò Utrecht) situatione in Topographia Belgii legisse me memini: eo scilicet loco hanc urbem positam esse, ut indè unius diei itinere pedestri pervenire queas ad quodcunque libuerit è quinquaginta minimùm oppidis, quæ Urbem Trajectensem veluti coronâ cingunt. Quod cùm Philippo II. Regi Hispaniarum significatum fuisset, magna is voluptate affectus est. Quin imò pluribus experimentis compertum est, posse aliquem manè Ultrajecto egressum, ad quodvis è sex & viginti oppidis circumjacentibus, etiam lento gradu inambulantem accedere, genio inibi indulgere, & vespere rursus ad cœnam venire.

Urbem Trajectensem concinnæ & elegantes domus hypogæa quoque & ædificia subterranea pulcherrimo structa opere exornant. Templa ejus sunt magnifica, præsertim Divæ Virginis, à Friderico Ahenobarbo Imperatore conditum, in partem multæ, ipsi à Pontifice Maximo, ob excidium splendidissimæ Urbis Mediolanensis, & omnium inibi templorum, ut perhibent, irrogatæ. Miraculo fuit, cùm jacerentur hujus temp-
fun

undamenta,inventam fuiſſe voraginem quandam,ſive urgitem vorticoſum: cui cùm nihil omninò poſſet uperſtrui, & in fundum iret quidquid injiceretur (plaè ut de Dianæ Epheſiæ templo veteres teſtantur hiſtoici) bubulæ pelles ingeſtæ ſunt: quo facto ſolidatus andem eſt fundus, & ſuperſtructa ei prædicta ædes acra. In cujus rei memoriam extant apud Ultrajectios hi verſus:

Accipe poſteritas, quod poſt tua ſæcula narres,
Taurinus cutibus fundo ſolidata columna eſt.

Inter Cives Ultrajectinos memorant Hadrianum I. Pontificem Maximum, Caroli V. Imperatoris ante ontificatum præceptorem, cujus hoc memorabile exat Romæ Epitaphium: *Hadrianus VI. hic ſitus eſt, ui nihil ſibi infelicius in vita duxit, quàm quòd imperaet.*

Vixit quoque Ultrajecti ante annos viginti Maria chuermanna, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, aliarumque nguarum peritiſſima, omniumque ferè ſcientiarum & rtium laude florens, ut meritò *Muſarum decima* appelri poſſit.

A civitate Ultrajectenſi (quæ nuperrimè armis allicis fœderatis Hollandorum Ordinibus erepta eſt) ranſitum facio ad Urbem Colonienſem, aliasque Imerii civitates.

Conſtructa eſt Colonia quatuordecim annis ante hriſti nativitatem, hoc eſt, eo ipſo tempore, quo Beaiſſima Virgo Deipara in lucem edita eſt; cùm Ea Chriumanno ætatis ſuæ decimo quarto peperiſſe tradaur: id quod ſequenti comprobatur programmate. rogramma hoc eſt: Als Anna hatte geberen die Seigſte Mutter (Anagramma) Iſt die Reichs-Stadt Cöllen am erſt angebauet. Unde hæc Urbs Beatiſmæ Virginis coæva & collactanea dici poteſt. Qua-

propter ad perpetuam hujus rei memoriam festum Nativitatis B.V. in Sacello Senatorio Coloniæ ab omnibus Reipublicæ Colonensis Patribus conscriptis solennissimè celebratur, & Senatores semper ante ingressum Curiæ in prædicto Sacello missam audiunt; quique Sacrificio missæ non interfuerunt, in curia pro præsentibus non habentur, nec præsentiis aliis senatoribus distribui solitis fruuntur.

Argentina (vulgò Straßburg) à nonnullis comparatur cum Urbe Veneta, eò quòd, sicut Venetiis, ita & Argentinæ naves per diversos canales ad omnes ferè urbis plateas duci possint: cùm hoc tamen discrimine, quòd aqua Veneta salsa sit & fœtida, Argentinensis clara & dulcis. Celeberrima est turris Argentinensis, quæ anno 1277. ædificari cæpta, anno 1439. ad finem perducta fuit, postquam in templi & arcis fabricam 670. anni insumpti fuissent. Ea inter miracula orbis à Germanis scriptoribus numeratur. Ac licet quidam turrim Landishutanam in Bavaria (zu Landshut) altissimam Germaniæ esse velint, constat tamen Argentinensem esse altiorem. Artificiosissimum est in ea horologium anno 1574. perfectum, constans fistulis 2136.

Norimberga Urbs Imperialis anno 1320. Privilegium Cæsareum obtinuit, quo parentibus Jus conceditur filios inobedientes carcere coërcendi, & vivos in profluentem demergendi. Quod licet durum sit, cùm Patria potestas in pietate, non atrocitate consistat, accedit tamen ad Juris veteris rigorem, quo Parentes Jus vitæ & necis in liberos habuerunt.

Ulmæ est Organum, cujus unica fistula ter mille libras appendit, & 315. amphorarum Ulmensium capax est, quam ego ante sex annos conspexi.

Pful-

Pfullendorffium Urbs Imperialis (Ptolomæus Bragodurum appellat) in Suevia superiore sita, olim Comitibus de Pfullendorff paruit: quorum Comitum sedes eo loco fuit, ubi nunc est patibulum: quam sedem Domina quædam Pfullendorffensis unà cum oppido solis delicatorum Piscium jecinoribus abligurivisse dicitur.

Hailbronna Urbs Imperialis ad Neccari ripam meridionalem sita, pagos habet quatuor, in quorum uno Bochingen dicto, captus est anno 1497. ex vivario lucius piscis, qui in eo annis 267. vixerat.

CAPUT X.

De rebus pertinentibus ad Scientiam Hodæporicam, sive de iis, quæ Itinerantibus observanda sunt.

1. INgressurus iter, præter alia itinerantibus necessaria, sumat secum 1. Horologium rotatile. 2. Tabellam Geographicam, in qua delineata sit regio, per quam iter instituitur. 3. Hodæporicum seu Itinerarium, videlicet libellum, in quo notata sint oppida, civitates, milliaria &c. 4. Ignitabulum, & candelam cercam, ut noctu insidiatoribus, aliisque periculis obviare, manè commodiùs se vestire, vesperi verò, priusquam se ad quietem somnumque componat, lectum collustrare, ac demum, ne aliquid ex rebus suis in hospitio relinquat, certiùs cavere, & providere possit.

2. Non expedit hospitio egredi jejunum, præsertim cælo nebuloso, humido, perfrigido, aut solo paludoso, uliginoso &c. Sæviente hyeme, pauxillum vini potentis cum buccella panis sumatur; hoc enim frigori, & congelationi resistit.

3. Itinerans ad manum habeat odoramenta calida, verb. grat. pomum ambræ, ex laudano, aromatibus & mosco: ut cerebrum calefiat, & spiritus confortentur. Pauperes utantur pulegio & mentha.

4. Quemadmodum non expedit, ut itinerans pecuniam suam ullibi ostendat, aut ostentet, quia per hoc invitantur fures, & latrones ad rapiendum; ita minimè consultum est, respondere ad mentem interrogantis, dum ab eo quæritur, unde veniat, aut quò, vel quà tendat; prudentia enim dictat, hujusmodi interrogatores ancipiti responso fallendos esse.

5. Itinerans manè radiculam zingiberis conditi, vel corticis citri conditi: post prandium autem parum sacchari rosati sumat.

6. In itinere non sunt sumendi cibi magnæ quantitatis, & exiguæ qualitatis. Alii dicunt, comedendum esse bene intensivè, non extensivè.

7. Caro jam primum excoriata vitanda est, quia diasintheriam parit.

8. In itinere usum raphani & nucum contra venena, suadet *Simon Güntherus in hortulo sanitatis*. Ejusdem opinio est, quod absynthites conducat itinerantibus.

9. Itinerantes minùs lassantur, si deferant secum artemisiam in manu, aut calceis. Certè hæc herba tunsa cum axungia & applicata, fatigationem, doloremque pedum ex itinere contractum, tollit.

10. Si itinerans callum contraxerit, poterit eum tollere succo cæparum nonnihil exsiccato, & cum thure ac adipe gallinæ permixto.

11. Caveant sibi itinerantes, (inquit *Simon Güntherus in citato hortulo sanitatis*) ne incautè, & continuò, nimisque diu tempore hyberno nives inspiciant; Cùm enim albedo disgreget spiritus visivos, dissipantur illâ inspe-

inſpectione, & debilitantur oculorum vires. Nigras itaque veſtes induant, & præ oculis nigrum aliquid gerent, in quod oculos defigant, ut fiat ſpirituum viſoriorum congregatio & unio. Suadendum eſt etiam, ut viatores præungant oculos felle picæ avis; hoc enim mirificè conducit ad præſervandos oculos illæſos à nive. Providendum denique de vitreis aut Cryſtallinis conſpiciliis, quæ debebunt oculis ſuperligari; hi enim aliàs propter compoſitionis ſuæ nobilitatem & teneritudinem, patiuntur noxam, non modò à frigore in hyeme, ſed etiam à calore & pulvere in æſtate: ita ut nonnunquam aliqui planè excæcentur. Quòd ſi aliquod malum in oculis obortum fuerit, linteo atro excalefacto crebrò fovendi ſunt. Juvabit inſuper, ſi oculi ſuffumigentur vapore orto ex lapide candefacto, qui vino extinctus fuerit. Denique etiam proderit decoctum paleæ tritici, ſi lana ſuccida eo madefacta, ad locum affectum applicata fuerit. *Hæc Güntherus.*

12. Itinerantes in hyeme, non modò caput, collum, aures, & omnia membra bene tegant mollibus pannis aut pellibus; ſed etiam veſperi benè lavent manus & pedes aquâ ſalitâ, quò magis contra frigus durentur.

13. Itinerans frigoris vehementia congelatus, non ſtatim ad locum calidum ducatur, ſed in loco temperato moveatur, & paulatim calefiat. Oleo liliaceo calido, anethino, vel camæmalino, membra fricentur: decumbat patiens in lecto, & bene tegatur, atque dormiat.

14. Si membrum aliquod fuerit à frigore congelatum, ponatur primùm in aqua frigida, recenter ex fonte vel puteo hauſta, ibique ſiſtatur aliquamdiu, ut remolleſcat: poſtea fricetur ſucco raparum aſſatarum, vel oleo aliquo calido. Si verò pars aliqua corporis ex con-

congelatione nigra esset, & mortua, periti chirurgi opera requireretur. Denique nec illud est ignorandum, quod qui frigore pereunt, sumant initium à genitalibus. Unde proderit éa solvere bono vino calido.

15. Si in manibus pedibusque itinerantis rimæ & scissuræ à frigore factæ fuerint, curabit illas unguentum ex olibano, adipe porci & anseris; item cinis cancrorum fluviatilium, & cinis ungulæ asini, cum axungia porci, vel anseris. Pix quoque rimis pedum utiliter illinitur.

16. Præter dicta, Medici itinerantibus in hyeme suadent 1. Ut in ore teneant tria vel quatuor grana piperis, vel cariophyllorum, cinnamomum, aut quid simile. 2. Ut siler montanum, seu seseleos semen cum bono vino bibant; hoc enim præservat à frigore, pellitque tussim. 3. Ut non careant oleis calidis, ad ungendum collum & nucham: atque hæc membra benè tegant & cooperiant; neque etiam careant calidis odoramentis. 4. Ut manus & pedes ungant alliis tritis, uti & galbano soluto in vino albo. 5. Ut manè ante egressum utantur calida aliqua confectione, quàm secum portent; uti sunt conditæ nuces, conditum zingiber, conditus calamus aromaticus, conditum ex raphano, & similia.

17. Si pedes viatoris ex ambulatione, vel angustiis, aut duritie calceorum vel ocrearum, per pustulas, aut abrasionem cutis læsi sint, superligetur calidus pulmo agni vel ovis. Item inspergatur vulneri pulvis ex veteribus calceis, aut soleis. Contra dolorem, inunge succum cæparum, contra tumorem misce succum sambuci, & axungiam, ut fiat unguentum: quo si partes læsas inunxeris, citò sanaveris. Contra dolorem & inflationem utere cicuta cocta in vino albo, la-

bo, lavando eâ locum affectum. Ungatur item locus affectus unguento facto ex oleo, & ſevo arietis. Pedum dolorem cum tumore à fatigatione factum, tollit plantago cum aceto trita.

18. Eques iter agens in hyeme, antequam ſe in viam det, fricet multum pedes, deinde inungat oleo de ſtœchade, vel de euphorbio &c. ut calor ad actum reductus, meliùs conſervetur in pedibus: factâ fricatione & unctione, involvantur pedes mollibus pannis bombycinis, vel lineis, deinde lana ſuccida ſupponatur plantis pedum, & ſuperinducantur ocreæ largæ, ut in iis pedes, pedumque digiti moveri poſſint.

19. Si equus in itinere amiſerit appetitum comedendi, fricetur illi os & lingua ſale, poſtea abluatur bono vino, & paulatim per vices detur ei fœnum, & parum avenæ vel zeæ ſeu ſpeltæ. Poterit etiam inter ambas manus teri medulla panis, & affusâ quartâ parte menſuræ vini, equo præberi.

20. Si equus à fabro ferrario per incuſſionem clavi ſit læſus, quæratur & aperiatur vulnus, permittatur effluere quod intus eſt, abluatur aceto & ſale, poſtea ponatur intus galbanum, vel ſaccharum liquefactum, aut folium verbaſci feminæ, probè inter lapides contuſum: appoſitaque rurſus ferreâ ſoleâ, poteris iter tuum tutò proſequi.

CA-

CAPUT XI.

De rebus spectantibus ad Charientologiam, quæ est Scientia tractans de jocis, salibus, facetiis, &c.

ARTICULUS I.

Inscriptio vexillaris.

JOannes Dux Andegavensis Neapolitanum Regnum armis subacturus, hoc symbolum vexillo militari inscribi jusserat: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes.* Quo intellecto, Alphonsus Rex Neapolitanus hoc symbolum vexillo suo inscribendum curavit: *Ipse venit, & non receperunt eum.*

ARTICULUS II.

De capitibus Nobilium & plebejorum.

Nobilis quidam famulo stipatus cœmiterium transibat, ubi ingentem craniorum ex sepulchris erutorum acervum conspicatus, famulo ait: *Hæc, ut vides, capita cæteris candidiora, nobilium: illa verò minùs candida, rusticorum & civium fuêre.* Dissimulabat famulus, responsum in opportunam differens occasionem, quæ se non longo post intervallo obtulit, cùm patibulum præterirent, plurimaque maleficorum capita & ossa candidissima sub patibulo sparsim jacentia viderent; tunc enim famulus ad herum suum conversus: *Nunquid Domine,* inquit, *etiam hæc Nobilium capita fuerunt?*

ARTICULUS III.

Memorabile & lepidum factum cujusdam Heri, mendacium servi detegentis, & mendacem corrigentis.

Iter unà faciebant Dominus ac servus (inquit Stengelius *tom.2. de Judiciis Divinis cap.9.*) Hic, ut sibi apud

apud herum locum nomenq; faceret, multa admodũ jactanter mendaciterque narravit vidisse se, cùm varias terras peragraret. Occurrit equitantibus transversâ viâ fugiens vulpes: quâ conspectâ, *Magna erat hæc vulpes*, ait Dominus. Cui mox servus: *Hoc nihil est*, dixit: *Ego vidi vulpem bovi magnitudine parem.* Intellexit facilè Dominus, non vulpem, sed mendacium servi posse cum bove æquiparari. Sed se pressit, & veluti admirabundus obticuit. Silentium servo pro admirationis indicio & plausu fuit. Quia autem dies paulò ante ceperat, convertit se Herus ad matutinas preces, & à Deo iter prosperum precatur, idque tam clarâ voce, ut servus omnia syllabatim audiret. Inter cæteras formulas adjecit, petere se, ut eo die precipuè, sese à verbo mendacii custodiret; tunc enim satis à periculo fluminis se custoditum iri. Advertit ea vox & precandi ratio servum; qui non potuit se continere, quin avidissimâ curiositate interrogaret Dominum, quid sibi id genus comprecandi voluisset? visus est initiò tergiversari herus, & invitus ad eam quæstionem respondere. Sed urgente magis magisq; famulo, tandem, quasi ingens arcanum detecturus, cum alto suspirio dixit: *Flumen est nobis transeundum hodie, in quo omnes merguntur, quotquot eo die mendacium dixerunt.*

Oppalluit ad hoc dictum servus, & mendacii recentissimi conscientiâ ictus visus est tremere. Pergunt in itinere, atq; non multò post ad rivum ambo perveniunt, vado transeundum. Ibi jam in ripa equitantem Herum subsequens servus rogat, ut subsistere paulisper velit. Ex subsistente interrogat, hiccine sit ille fluvius mentientium interfector? nolle se tentare vadum; cùm in vulpe comparanda putet aliquantulum à se erratum esse; neque enim eam bovi, sed juvenco duntaxat parem fuisse. De vulpe parum

curo

curo, ait Dominus; Cæterùm non hic eſt rivus, de quo dixeram: alius occurret: nihil tibi hoc loco metue. Hæc fatus calcaria admovit equo, & vadum, ſervo tergum ejus premente, ſuperavit. Paulò poſt ventum eſt ad alium amnem, quo viſo ſervus cepit denuò trepidare & quærere, *Hicne fluvius mendaciloquos morte plectere ſoleret?* Cumque herus reſponderet, neque iſtum eſſe timendum; addit ſervus, ſe gravem habere cauſam tam ſolicitæ interrogationis: non enim ampliùs ſe ſatis meminiſſe prædictæ vulpis magnitudinem; exiſtimare ſe, ne quidem juvenco parem extitiſſe, ſed vitulo lactente non fuiſſe majorem. Salva res, intrant & exeunt etiam ex hoc hoc vado. Sed ad tertium tandem fluvium accedunt; ad cujus præripia cùm veniſſet: *Hic tandem eſt ille veritatis defenſor, & mendaciorum punitor fluvius*, ait Dominus. Ad quæ verba attonitus ſervus, penè ex equo lapſus eſt. Verùm ubi ſe viresque collegit, veniam à Domino precatus, negavit ſe tranſiturum, eò quòd mendacii eo die à ſe prolati conſcius eſſet: Nam vulpem à ſe alibi conſpectam reliquis communibus vulpibus fuiſſe magnitudine omnino parem. Hoc àudito, *Et hæc quoque aqua*, inquit Dominus, *eſt aliis communibus aquis par, neque ſolet mendaces mergere.* Ita Herus *Conſilio & Induſtriâ* uſus mendacem ſervum, aquarum minitatione, curavit, & ad veritatem promendam promovit.

ARTICULUS IV.

Memorabile & lepidum factum Thomæ Mori, quo oſtendit fures non eſſe facilè defendendos, præſertim in judicio.

Thoma Moro in Anglia pro tribunali ſedente, crumeniſecæ aliquot, ſimilisque farinæ homines producti ſunt & accuſati. Ibi Aſſeſſorum unus, vir gravis & ſenex,

enex,eos,qui fures illos accuſabant, graviter reprehen-
dit,quòd in cuſtodiendis crumenis aliisque ſuis rebus
am negligentes fuiſſent: atque ita furto occaſionem
pſi præbuiſſent. Hujus importunitate offenſus Mo-
us, Aſſeſſores judicii dimiſit: ſequenti vero nocte
inum ex cleptis illis ad ſe adduci juſſit, & quid fieri
elletcommonſtravit: impunitate, ſi id feciſſet, pro-
niſsâ. Sequenti die Motus iterum pro tribunli ſe-
lens,primum eum, quicum ante egerat, produci jubet.
Multorum furtorum accuſatus, facilem ſibi ait fore
urgationem; modò vel ipſe judex, vel Aſſeſſorum
liquis,ſecreto aures ſibi præbere vellet: revelaturum
nim aliquid,quod ipſorum omnium intereſſet. Tum
Morus unum ex Aſſeſſoribus eligendi poteſtatem fe-
it. Ille verò ſeni illi heſterno ſuo Advocato, rem
mnem aperturum ſe dixit. Itaque cum illo ſeorſim
bſcedens, auri neſcio quid inſuſurrat: interim verò
narſupium ejus quærit, & inventum aufert. Illo jam
d ſubſellium reverſo,Morus quendam in carcere atti-
eri ait,qui fame periret: rogare ſe, ut Aſſeſſores parvâ
tipe ipſi ſubveniant. Mox ſingulis manum ad cru-
nenam admoventibus, ſenex quoque ille marſupium
uum quærit; eoque non reperto vehementer com-
notus,queritur crumenam ſibi eo ipſo in loco, ubi jus
licitur,furto ereptam. Tandem Morus rem omnem
i exponit: monens, ne poſthac tam acerbè repre-
enderet eos,quibus tale aliquid contingeret; neve fu-
um & crumeniſecarum ſuſciperet patrocinium. *Ent
ib.1.Epidorp.*

ARTICULUS V.

Vanus oſtentator deluſus.

In Alſatia, non procul ab urbe Argentinenſi Vir
Avorum, quàm nummorum ditior habitabat. Pote-
at is quidem fumoſas majorum effigies, exeſas carie

clavas, confossas jaculis peltas, perforatas crebrâ glande galeas, infectos rubigine gladios ostendere; interea tamen tenui admodum quadrâ vivebat; propterea quòd loculi aëre potiùs, quàm auro repleti essent. Nihilominus divitias ille suas jactabat, & nescio quam secretam opulentiam. Adeo robusta est superbissima jactantia, ut nec validissimis quidem sinistræ fortunæ brachiis dejici possit. Ut verò ostentator ille crederetur habere opes, quibus carebat, quotiescunque vicinam urbem ingrediebatur, eques videri volebat, cùm tamen equo careret. Calcaria ocreatis pedibus aptabat, sed jumentum, cujus lateribus calcaria admoveret, nullum habebat. Rescivit hoc Magistratus, & ludos voluit facere ridiculum hominem. Citatur ergo in Curiam: ubi eum è Senatoribus quidam canitie Venerandus hisce verbis allocutus est: Querelæ contra te, Nobilis Domine, ad Magistratum delatæ sunt. Accusationis caput hoc est: Diceris ante portas urbis equum tuum cursu exercuisse, & infantem illic temerè ludentem, equi calcibus obtritum esse. Respondet Nobilis, equum suum oviculâ mitiorem esse: à quo proinde nullum cuiquam periculum immineat. Fortè, inquit, cives vestri similitudine vultûs, aut vestis decepti, mihi imputant, quod alter deliquit. Tum Senatus testibus rem agere, & veritatem vel ab invito extorquere se velle simulavit. Hîc miser inter angustias deprehensus, quid consilii caperet, non satis percipiebat. Ostentationem fateri, durum; adire periculum capitis durius videbatur. Itaque capitis, quàm equi hactenus simulati, causam agere, satius arbitratus: Ut videatis, inquit, Patres conscripti, accusationis adversùs innocentiam meam conflatæ inanitatem ac falsitatem: scitote (& hujus dicti testes invoco omnes incolas pagi mei) jam à toto de-

:o decennio ſtabulum meum ab omni jumento vacu-
ım , deſertumque fuiſſe. Quibus auditis, Senatus
omnis in latum effuſus cachinnum , Reum abſolvit à
Crimine homicidii, ſed non liberavit à vitio inanis ja-
ctantiæ. *Drexelius tom.*1.*Operum.*

ARTICULUS VI.

Jurgioſa mulier lepido & ridiculo remedio à viro correcta.

Habebat quidam jurgioſam inprimis mulierem; adeo
t ſive ex caupona rediret, ſive laboraret, aut come-
eret, maledictis ab ea impeteretur. Et quantò eam
equentiùs verberabat, tantò contumelioſior redde-
atur magisque jurgabatur. Cùm igitur verberibus
hil profectum eſſet, aliâ viâ rem aggrediendam pu-
vit maritus. Itaque quotiescunque ipſa ei male-
cebat, continuò arreptâ tibiâ utriculari, licet eſſet
doctiſſimus, & planè aſinus ad lyram, ludere & ca-
re incipiebat. Uxor ſonitum tibiæ utricularis
oleſtè ferens, maledictis maledicta accumulabat.
ro in propoſito perſiſtente, mulier præ ira ſaltare
pit. Tandem cùm tibiam utricularem inflare non
ſſaret Maritus, Ipſa inſtrumentum inviſum & exo-
n ex ejus manibus excuſſit. Quòd cùm reſumpſiſ-
ille, & canere pergeret; mulier indignantiſſima
mo exivit. Die ſequenti illa domum redux , ad
ita maledicta: Vir ad ſolitum cantum ſe conver-
Quare mulier ſe victam oſtendens, imprecationi-
s abſtinuit, omnemque Viro benevolentiam pro-
ſit, dummodo tibiam utricularem deponeret. *Ga-*
*s tom.*1. *Conviv. ſerm.*

ARTICULUS VII.

Salarium faceto responso melioratum.

Publius Virgilius Maro, cùm in arte Veterinaria ex celleret, Romæ Magistri equilis Augusti Cæsaris amici tiam nactus, equos curabat, & in mercedem singuli diebus panes tanquam unus ex stabulariis accipiebat Interea à Crotoniatis pullus equinus miræ pulchritu dinis Cæsari dono fuit missus, qui omnium judici spem faciebat virtutis & celeritatis inusitatæ. Virgi lius autem eum ex morbosa equa natum, nec robore nec celeritate valiturum respondit. Idque reipi compertum fuit. Quod cùm Magister stabuli Au gusto Cæsari retulisset, duplicari ipsi in mercedem pa nes jussit. Cùm deinde ex Hispania canes August missi essent, Virgilius, quibus dotibus valituri essen prædixit. Quo cognito, iterum mandato Cæsar Virgilio panes duplicati fuêre. Dubitavit tande Augustus, Octavii filius esset necne? & remotis arb tris Maronē consuluit, possetne idipsum ex Physiogno mia cognoscere? Maro veniam precatus, quòd diffici foret, hominum æquè ac brutorum natales agnoscer tandem tamen, eum se pistoris filium arbitrari asserui Admirante responsum Augusto, ex muneribus pan riis id se colligere dixit: quòd cùm tam multa hact nus prædixisset, præter panes tamen nulla munera acc pisset. Facetiam æqui bonique consuluit Augustu eumque Pollioni commendavit: meliori assigna mercede. *Donatus in vita Maronis.*

ARTICULUS VIII.

Uxor Viro in omnibus contraria.

Maritus uxorem suam flumine præterfluente abr ptam & submersam, inverso tramite, adversoque flum ne ascendendo anxiè quærebat. Quam ob causa

obju

objurgatus ab obvio, quòd non ſecundo flumine deſcenderet, reſpondit, ſi mors meæ uxoris ipſius vitæ reſpondeat, de quo vix dubito, probabile eſt, éam adversùs flumen niti, utpote quæ in vita ſua moribus meis ſemper contraria fuerit.

ARTICULUS IX.

Adulteri ridicula deluſio.

Quidam adulter veſperi eques urbe egreſſus, in vicino pago libidini indulturus, cùm ad deſtinatum locum veniſſet, equum dumeto, quod pago vicinum erat, alligavit, & ad conſuetas ſpurcitias feſtinavit. Pagi incolæ, quibus adulteri prava conſuetudo, & luxurioſa vita non erat ignota, equo clanculum abducto, in ejus locum bovem prægrandem ſubſtituunt, eique apparatum equeſtrem inſternunt, & mox excitato tumultu mœchum conjiciunt in fugam: qui cùm, tenebricoſa nocte aſpectum, pavore attentionem eripiente, putatitium equum conſcendiſſet; bove ad inſolitum onus & flagra incuſſa mugiente, ac per arva & invia diſcurrente, brevi eques inter vepreta excuſſus jacuit, ratusque Dæmone ſe vectore, ſcelerumque ultore exceptum, quâ potuit viâ pedes urbem repetiit.

ARTICULUS X.

Vinum varium pro qualitate Hoſpitum.

Nobilis quidam feſtivi ingenii homo, triplicis ſortis vinum habebat, quod pro convivarum & hoſpitum qualitate curabat apponi. Ne verò res ulli pateſceret, ita cum famulo convenit, ut ſi ei diceret: *Valesne utcunque?* vilius vinum afferret: dicente verò: *Quid gloriaris?* mediocre; at ſi diceret: *Noli me angere*, fortiſſimum vinum promeret. Accidit verò, ut Nobilis ille ſæpe Poëtam convivam haberet, cui mediocrè vinum apponebatur. Poëta ex iterata ſæpius

hac dictione, *Quid gloriaris?* dolum advertens, hos mensæ accumbens versus composuit:

Tu non laudaris, si fers mihi Quid gloriaris?
Si fers utcunque, *rapiat Cacodæmon utrumque,*
Ibis ad astra poli, si fers me tangere noli.

ARTICULUS XI.
Politia Hirschaviensium.

Magistratus Hirschaviensis Principi cuidam ab ipsis discedenti comitem se adjungebat, usque ad portas civitatis eum deducendo; ubi cùm à Principe regredi juberentur Patres conscripti, Consul ajebat: *Illustrissime Princeps, nos Celsitudinem Vestram usque ad patibulum comitabimur, postmodum revertemur.*

ARTICULUS XII.
Ridicula narratio de Rusticis, profunditatem Putei mensurantibus.

Est in vicinia nostra pagus non ignobilis (inquit Auctor Joco-seriorum Naturæ & Artis *Centur.* 1. *propos.* 49. Ego verò crediderim, pagum illum non esse in vicinia, sed in Utopia) puteum habens profundum, toti pago aquam subministrantem. Hunc, cùm temporis successu limo & sordibus oppletus fuisset, expurgare cupiebat loci Prætor & incolæ. Situlam ergo prægrandem conficiunt, & funem ductarium haud mediocriter crassum coëmere constituunt, quo situla appensa communi labore & opera in puteum demitteretur. Ne tamen longiorem, aut breviorem, quàm par erat, funem coëmerent, superfluis, aut inutilibus sumptibus; putei profunditatem à trochlea, cui funis circumducendus, ad fundum usque explorare priùs statuunt. Cùm modus nullus occurreret, consilium ineunt, & quid facto opus sit, sedulò inquirunt. Post diuturnam consultationẽ, Prætor, utpote cæteris sapien-
tior

tior, hanc proponit pragmatiam, è Mathesi rustica depromptam. Scimus, inquit, Staturas nostrûm omnium. Itaque unus aliquis è nobis se suspendat è trochlea, alter ex hujus pedibus, tertius è pedibus secundi, & sic deinceps, donec ultimi pedes fundum contingant. Tum in unam summam conjiciamus omnium sic concatenatorum staturas palmis exploratas, & sciemus, quot palmorum funem comparare oporteat: neque enim hic longior esse debebit, aut brevior, quàm suspensorum catena. Placet consilium, & collaudatâ Prætoris prudentiâ, operi admoventur manus. Jam longa catena suspensorum pendebat, nec procul à fundo aberat infimus, cùm supremus, qui trochleam apprehenderat, manus sentit calore & attritione adeò arefactas & inflammatas, ut iis, nisi humectatis & refrigeratis, suspensorum onus sustinere non posset. Socios ergo monet, fortiter ut sibi cohæreant, donec sputo manuum volas madefaceret: & cum dicto manus à trochlea dimovet, omnesque in puteum præcipitat.

ARTICULUS XIII.

Arguta & Sophistica Ovorum multiplicatio.

Filius rustici studiorum cursu finito sæpius de scientia à Patre tentatus, respondit, tempus doctrinæ suæ declarandæ nondum adesse. Accidit, ut parentibus unà cum filio mensæ accumbentibus, tria ova apponerentur: *Nunc*, inquiebat filius, *occasionem nactus sum specimen doctrinæ meæ edendi. Ego demonstrabo hic quinque esse ova, etsi tria tantùm conspiciantur.* Patre interrogante, quonam modo id demonstrare vellet? *Vbi tria sunt*, inquit filius, *ibi & duo sunt; sed hic tria sunt, ergo & duo sunt.* Subsumebat, *sed tria & duo faciunt quinque; ergo cùm hic tria sint, & duo, erunt quinque.* Parens concedebat totùm, dicendo, *bene est, fili mi, laudo*

acumen tuum. Ego itaque ex his quinque ovis duo comedam, unum matri dabo, reliqua duo tu comedes.

ARTICULUS XIV.
Morio hydrophobus.

Cardinalis Lotharingus mari Romam petiturus, Henrici II. Galliarum Regis Morionem Bruſchetum, qui ſalibus ſuis itineris faſtidia & moleſtias leniret, comitem habere deſideravit. Cùm verò navis conſcenſum nullâ arte aut facundiâ Morioni perſuadere poſſet, tandem hac ſuaſoria oratione omnem periculi metum illi adempturus: *Nullum*, inquit; *naufragium nobis metuendum eſt*, *quia Sanctiſſimi Patris*, *Romani Pontificis auſpiciis navigaturi ſumus.* Cui Morio: *Audivi*, inquit, *ſæpius*, *Papam dominium habere in Cœlo, terra & purgatorio*, *ſed mari eundem dominari nunquam audivi. Abſit igitur, ut me huic tam inſtabili elemento committam.*

ARTICULUS XV.
Incarceratus à Morione incarcerando.

Epiſcopi Herbipolenſis Morio, cùm gravius aliquando deliquiſſet, famulo incarcerandus committebatur. Ubi verò nihil captandæ quieti opportunum in carcere, præter durum ſolum conſpexiſſet Morio, ingreſſurum ſe negavit, donec ſtramina importarentur. Quæ cùm famulus importaſſet, jamque lectulum ex iis pararet, Morio à tergo famuli oſtium carceris occludens, eum incarceravit, à quo incarcerandus ipſe erat, clavesque detractas Principi menſæ adhuc unà cum cæteris convivis accumbenti, attulit, dicendo: *Ægrè admodum hunc Nebulonem carcere concluſi.* Cui Princeps: *Tune illum incarceraſti, cui ego te incarcerandum tradideram?* *Ergo*, ait Morio, *malè fuerit à nobis intellectum.*

AR-

ARTICULUS XVI.

Magister Grammaticæ à discipulo malè intellectus.

Ulmæ Magister Grammaticæ discipulo mandavit, ut valvis scriptum affigeret, quo significaretur, se illa die *propter negotium publicum* non docturum. Discipulus malè intellecto Magistri mandato, schedam affixit hæc verba continentem: *Magister Grammaticæ hodie non docebit propter negotium pulicum.*

ARTICULUS XVII.

De Asino, qui, dum biberet, lunam cum aqua hausit.

Cùm aliquando in Regione Asophorum nocte concubia senescentis Lunæ pulcherrima facies reluceret, & ejusdem effigies placidissimè redderetur in stagno, accidit, ut interjectu nubeculæ tegeretur in cœlo sidus, & simul imago Sideris in stagno evanesceret. Itaque Regionis incolæ, ut sunt ingenio nocturno, planeque ad Lunam elaborato, cùm illam diu multumque, sed nullo successu, quæsivissent; tandem rumor increbuit, asellos (nempe loci Genios) aliquantò antè potum eò venisse, & insatiabili potandi licentia Lunam in aquis veluti pisciculum delitescentem, quàm ampla est, totam hausisse. Movit ea res solertissimos populares; qui satellites, nihilò civibus argutiores, expediunt, ut auritas pecudes Majestatis reas illicò sistant ac rapiant ad tribunal. Dictum factum. Nullo negotio, cæteris conjectis in carcerem, ne multitudo Patrum æquitatem inflecteret, unus ex his Lunæ furunculis paulò petulantior, collum indutus in vincula sistitur ad Judicem, causam dicturus. Hic verò Senatûs acutuli Princeps acutissimus, blanditiis cum bestia primùm agendum ratus, è Sella, quàm Romanâ

plusquam Majeſtate conſcenderat, placidiſſimâ manu dorſum aſelli palpat, ac mulcet ſuaviſſimè Catulum Melitenſem. Rogat, obteſtatur per & ſuas, & reliquorum Patrum querelas & lachrymas, per aras & focos, per quotquot haberent omnia cum illo communia, ne ſibi demum ſoli putaret tantùm boni natum: Lunâ, ſi neſciret, nullum inter ſidera ſalutarius, nullum omnino divinius: redderet oculum nocti, ſororem Phœbo, terrarum orbi delicias ſuas. Sed precibus à Reo ne verbum quidem exprimitur. Declinandum igitur fuit ad partem alteram. Furere proinde Judex vehementer incipit, edicere, interminari, quando clementem habere ſe nollet, experiretur iratum. Jubet obſtinatam in ſcelere beſtiam fuſte primùm, mox & fidiculis excruciari, dum dolor confeſſionem extorqueat. Verùm cùm ne ſic quidem efficeret quidquam, è Judice factus repentè carnifex, in Senatu, in ipſo Patrum conſpectu plaudentium lanienam exercet, & infelici aſello alvum reſcindit, ſcrutaturque intimas viſcerum latebras. Uno verbo, Lunæ, quam inquirebat, partem omnino nullam invenit, ſed imaginem ipſe ſuam, ad vivum expreſſam in aſello, ſtolidus homo deprehendit. *Vincentius Guiniſius in Allocutionibus Oratoriis.*

CAPUT XII.

Complectens doctrinam, pertinentem ad Scientiam Oeconomicam, quod videlicet Mater proprio, non alieno lacte filios ſuos nutrire debeat.

TAcitus olim magnopere commendavit Germanorum conſuetudinem, quâ ſuum quæque genitrix infantem propriis alere ſolebat uberibus, excluſo ancillarum, aliarumque nutricum miniſterio. Nec ſanè

ſanè immeritò, cùm lac matris, ſpiritusque materni longè magis ad vires corporis ingeniique in prole augendas conducant; ipſum enim (inquit Avicenna) eſt magis nutriens, quod magis ſimile eſt ſubſtantiæ nutrientium præteritorum, quibus alebatur, dum in ventre erat. Ne verò infantes, quod fieri nonnunquam ſolet, ſimul cum nutricis alienæ lacte, vitia etiam & mores improbos imbiberent, matres ipſas eadem provida diſpenſatrix natura, duplici quaſi fonte inſtruxit, fonte inquam candidioris ſanguinis, unde alimenta ſuppeterent fœtui. At inertia (inquit celebris quidam Eccleſiaſtes) aut amittendæ metus formæ, non rarò in cauſa eſt, cur matres non abſque inſigni liberorum detrimento, ſuo fungi nolint officio, & prolis lactationem committant aliis. De quibus S. Chryſoſtomus in Pſalm. 50. homil. 10. *Erubeſcit fieri nutrix, quæ facta eſt mater, & pietatis inſignia abſcindit ſuperbia.* Quod factum plus quam belluinum deteſtantur Eccleſiæ Doctores. Ecquis porrò ferat, ut indies videmus, præpotentes ac prædivites Dominas, acanthides, luſcinias, graculos, pſittacos, caniculos, ſummâ curâ ac diligentiâ enutrire, ſinu fovere, adblandiri, complecti, liberos autem rurali feminæ, aut corruptæ alendos exponere. In quas jure meritò excandeſcens Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *Pœd. c.* 4. Quæ Pſittacos, inquit, & graculos enutriunt, filios domi natos foris exponunt; gallinarum autem pullos excipiunt, & quæ ſunt expertia rationis, iis præferunt.

Non deſunt Theologi, qui feminas, abſque juſta cauſa & neceſſitate non lactantes prolem, peccati mortalis condemnent, propter gravia incommoda, quæ inde oriri conſueverunt. Sæpe enim contingit infantum corpora animoſque corrumpi, dum alieno lacte educantur. Corpora certè non ita vivida fiunt & nobilia; quia

quia lac ſugere compelluntur naturæ ſuæ non conforme. Cujus rei ſpecimen habemus in brutis animantibus. Si enim hædi ovium lacte alantur, pilos teneriores gignunt: & agni ſi lac caprarum ſugant, lanâ exiſtunt duriori. Et quiſquam miretur, ſi infantes lac ſugant nutricis ferocis, iracundæ, cholericæ, eos pervicacis cervicis exiſtere? ſimiliter ſi temulenta, ſi impudica, ſi improba nutrix ſit, eadem vitia in prolem transfundi! Tandem hoc omnibus matribus perſuaſum velim, ut ſi à liberis ſuis amari, obſervari ſuosque mores ac nativam indolem iis inſtillari cupiant, nutricibus alienis eos nequaquam committant, quæ ſecundariam tantùm, & ſuppoſititiam in iis educandis curam atque induſtriam adhibere ſolent: unde ſæpe non parvæ difficultates incommoditatesque conſecutæ ſunt.

Hujus rei fidem facit eventus ſanè inſolens, qui Lutetiæ Pariſiorum ætate noſtra innotuit.

Vir inter primarios urbis conſiliarios, prolem enutriendam & lactandam commiſerat conjugi Vinitoris cujuſdam ſui, extra urbem in agris & vinetis commoranti; cumque de ſedulitate mulieris nihil ambigeretur, tota ei puellulæ cura ita concredita eſt, ut ferè curam ipſius parentes viderentur ad tempus deponere, & nutrici quodammodo reſignare. Contigit autem infantulam nutricis negligentiâ, igni propius admotam, in facie uſtulari, & gravem ei deformemque maculam inuri. Quid faceret illa, quæ parentibus id nunquam auderet detegere? inito conſilio cum conjuge, ſuam ipſa prolem nec ætate, nec facie abſimilem, loco alterius ſupponit, & cùm plures menſes altera viſa non eſſet, credunt parentes ſuam eſſe, quæ erat aliena.

Itaque

Itaque ætate crescens educatur in Urbe Parisiensi more Nobilium, quæ filia rustici erat; quæ filia Consiliarii, ignobiliter versatur in agris, & more rustico enutritur. Tandem & illa rustica secundùm nobile genus putatitium, alterius Consiliarii filio opulento & nobili in matrimonium datur, cum dote correspondente. Altera penès vinitorem commoratur ignobilis. Putatitia mater urgetur scrupulis conscientiæ, ob dolum, damnumque legitimæ proli inde exortum. Post multos tandem annos Jubilæo adveniente compuncta, suasu Confessarii fraudem detegit illis, quos res ista concernebat. Agnoscitur puella legitima per notam quandam secretam, quam in ortu attulerat: agitur de recuperanda dote extraneæ data, res ad Judicem decernenda defertur, disceptatur de valore matrimonii, tanquam in quo error substantialis circa personam fuerit commissus. Quibus omnibus incommodis sanè gravissimis caruisset mater, si propriam prolem lacte proprio nutrire non detrectasset. *Marchantius in Candelab. Mystic. tract.* 8.

Quòd si tamen mater ob causam rationabilem prolem suam lactare ipsa non possit, nutrix idonea, non sine magna circumspectione, deligenda est. Infantes enim naturam & mores cum lacte nutricis sugere, quotidianis docemur experimentis. Quod argumentum accuratè tractatur à Gellio, aliisque Auctoribus; qui monent, nutricem non sine accurato delectu judicioque constituendam esse, ne tenellis infantulis nutricum vitia cum lacte infundantur. Remum & Romulum latrociniis addictos fuisse, autumant scriptores gravissimi; propterea quòd aliquanto tempore expositi, lacte lupæ nutriti fuerint. Mithridates quoque Romanos crudelitatis & aviditatis lupinæ arguebat, utpote qui originem suam referebant ad

Remum

Remum & Romulum, uberibus lupæ enutritos. Dion *lib.2.de Cæsare* crudelitatem Caligulæ imputat nutrici ejus, quæ papillas sanguine solebat illinere; unde & ipse eam contraxit ferociam, ut jam adultus sanguinem è cæsorum cadaveribus stillantem avidè lingeret, optaretque unicam populo Romano cervicem, quam uno ictu decuteret. Tiberium Cæsarem potatorem maximum fuisse tradunt, quod nutricis mores in se transtulerit. Tartari nonnulli suos infantes lactant lacte canino, ut evadant feri, pugnaces, rixosi instar canum.

Illud (inquit *Mendoza lib. 4. problemat. 7.*) testibus oculatissimis & locupletissimis accepi, virum Religiosum, & optimis moribus imbutum, in publico valde moderatum & modestum, cùm se solum & ab arbitris se motum crederet, in morem capreę saltare & currere solitum fuisse, nec se continere potuisse, quin hanc ludicram saltationem exhiberet. Rogatus hanc reddidit causam, quòd lacte capreæ fuisset educatus.

Simillimum est illud apud Justinum lib. ult. de Rege Hispaniarum, *Habis* nomine, qui cervæ lacte enutritus, cursu pernicissimo cervos adæquavit.

De Philippo II. Hispaniarum Monarcha memorant Historici (præsertim *Petrus Matth. histor. Henrici IV. Regis Gall. lib. 1. narrat. 4.*) nutricem ei obtigisse, morbo ex libidine infectam, & ab ea tanti Regis prolem contraxisse ulcus fœdum ad quod sanandum ipsos quatuordecim menses impendi necesse fuerit.

Duas sorores, moribus, ingenio, formâ discrepantes nominare possem (inquit Mariana de instit. Reg. lib. 2. c. 2.) alteram modestissimam, quæ matris lacte nutrita fuit: alteram, quæ agresti nutrici atque temulentæ

com-

commissa, pravo lacte ingenium commutavit, & ferox evasit.

E contrario de Caracella Imperatore quamvis sævissimo, non legitur magnum Christianis negotium eum facessivisse. Cujus rei causa fortè fuit (ut sentit Baronius ad Annum 217.) quòd è nutrice Christiana lac suxerit, ut refert præter Baronium Tertullianus.

CAPUT XIII.

Continens Eruditionem miscellaneam, de rebus variis, ad varias Scientiarum classes pertinentibus.

ARTICULUS I.

Curiosæ Observationes de Umbris.

1. Sciasophia est Scientia differens de natura umbræ. Porrò umbra est lucis soboles, & individua comes, quam nonnulli Solis & Lunæ simiam appellant.

2. Umbrarum aliquæ (præsertim quæ ab arboribus diffunduntur) salutiferæ, aliquæ noxiæ censentur. Dum enim arbores ferventissimis Solis radiis percussæ æstuant, fit, ut hoc æstu humor, in subtilioribus arborum partibus, puta foliis existens, dilatatus rarescat, & in subtiliores vapores exspiret. Hi autem vapores naturali arborum qualitate imbuti, eâdem consimilem sibi aërem imbuunt: qui mixtus aëri umbroso, ubi hominum, aliorumque animalium laxatos æstu poros subierit, iis vel nocumentum, vel emolumentum, pro diffusæ qualitatis ratione, adfert.

3. Umbræ earum arborum, quæ naturâ constant aërea, humano corpori salutiferæ sunt. Tales sunt umbræ Pyri, Pomi, Cydoniæ, Amygdali &c. quò

etiam

etiam omnia aurantiorum, citriorumque genera pertinent. Atque hæ umbræ tantò sunt saniores, quanto fructus homini plus conferunt. Siquidem hæ arbores vapores exspirant, vaporibus naturæ, id est, spiritibus valdè consimiles; unde & iis spiritus hominis æstuans temperatur, confortatur, & corporis humani membra mirificè instaurantur. Hinc Ægyptiorum mos fuit, ut omnes illos morbos, quorum vis esset in perturbatione spirituum (cujusmodi sunt phrenesis, melancholia, scoromia, vertigo, tristitia) arborum, dissipativâ quadam facultate pollentium, amicis umbris, adhibitâ etiam musicâ, curare soliti sint.

4. Loca umbrosa, salutiferis herbis, rosis, thymo, origano, hyssopo, mentha, nardo, aliisque plantarum salutiferarum speciebus consita, dum salutiferis suis vapidisque halitibus umbrosum aërem imbuunt, iisdem corpus humanum mirificè confortant: & singula quidem membra eâ qualitate imbuunt: quâ imbui naturaliter appetunt. Hinc umbræ herbarum cardiacarum cordi; pulmonariarum pulmonibus & pectori; hepaticarum hepati; satyricarum veneri &c. apprimè conducunt.

5. Omnium arborum graveolentem odorem spirantium umbræ capiti noxiæ sunt: tales arbores sunt Pinus, Larix, Abies, Terebinthus, Cypressus, Sambucus, & omnes species Picearum. Vidi aliquos (inquit P. Athanasius Kircher *in arte magna lucis & umbra lib. 1. part. 2.*) qui sub Larice, Pinu, & Abiete dormientes, ita fuerunt his bituminosis gravati spiritibus & odoribus, ut febri inde contracta, multis mensibus lecto affixi hæserint. Carolus Clusius *in suis Exotericis* commemorat, quoddam genus Laricis in America reperiri, sub cujus umbra dormientes, tam potente delirio corripiuntur, ut expergiscentes, & usu rationis desti-

destituti, miros inde mores assumant: nonnullis Prophetas, quibusdam milites, aliis mercatores, singulis denique id agentibus, ad quod eos naturalis incitat propensio. Narrat Herrera *in Historia America*, arborem quandam *Aquapun* dictam, in novo Regno Granatensi tam potentis esse virulentiæ, ut Hispani primùm exitialis facultatis ignari, sub umbra ejus dormientes, hydropicorum instar, immodico omnium membrorum tumore distenderentur. Barbaros quoque nudos, aut ebrietate sopitos, sub arbore illa diutiùs commorantes, rupta nimio tumore pelle, omnibusque intestinis effusis, miserando mortis genere extingui.

6. Luscinia maximè amat umbram Fraxini: cùm enim summa illi cum serpentibus, & his cum Fraxino antipathia sit, inter hujus arboris umbrosos ramos, veluti in arce munitissima, contra hostem tuta vivit.

7. Umbræ umbris quandoque contrariæ sunt. Ita dolorem capitis, quem quis in umbra Juglandis contraxit, mox in umbra Tiliæ mitigari sentit. Qui ex morsu canis rabidi hydrophobiam contraxit, si sanatus umbram corni subierit, in eandem irremediabiliter relabitur. Quod primùm in quodam Lugdunensi Anno 1636. observatum est, teste Auctore *Pentagoni Medic. Philosoph.*

ARTICULUS II.

Mira vis Seminis.

Latet in exiguo seminis corpusculo quidam spiritus opifex, qui virtute plastica operatur sine tumultu, & absque omni conspicuo instrumento producit opus admiratione dignissimum, idque ex rudi & informi materia, in qua nulla dissimilitudo, nulla varietas, nulla partium distinctio sensibus occurrit. Videmus enim in semine, sine ullo tamen vestigio totam latere arborem

cum radice, trunco, ramis, foliis, fructibus. Ex grano hordei procedit radix, culmus, spica, grana. In ovo, semine volatilium, latet volucris cum omnibus membris, colorumque differentiis. In semine animalium delitescit corpus cum universis membris, corde, cerebro, pulmone, hepate, splene, vesica, stomacho, renibus, nervis, venis, tendinibus &c. Quis res tam varias & disparatas in homogeneo corpore latentes segregat? quis materiam uniformem nunc in ossa solidat, nunc in liquorem spargit, nunc in mollem carnem conformat, modò in nervos & cartilagines extendit? certè nullus alius, nisi plasticus ille spiritus, ab auctore naturæ singulis rebus, quæ generatione propagantur, inditus.

ARTICULUS III.

Memorabiles Historiæ de quibusdam Ovis.

Anno 1669. Rusticus quidam ovum prægnans alio ovo ostendit Bartholino, ut ipse testatur in litteris ad Sachsium Medicum datis. Aliud ovum ovo prægnans asservatur in Thechnicotheca Regis Daniæ, ut præfatus Bartholinus commemorat.

De alio ovo in Anglia edito Harvejus *Exercit.* 11. *de generat. animal. p.* 86. sic scribit: Vidi ovum perexiguum intra aliud gallinæ ovum majus, omni ex parte perfectum, & cortice circum circa obtectum, contineri. Ovum hoc Serenissimo Regi Angliæ Carolo, præsentibus multis aliis spectandum exhibui.

Atque ut nonnunquam ova aliis ovis prægnantia, sic in ovis varia monstra quandoque reperta fuêre.

Aldrovandus *in Histor. Monstrorum. fol.* 389. refert gallinam, quam ipse domi aluerit, post multa ova unum pusillum sine luteo edidisse: in cujus albumine serpens instar vermis compertus est, in quem ovi vitellum fuisse conversum suspicatus est Aldrovandus, eò

quòd

quòd nonnulli obſervaverint, gallinas ab aſpidibus nonnunquam compreſſas fuiſſe.

Ambroſius Paræus *de Monſtris lib.* 24. *c.* 2. Monſtrum adducit, quod Auguſtoduni in ædibus Dancheronis Cauſidici inventum fuit, dum ancilla ova multa frangeret, butyro incoquenda. Erat Monſtrum illud humana facie, capillitio colubris undique horrente, tribuſque colubris mento barbæ inſtar hærentibus: quod Carolo IX. Regi Galliæ Metis agenti tranſmiſſum fuit.

Romæ in diverſis ædibus ac temporibus cocta & aperta ſunt duo ova: quorum alterum durum, alterum molle ac ſorbile erat, & in utroque inventus ſcorpio: in hoc vivus, in altero mortuus.

ARTICULUS IV.

Modus aſſuefaciendi avem, ut quoties avolaverit, ad te redeat.

Avi cuicunque adhuc involucri partem roſtri ſuperioris abſcinde, ut ſola cibum capere nequeat; illamque ciba, quoties opus fuerit: aſſueſcetque cibum à te petere & ſumere. Volucri jam factæ permitte, ut liberè in loco clauſo circumvolitet, & quoties fame ſtimulante à te cibum petit, porrige. Tandem ita aſſuefactam, poſt toleratam aliquamdiu inediam è feneſtra dimitte. Avolabit illa quidem, ſed brevi adacta fame ad te revertetur. Redeunti ergò promptè cibum offer, iterumque dimitte. Quotieſcunque famebit, ad te redibit, quoniam ſola ſine roſtro ſuperiori integro cibum ſumere non poteſt. *Auctor Joco-ſerior. Natur. & Art. Centur.* 1.

ARTICULUS V.

Nonnulla de ſerpentibus.

1. Serpentem eſſe typum reſurrectionis noſtræ aſſerit *Gregorius Nyſſenus Orat.* 3. *de Reſurrect. Chriſti.* Ser-

pentes enim, inquit ille, vivida alioquin animalia, hiberno tempore enecti, sex mensibus in terræ cavernis delitescunt immobiles. At cùm statum tempus advenerit, & tonitrua in mundo audiuntur, fragor ille nubium quasi signum illis est profectionis: quare celeriter exiliunt, & post tantum temporis ad consueta opera prodeunt. Et neget aliquis homines, tubâ Dei de cœlo resonante, animari posse, ac reviviscere.

2. Serpentes vini magnopere appetentes sunt. Unde nonnulli vinum in vasis fictilibus ad sepes deponunt, quo cum inebriati illi fuerint, capiuntur.

3. Quidam, succo raphani perunctis manibus, tutò tractari posse serpentes, sibi persuadent, ego nunquam expertus sum.

ARTICULUS VI.

Vlcus pessimum afflatu pueri duodennis curatum.

Gallorum Regis Frater natu minor, laborabat ulcere pessimo, ac prodigiosæ turpitudinis, qui afflatu perpetuo pueri annum agentis duodecimum curatus est. Neque sanè absque ratione; quia Spiritus procedens à corde impuberis, qui tamen sit ætate firmâ præditus, omnino syncerus est & incorruptus, potestque corruptos emendare humores. *Cardanus citatus à Weckero lib. 5. de Secretis.*

ARTICULUS VII.

Ædificiorum fundamentum humana corpora.

Mancipiorum in Japonia miserrima est conditio, ut sæpe mori malint, quam servitutis sustinere incommoda. Quapropter si quando Dynastæ nova construunt ædificia, rogant servi specie officii, ut liceat sibi corpora sua exstruendo operi substernere. Persuadent

enim

enim sibi Japonenses, æterna esse opera, nullamque passura ruinam, quibus pro fundamento sit caro humana. Annuente igitur petitioni illorum Dynastâ, miseri illi superimpositis saxis oppressi comminuuntur. *Varerius in descriptione Japoniæ.*

ARTICULUS VIII.

Memorabile incendium turris, pulverem tormentarium continentis.

Mechlinia urbs Belgii ingentem cladem ab incenso à fulmine pulvere tormentario 7. Augusti Anno 1546. accepit. Erat in muri ambitu, qui civitatem amplectitur, juxta portã Neckerspouliam turris rotunda, veteri more, è quadrato albo lapide vivo ædificata. Altissimo ejus fundamento opus concameratum erat superstructum. In hujus fundo ad septingenta dolia pulvere tormentario plena, in belli usum custodiebantur. Turris verò aliquot locis vetustate rimas agebat. Conquesta fuerat hac de re Magistratui nõ semel vetula paupercula, in eâ gratis habitans. Cumque pomeridiano tempore tonitrua ac fulgura vehementia excitari cerneret, formidine correpta, circa Vesperam cum rebus pretiosioribus aliò concessit. Nocte hora undecima redeunt tonitrua, fulgura & fulmina, intrantiaque per Rimas pulverem incendunt. Turris ingentis altitudinis è fundamentis in alum integra sublata, antequam vis pulveris, quæ eam elevarat, evanesceret, in äëre disrumpitur, quadratique ingentes lapides per universam disjecti urbem evertunt in urbe ultra ducentas civium domos, ac totidem in ampliissimo suburbio ædes, quarum lateres, vivique lapides non minus detrimenti, quàm turris intulere. Vitreæ ferè omnes Mechliniæ fenestræ, lapidum tegularum, laterumque volatu, ac immenso dissilientis turris fragore sunt con-

fractæ: fenestræ ligneæ, januæ ad ostia, seris pessulisque dissilientibus ubique patuêre; omnibus subitæ cladis causam non parum admirantibus. Homines utriusque sexûs variæ ætatis ultra quingentos oppressi, bis mille vulnerati. Nulla enim in civitate universa fuit domus, quæ non cladem, damnum, aut utrunique pertulerit. Variis in locis homines è lectis surgentes, capitaque fenestris, ut tumultûs causam discerent, exerentes, ea transvolantium lapidum violentiâ perdidêre. Multis locis vir uxorem, illa maritum, aut parvulos liberos juxta se extinctos, luxêre. Puer quidam in platea negotii causâ cum lumine incedens, in aërem à lapide abreptus, eidem incumbens, in terram illæsus, sed extra se repertus, rediit. Multi instar Æthiopum à prætervolante pulvere infecti ac sauciati, miserabile sanis spectaculum præbuerunt. Congerrones aliquot, qui potandi, tempusque lusoriis chartis fallendi causâ tabernam cerevisiariam ingressi fuerant, hospita, quæ ad promendam cerevisiam in subterraneam descenderat cellam, reversa, eodem, ut reliquerat, ad mensam sedentes omnes, chartasque lusorias manibus tenentes, sed mortuos reperit. Per octo dies cives rudera perscrutantes, saucios ac mortuos detexêre. Repertus est post triduum inter alios vir nudus, inter duas macerias conjectus, rogans, num mutato universitatis statu, Christus an generale totius humani generis judicium venisset. Concursum est Mechliniam ex omnibus Brabantiæ oppidis ac urbibus, imò & vicinis Provinciis, ad tantæ cladis inspectionem. Reperta fuêre mortua mutilaque corpora ad sesquimilliare extra civitatem variis locis disjecta; quorum nonnulla fœdum in modum ex arboribus dependebant: Ut Concubina Prætoris cujusdam, quæ flavescente capillitio ex arboris ramo nuda dependens, aperto ventre intestina in

terram

terram defluentia, omnibus cum horrore oſtentabat. Civitatis foſſa ab utraque dirutæ turris parte ad paſſus ducentos ſicca cernebatur, cùm tamen aqua foſſæ illius antea pedeſtris lanceæ altitudinem æquàverit. Piſces quoque magno numero per agros diſperſi extinctique, & multi eorum in arborum ramis hærentes conſpiciebantur. *Ex Annalibus Belgicis.*

ARTICULUS IX.

Fures & prædones prudenter deluſi, opesque conſervatæ.

Hannibal ab Antiocho fugiens pervenit ad Cretenſes. Providens autem ſe ſuosque theſauros magno fore in periculo, propter avaritiam rapacitatemque Cretenſium, apud quos jam aliqua de ſuis opibus fama percrebuerat: *Conſilio & Induſtria* utendum ratus, amphoras complures implet plumbo, ſumma duntaxat ſuperficie auro & argento contectâ. Has præſentibus Cretenſibus deponit in templo Dianæ, ſimulans ſe ſuas fortunas illorum fidei committere. His in errorem ductis, ſtatuas æneas, quas ſecum adduxerat, omnes auro complet, easque in propatulo domi abjicit. Cretenſes magnâ curâ templum cuſtodiunt, non tam ad arcendos prædones, quàm ad impediendum, ne Hannibal ipſis ignaris depoſitos theſauros reciperet, ſecumque diſcedens aſportaret. Sic Hannibal deluſis Cretenſibus, cum ſtatuis æneis auro repletis, ad Pruſiam perfugit. *Probus in Hannibal.*

Alphonſi Arragonii temporibus, Agrigenti (quæ Siciliæ civitas eſt) degebat vir quidam cæcus aſtutiſſimus; qui per Inſulam proficiſcens ſine ullo ductore, etiam videntes interdum anteibat. Hic cùm haberet 500. aureos nummos, veritus, ne ſibi furto adimerentur, in agro eos defodit. Quod cùm fortè quidam vidiſſet, qui ei per baptiſmi ſacra conjunctus erat, & haud

longè ab eo loco habitabat, sequenti die effossam inde pecuniam abstulit. Cæcus post aliquot dies ad locum rediit, ut pecuniam quæreret. Quam cùm non invenisset, Conjecturâ assecutus est, propter vicinitatem nullum alium quàm vicinum, de quo mentio facta est, eam surripuisse. Itaque rem dissimulat, atque post aliquot dies vicinum conveniens, sub jurisjurandi fide, ut meliùs tegeretur astus, velut amico communicat, se aliàs pecuniam defodisse: & cùm tantundem nunc etiam haberet, petere se ab amico consilium, deberetne simul cum aliâ defodere, aut seorsim eam apud se retinere? Amicus, qui hanc quoque cœci pecuniam, ut aliam, auferre cuperet, suasit, ut cum aliâ defoderet: & ne cæcus, si primam abesse pecuniam deprehendisset, hanc, quam se habere nunc dicebat, illic deponere abstineret, primam illic ut antè erat, reposuit. Cæcus illuc profectus, cùm pecuniam invenisset, arbitraretur-que id quod erat, scilicet amicum suum haud longè ab eo loco abesse, exclamavit: Hac in re, amice, oculatior vidente cæcus fuit. *Fulgos. lib. 7. c. 3.*

ARTICULUS X.

Amicitia conciliata per pomum.

In Vitis Patrum refertur, sapienti cuidam mulieri fuisse filium unicum, cujus in Mercimoniis societatem expetebant plurimi. Huic Mater dedit poma tria: adjecto mandato, ut in via esuriens, ea amicis scindenda & distribuenda offerret. Filius imperio Matris obtemperans, poma offert amicis: quorum primus partitur pomum in duas partes inæquales, & minorem præbet filio illius mulieris, majore sibi reservatâ, juxta illud asini:

Si fueris quarum divisor particularum,
Hanc discas artem, majorem suscipe partem.

Alter similiter dividit pomum alterum in partes in- æqua-

æquales, & filio illi dat partem majorem. Tertius tertium pomum ſcindit in partes æquales. Quibus ad matrem relatis, monet ipſa, ut tertium eligat: quia, inquit, primus fuit injuſtus alteri, ſecundus ſibi ipſi, tertius æqualiter egit.

ARTICULUS XI.

Memorabile factum Judicis, rei alienæ inventori ſubvenientis.

Cùm quidam amiſsâ burſâ, cui quadraginta aurei inerant, promiſiſſet ſe duos aureos præmii loco inventori daturum: at poſtea ruſtico burſam inventam afferenti quidquam ſe daturum negaviſſet, propterea quòd duo coronati de ſummâ deeſſent (ajebat enim in burſa fuiſſe aureos quadraginta duos, nunc autem quadraginta duntaxat reperiri) Alexander Medices, ad quem res delata erat, improbitate hominis cognita, burſam cum 40. aureis ruſtico reſtitui juſſit; & alterum, qui ſe amiſiſſe dicebat burſam cum 42. aureis, exſpectare, donec veniret, qui burſam ejuſmodi ipſi offerret: hanc enim, quæ 40. tantùm contineret, ex propria confeſſione illius non eſſe.

ARTICULUS XII.

Memorabilis Lex de Furibus.

Lex de Furibus apud ſolos Ægyptios hæc erat. Jubebat eos, qui furari volebant, nomen ſuum apud Principem furum profiteri, libroque ad id deputato inſcribere; & ſine mora rem furto ablatam ad eum deferre. Similiter ii, quibus res furto erepta erat, apud eundem rei ſublatæ tempus, diem & horam ſcribere tenebantur. Hoc modo facilè detecto furto, qui rem amiſerat, quartâ ejus parte mulctabatur, quæ daretur furi. Nimirum ſatius eſſe exiſtimavit Legislator (cùm impoſſibile ſit furta penitus prohibere) homines unius

partis, quàm totius rei amissæ jacturam pati. *Diod. lib.1. cap.6.*

ARTICULUS XIII.

Crudelis & impudens Creditoris petitio memorabili prudentia Judicis rejecta.

Constantinopoli Judæus quispiam Christiano egenti certam pecuniæ summam mutuò dederat, eo pacto & conditione, ut constituto tempore Creditor Judæus & sortem, & insuper duas uncias carnis ex corpore Christiani debitoris exsectas, usuræ loco reciperet. Christianus sortem reddit, usuram negat. Solymannus Imperator ad cujus tribunal impius Judæus hanc causam detulerat, animadversâ tum Christiani necessitate, tum nefarii Apellæ crudelitate, novaculam afferri præcipit, & ad Judæum conversus: Age, inquit, jus tuum prosequere, quacunque voles corporis parte exscinde carnem, sed cave, ne plus minusve, quàm duas uncias reseces: si erraveris, errorem pœnâ capitali lues. Judæus periculo territus, usuram sponte remisit. *Corrozetus de dictis & fact. memorab.*

ARTICULUS XIV.

An Rebuspublicis fatales sint anni quingentesimus & septingesimus.

Conversiones & eversiones Rerumpublicarum non sunt fortuitæ, sed fatales. Intellige hic fatum Christianum, id est, providentiam Dei, quæ non adfert necessitatem coactionis, sed infallibilitatis non fatum illud fatuum, quod est vel Chaldaicum seu Astrologicum, & Deum subjicit astris; vel Stoicum, quod Deum subjicit connexioni causarum secundarum. Tale fatum meritò explodimus, & cum sanioribus Ethnicis omnibusque Christianis asserimus, ab æterna Sapientia justè decretum esse, ut omnia, quæ ortum

tum, incrementum, progreſſum, maturitatem & ſenectutem habent, interitum etiam aliquem habeant. Cujus rei cauſæ nobis quidem ignotæ eſſe poſſunt, injuſtæ eſſe non poſſunt. Atque hoc pacto Deus etiam Regnis & Rebuspublicis tempora certa præfixit, quibus inchoentur, creſcant, floreant, mutentur, & denique intereant. Et hæc appellatur periodus Imperiorum: quæ, ut magno exemplorum conſenſu comprobatum eſt, 500. & 700. annorum ſpatio ferè comprehenditur. Ita fermè quingenti anni numerantur à Ducatu Moſis uſque ad Regnum Saulis: à ſoluta captivitate uſque ad mortem Chriſti: ab Eſdra, qui Judaicam inſtauravit politiam, uſque ad Veſpaſianum, qui totam deſtruxit. Totidem ferè annis Regnum Athenienſium & Lacedæmonum duravit. Annis 500. Conſules rexerunt Rempublicam Romanam. Carthago ſteterat annis 700. quando à Scipione deleta eſt. Civile bellum Pompeji & Cæſaris, quod Rempublicam Romanam evertit, incidit in annum ab Urbe condita ſeptingenteſimum quintum. Exactus eſt nunc quoque ab inſtaurato per Carolum M. Imperio Occidentis annus 700. & ultra: & à Collegio Electorum Imperii Othonis Tertii ſapientiâ conſtituto 600. & quod excurrit: ob quem duarum periodorum concurſum impendere mutationes maximas.

ARTICULUS XV.

Narratio de quadam claſſe, non minùs miſerabili, quàm formidabili.

Verè formidabilis fuit illa claſſis, quam Anno Chriſti 1588. Philippus II. Rex Hiſpaniæ per triennium ferè ædificandam curavit, tantâ hominum rerumque omnium abundantiâ fartam, ut vix ſimilis legatur. Conſtabat illa univerſim navibus 101. admirandæ magnitudinis & roboris. His vehebantur nautarum

millia

millia ſeptem,& claſſiariorum militum ſupra 20.millia; præter nobiles & voluntarios, qui ſuis ſumptibus operam & fidem inſigni aliquo facinore Regi probare volebant. Tormentorum ex ære fuſili erant mille ſexcenta: è ferro mille plus minus: globorum centum viginti millia: reliqui apparatus bellici infiniti. Et Rex ipſe æſtimabat claſſem continere hominum millia triginta duo,& ſingulis diebus conſtare ducatorũ millibus XXX. Bernardinus Mendoza Philippi Regis in Gallia Orator, habito cum Galliæ Rege colloquio narravit,initâ diligenter ratione omnium expenſarum in claſſem iſtã, eam minimùm centies vicies centenis millibus aureorum conſtitiſſe. Trepidabatur undique in Belgio & Anglia ad rumorem tantæ claſſis. Sed quid actum? Angli Duce Franciſco Dracke navibus paucis & parvis aggreſſi ſunt naves Hiſpanorum multas & magnas, eaſq; per dies multos & in diverſis locis ad Caletum uſq; ita exceperunt, vexarunt, conquaſſarunt, ut alias cum magno dedititiorum numero, magnaq; pecuniarum, vaſorum, argenteorum, cimeliorum & variæ nauticæ ſupellectilis multitudine in poteſtatẽ redegerint,alias ſubmerſerint, reliquas diſſipaverint ejuſmodi ſtratagemate. Octo naves viliores exinanitas,pulvere, ſulphure,pice,repleverunt, eaſq; tormentis inſtructas & incenſas 7.Aug.hora 2.poſt medium noctis, vento & æſtu ſecundis,contra claſſem Hiſpanicam emiſerunt: ad quarum conſpectum tanta inter Hiſpanos trepidatio orta eſt, ut amputatis rudentibus & expanſis velis in apertum Oceanum ſeſe proripuerint. Ita claſſis illa formidabilis longè Norwegiam verſùs excurrens,& totam Britañiam, Hiberniamq; circumvecta, demum rediit in Hiſpaniam,cadaveri ſimillima. Magnum iſta clades dolorem pleriſq; omnibus in Hiſpania familiis nobiliſſimis attulit, è quibus paucæ erant, quæ non cognatum aliquem

quem vel affinem, aut in pugna cæsum, aut naufragio amissum, aut ab hostibus captum luxerint.

ARTICULUS XVI.

Libertas memorabili Industriâ recuperata.

Hugo Grotius Batavus vir politioris litteraturæ, quamvis educatus inter Calvinianæ factionis sectæque Magistros; & variis officiis cum laude perfunctus apud suos; ob sinistram tamen suspicionem perduellionis anno 1620. ab iisdem, quos longo, & nimis fido obsequio sibi devinxerat; vinculis, quæ non nisi cum vita solverentur, traditus, & ad arcem in finibus Hollandiæ sitam perductus fuit. Milites, quorum custodiæ commissus erat, licet Argi instar in omnes, qui etiam indulto Ordinum accedebant, circumspicerent; fefellit tamen eorum vigilantiam Grotii industria & solertia. Quippe in molesto illo otio Musas suas subinde repetebat, eumque in finem frequentiùs arculam, quam ex composito uxor ad corporis maritalis mensuram fabricari jusserat, libris repletam ultro citroque deferri curabat: sic ut milites ipsius custodiæ deputati, & crebriore ejus darculæ, quam librariam esse didicerant, elatione assuefacti, nullâ indagine præviâ eam facilè admitterent, & remitterent. Quam opportunitatem nactus Grotius, uxore & famula conscíis, & scenam hanc dextrè atque ex fide adornantibus, simulatâ ægritudine in prædictam arculam se immittit, membra componit, & per vigiles famula bajula elabitur, delatus ad navem, Gorcomium transfertur; ubi in domo notâ & fidâ laxato arcæ claustro jam liber, & munere faventis fortunæ lætus Grotius, personato habitu in Brabantinam Campaniam primùm, deinde Antverpiam proficiscitur.

Recu-

Recuperatam libertatem eidem reduci gratulatus fuit hoc epigrammate Franciſcus de Montmorançii è Societate JESU.

Jure tuæ libros colis inſtrumenta ſalutis,
Et tibi præcipuo ſunt in amore loco.
Fecit enim Groti, creber dum fertur in arca
Efferturque liber, liber ut eſſe queas.

ARTICULUS XVII.

Detrimenta Ludentium.

Medici cujuſdam in Gallia filius in publica aleæ Academia (hoc nomine corruptionis officinæ indigitantur) ſexaginta coronatorum millia, teſte Lanſio *in Conſult.* perdidit.

Qui libenter ludit ſibi ipſi infortunium cudit.

Subjungo memorabilem monomachiam, ex luſu aleæ ortam.

Anno 1522. duo Nobiles Valledoleti, præſentibus Cæſare & Caſtellæ Coneſtabili, in foro armati ſingulari pugna ob controverſiam exigui momenti ex luſu aleæ ortam, certavêre. Quam hiſtoriam referre libet, prout eam commemorat Pontus Heuterus Delfius nobilis Belga, qui eo tempore cum Cæſare in Hiſpaniam profectus, certamini interfuit.

Duo nobiles adoleſcentes, vigeſimum quintum ætatis annum ſinguli nondum egreſſi, nati Cæſar augustæ, clariſque Hiſpaniæ familiis majorum nuptiis inſerti, diu inter ſe animorum ſtudiorumque conjunctione amici, tandem controverſiâ ex aleæ luſu ortâ, eò devenêre, ut de vita ſingulari certamine pugnaturi, horam locumque extra urbem, nemine conſcio, conſtituerent. Uni nomen erat Petrus Torellius, alteri Hieronymus Anca. Prodeunt ad conſtitutum locum gladio tantùm & cappâ (togæ Hiſpanicæ brevioris ſpecies eſt) ut erat conventum inſtructi. Congrediuntur

diuntur, ac post aliquot hinc inde acceptos illatosque punctim cæsimque sine vulnere ictus, Torellio gladius manu excutitur. Quid faceret inermis, armatum adversarium contra se insurgentem, mortemque intentam cernens? Concedit Ancæ hac lege victoriam, victumque se fatetur, ne ulli mortalium quæ gesta essent, referret, sed res perpetuo silentio sepulta maneret: malle enim se mori, quàm cum ignominia vivere. Promittit persanctè silentium Anca, repositisque in vaginas gladiis, seque mutuo amplexati, revertuntur ad urbem amici. Post aliquot dies actæ rei historia in omnium versatur ore; nil aliud in urbe garruli garrulæque narrabant. Accusat Torellius Ancam violatæ fidei. Negat hic se auctore rem in publicum emanasse, sed proximi pagi Parochum in propinquo deambulantem, pascentiaque pecora sua inspicientem, pugnam ejusque eventum conspexisse, & hominibus narrasse. Examinatus Sacerdos ruralis non satis sibi constat, ac plus quàm decebat, Ancæ se addictum, faventemque demonstrat. Rejicit hac de causa ejus testimonium Torellius, persistitque in accusando Ancâ, eique datæ fidei transgressionem viro nobili indignam exprobrat. Ille aliter rem se habere asserens, in eo obstinatè persistit. Cumque aliter veritatem probare non possent, singularis certaminis judicio rem committunt, oblatoque Cæsari libello supplici petunt, ut pro Regni Arragonici & Castellani more, utriusque petitioni subscribere, & locum, diemque certamini statuere dignetur. Cæsar eos ad Castellæ Conestabilem rejicit, quòd ad eum hujusmodi rerum spectet judicium. Conestabilis omni ratione eos à pugna deterrere conatus, cùm nil proficeret, petitioni tandem consentit, diemque se sistendi in foro Valledoletano vigesimum nonum Decembris statuit. Præpara-

paratur in foro prædicto locus quinquaginta in longitudine, ac triginta ſex in latitudine paſſuum, perticis acuminatis duplici ordine in terram defixis, ac trabalibus tranſverſis munitionibus inter ſe conjunctis. Primæ interioris ordinis perticæ quinque pedibus terrâ extabant, exterioris ordinis ſex, eratque inter hos ordines intervallum octodecim pedum, in cujus medio (longitudinem areæ æſtimando) invicem ex oppoſito duæ erant è ligno erectæ ſcenæ. Si latitudinem areæ ſpectes, una ab ejus dextra, altera à ſiniſtra parte poſita conſpiciebatur. In medio utriuſque ſcenæ ſublimis ſtabat ſedes, aureo inſtrata panno, ac umbellâ aureâ protecta; ſcenæ ſericis tapetibus ſuperbè erant tectæ. Una enim Cæſari, altera Coneſtabili erat parata. Ab altera areæ parte minores ſcenæ modeſtiùs inſtructæ, paratæque propinquis ac affinibus eorum, qui erant congreſſuri, ſtabant. Ad latera minorum ſcenarum duo erant erecta tentoria, in quibus pugiles ſe erant armaturi. Areæ ſilices arenâ ac ſabulo contra lapſum erant tecti. Hora diei undecima erat pro certamine conſtituta.

Primus omnium Cæſar adveniens ſuam aſcendit ſcenam, dataque eſt ei virgula deaurata, quâ in terram projectâ pugna dirimeretur. Præcedebant advenientem Cæſarem Viri Nobiles, tum Legati ejus Caſtrenſes. Latera cingebant corporis cuſtodes; ponè ſequebantur tubicines ac tympaniſtæ. Paulò pòſt venit & Coneſtabilis, vir ſexagenario major, ſed corpore animoque vegetus, oris vultuſque gravitate dignitatem, quam ſuſtinebat, referens. Indutus erat togâ talari aureâ, inſidebatque equo Hiſpanico, qui ſumptuoſiſſimè ex auro ſericoque erat inſtratus: ſimilique ratione exornati erant quadraginta Viri Nobiles, ejus equum pedibus præcedentes. Sequebantur Amanuenſes

ſes ſex in equis, veſtiti holoſerico lutei coloris, equis quoque panno ſerico inſtratis. Præferebatur ei ut Regis Legato, gladius vagina conditus ob Regis præſentiam. Sequebatur Enſiferum armiger, indutus veſte, gentilitia ejus arma repræſentante.

Cùm in aream Coneſtabilis veniſſet, ad Cæſaris ſcenam accedens, eum inclinato corpore ſalutat, tum ſcenam ſuam conſcendit, ac in ſede conſidet. Pedeſtres equeſtreſque Cæſarei corporis cuſtodes aream circumdantes, intra perticarum ordines ſtabant, neminique præterea hic aditus patebat.

Tum prodit Torellius pugnæ provocator, comitatus Legato Caſtrenſi, aliiſque Viris Illuſtribus. Indutus erat veſte breviori, textâ ex auro & ſerico, Martiumque pellibus ſuffulta. Præferebatur illi bipennis ex eo genere, quas Franci Hachas vocant, gladius Hiſpanicus lateralis, quo punctim utuntur, tabula referens gentilitia ſigna, ac veſtis militaris. Cum hac tabula ac aliquot aliis, quæ pugnæ leges continebant, ad Cæſarẽ veniens, ſummo exhibito honore eum veneratur; idemque ad Coneſtabilem converſus faciens, tentorium ſuum ingreditur.

Tum prodit in aream Anca, ad certamen à Torellio provocatus, qui ſimili modo veſtitus erat, comitatus, ut Provocator multis Viris Illuſtribus, Marchionibus, Ducibus, Comitibus &c. præfereba turque illi a omnia, quæ Torellio. Exhibita Cæſari & Coneſtabili reverentia tentorium ſuum ingreditur. Appenſæ ſuere utriuſque tabulæ, cum gentilitiis inſignibus, ac veſte militari ante Coneſtabilis ſcenam. Dehinc Coneſtabilis utrumque ad ſe vocat, ac manum præſentes tenentes Sacerdotis, jubet impoſitis libro Evangeliorum & crucifixo digitis, jurare, quòd in pugnam deſcendant opinione defendendæ juſtæ cauſæ, neque

nllo doli mali, præstigiarum ac veneficii genere, sec corporis tantùm ingeniique viribus uti velint: Dei, Divi Georgii, Divæ Virginis Mariæ, ac instructorum suorum auxilio nixi.

Mox instructores utriusque pugilis arma in lignea arca ad Conestabilem deferunt. Inspicit ille tam ea, quibus erant dimicaturi, quàm ea quæ corpora erant tectura. Deinde arma in statera collocantur, ad pondus eorum explorandum. Non enim minùs quàm 90. pondo simul pendere debebant, superare poterant. Reportatis ad tentoria armis, missi fuêre viri nobiles, ut arma induentibus essent præsentes, dolumque prohiberent. Tum facto tubis silentio Cæsaris Legatus Castrensis in singulis areæ angulis altâ voce edicit, ne quis pugnæ tempore sub pœna capitis tumultum excitet, aut pugnantes verbo, voce, sternutatione, sibilo, nutu, manu, aut alio corporis motu signoque juvet, aut terreat, animum addat, aut minuat, arma sumere, aut ponere faciat, præter eos qui ad hoc sunt destinati.

Exinde Provocator Torellius ferro ex omni parte tectus, suòq; comitatus instructore in aream prodit, manu bipennem antiquam tenens, & appensum lateri sinistro gerens gladium. Rogat Conestabilis, quis esset, & qua de causa armatus intrasset; prodit nomen Torellius, causamque adventûs. Conestabilis faciem ejus detegit, agnitumque admittit, reponit cassidem, ac ire jubet in alterum areæ angulum, ubi à tribus viris nobilibus medius recipitur. Tum Conestabilis ad oppositum vadit angulum, ac inter duodecim nobiles considet; recipitque hîc eadem ratione, iisdemque ceremoniis provocatum Ancam, ac in altero angulo inter tres nobiles stare jubet, scenamque suam iterum ascendit, & considet.

Cùm

Cùm paulò pòst tuba iterum ſonuiſſet, pugiles cum inſtructoribus in genua procidunt, precibuſque ad Deum fuſis, poſteaquam Inſtructores eos eſſent amplexi, & ad fortiter agendum animaſſent, vale dicto ad tentoria redeunt.

Audito tertio tubæ ſigno, progreditur Torellius provocator animosè, &, ut è greſſu apparebat, magno animi ardore. Contra prodit temperato gradu provocatus Anca. Cùm invicem appropinquaſſent, tam valido ictu Torellius Ancæ caput ferit, ut eum paululum retrocedere cogeret. Sed ſtatim Anca recepto animo par refert. Cumque aliquamdiu ingentibus ictibus ſe invicem egregiè contudiſſent, bipennibuſque ruptis ad luctam ferè convolaſſent, Cæſar fortium juvenum corpora bello inutilia reddi ejuſmodi nugis, unique conceſſa victoria, alterum per omnem vitam inglorium cum ignominia vivere nolens, cùm utrumque ſatis pro honore feciſſe judicaret, conjecta in aream deaurata virgula quam dirimit; convolanteſque ſtatim triginta Nobiles, areæ cuſtodes, invitos, renitenteſque pugiles in eos, unde in pugnam deſcenderant, areæ angulos reducunt. Cumque de victoria ac honore inter eos orta eſſet controverſia, Cæſar eam ſua auctoritate diremit: utrumque honori ſatisfeciſſe, neutro victore pronunciato, affirmans.

Exinde Coneſtabilis in aream deſcendit, ac deauratam virgulam ſumma cum reverentia è terra elevatam Cæſari reſtituit: qui mandat, ut pugiles invicem conciliet, inque veterem amicitiam reducat, atque ſuo nomine ſignificet, ſe eâ de causâ pugnam diremiſſe, quòd uterque rem generoſiſſimè geſſiſſet. Habere ſe utrumque pro forti, honorato, ac nobili Viro. Proinde cupere ſe, ac jubere, ut abjecta omni inimicitiâ, animique rancore, poſthac amicè inter ſe vivant. Poſſe enim eos,

qui vires experiri volunt, pugnisque honorem quære-re, contra Turcas Christiani nominis hostes majori cum honore certaque animæ salute id præstare.

Conatus est Conestabilis omni ratione mandatum Cæsaris exequi; sed cùm eos nullam admittere rationem, nec Cæsari hac in re obedire velle videret, utrumque areâ expelli jubet: magnâ constitutâ pœnâ, si posthac armis congrederentur. Tentatum est postea sæpius à magnis Viris, ut in gratiam redirent, sed frustra. Ob quam pertinaciam iratus Cæsar, utrumque in vincula conjici jubet; manſereque vincti, donec datis invicem dexteris, inimicitiam se deponere testati essent. Sed eam reconciliationem ex animo non processisse, docuit simultas, quæ ad alterius usque mortem perduravit.

ARTICULUS XVIII.

Memorabilis Historia de prandio Angelicis manibus apparato.

Libet hîc divinæ liberalitatis factum memorabile exponere, quod multis probatisque testibus, & ab iis quibus accidit, juratâ fide, *ex Processu Canonizationis P. Bernardini Realini* habetur; atque à Patre Lancicio *opusc. spirit. 12. cap. 3. num. 35.* narratur.

Vineam Collegii Aletini Soc. Jesu P. Realinus vir sanctus, cum Fratribus Laicis quatuor, Antonio, Petro, Amato, Ascanio Clerico, Augustino Glorioso subierat. Cumque tempus appeteret prandii, & ad hoc necessaria deficerent, P. Realinus, singulari, quo erga D. Virginem flagrabat affectu, oravit ab illa sibi suisque refectionem suppeditari. Et verò exauditus est, prandio, tam magnificis exquisitisque ciborum lautitiis instructo, ut Regum epulas opulentissimè conditas exæquaret. Etenim quinque formosi (quos è cœlo Angelos crederes)

res) ad portam adstitêre juvenes, suis singuli ferculis gravati. Assatura inferebatur ex genere duplex, hædu-li selecti duo, & tres porcelli igne assi. Deinde columbæ aliquot delicato jusculo præparatæ. Dulciarii sub hæc panis tortæ geminæ, atque exdensato lacte, butyroque & saccharo confectæ placentæ; Regiæ etiam, ut vocant, pastæ frusta longè sapidissima. Quibus scitamenta alia, variiè saccharo globuli, qui coriandri perquam odoriferum semen claudebant, adjuncti erant. Præter hæc allatus est panis triticeus candidissimus: tum verò tria genera vini delicati, nunqum eâ in urbe cogniti; postremò olla grandis pultis seu menestræ, ut appellant, lacti similis, & saporis plane divini. Talem apparatum hi cælestes ephebi quinque, singulis convivarum singuli ministri instruxêre. Quæ mensa, inter quas delicias corporis animique refecti, transacta fuerit, facilius erit cogitatu assequi, quàm verbis exprimere. Sive enim ministrantium vultus hospitum, sive ciborum apparatum, sive invitantium verba, sive manus porrigentium, sive illius, à quo hæc cælitùs missa erant, Domini Matrisque liberalitatem spectes; nihil erat, quod mens posset humana satis capere, nihil quod suâ dignitate æstimare, aut Tulliana etiam eloquentiâ satis exponere.

Neque hic stetit inexhausta Superûm liberalitas: luxerunt horæ aliquot, & dies ad vesperum evolutus tempus cœnæ advexit. Jam fortè parabant abitum, ut reversi domum cœnarent, quando cœlestium Geniorum non nemo adstitit, ac persistere jussit, nec incœnatos Vineâ abire. Paruerunt, jam matutinis epulis inescati hospites. Igitur appetente mox horâ, quinque alio in habitu cultuque Angelici Juvenes apparuêre, qui præter panes cœlesti manu coctos, tria diversi à superioribus vini genera apposuêre, pretio ac raritate

certantia. In ferculis lactuca fuit, cum malis citreis, atque uvæ botris, quæ ſaccharo in globulos formato erat reſperſa, limoniisque ac roſarum boraginumque foliis. Agnoſceres pluſquam humanis manibus inſtructum delicium. Tres deinde, nec modicæ aves, Phaſianorùm præſeferentes ſpeciem, tamquam ab igne aſſæ proponebantur. Acceſſit tenerrimi ſaporis aſſa quoque ad ignem vitulina.

Atque hoc exemplo inſtructi mortales diſcimus, qualem cœleſtes Architriclini Suis menſam, quamque baſilicas epulas apparare norint, ſi illorum magis favore, quàm noſtra ſubnixi induſtria, cum Apoſtolo *& abundare noverimus & penuriam pati.*

ARTICULUS XIX.

Utrum antiquitas familiæ in plurium concurſu præcedentiam tribuat?

Reſponſio eſt affirmativa, ſi cætera ſint paria: per *L.*6.§ 9.*Verſ.ſed & Anatolium,C.de Vet. Jur. enucl. L.*3. *C.de commerc.* 2. *Feud.*17. §.*ſi ruſticus.V.ſimiles de pace tenend.* Solet enim Nobilitas à Nobilitato incipere & generari, in filiis pubeſcere, in nepotibus adoleſcere, in pronepotibus perfectam ætatem conſequi. Unde etiam dici ſolet quod inſtar fluminis nobilitas quò longius procedit, eò magis augeatur. *Nolden.de ſtatu Nobil.c.*10.§.1. (ita tamen ut conſuetudo non excludatur, *Geil.obſerv.*1.*obſerv.*21.*fin.*) & ideo Arcades gloriabantur ſe eſſe ſole & luna vetuſtiores. Hac ratione Rex Galliæ adversùs reliquos Reges prætendit præcedentiam, eò quòd jam inde ab Anno Domini 409. jacta fuerint Regni Franco-Gallici fundamenta. Simili fundamento nituntur complures Scriptores, qui affirmant titulo antiquitatis Ducem Venetorum aliis Ducibus præferendum eſſe. Interim ridendi ſunt,

qui

qui nimio antiquitatis ſtudio abrepti, genealogias ſuas ex ipſa Arca Noëtica deduçere conantur; cùm tamen ipſis nulla ſolida fundamenta, ſed tantùm quædam inanes, & fabulis non abſimiles conjecturæ patrocinentur.

ARTICULUS XX.

Memorabiles Narrationes de notabili defectu hoſpitalitatis in quibuſdam regionibus.

Juſtus Lipſius aliique nonnulli Weſtphalicorum hoſpitiorum ſordes deſcribentes, non dubitarunt Weſtphaliam appellare provinciam, gregibus quàm Regibus paſcendis aptiorem, Scytharum eremiam, barbariam ſupra omnem barbariam barbaram. Ipſos autem Weſtphalos cognominarunt (non ſine aliquâ charitatis Chriſtianæ læſione) Suillios, Scrofas, Porcios, Pultiphagos, homines ſemi-homines, & eorum hoſpitia, haras.

In diverſoriis Italicis (inquit *David Frœlichius in ſua Hiſtoriographia Apodemica num.* 78.) peregrini Germani plerumque egeſtatem non ſine triſti ſenſu & mirantur & oderunt: quos ſubinde jejunis ſqualentibuſque epulis inter aviditatē & faſtidium diviſos, tum tricliniorum ſitus, tum culicum cimicumque omni genere infeſta cubilia, acer demum, diverſitor, & inclementis hoſpitii gravis merces multo cordolio & punctionibus divexare ſolent. Hæc ille.

Sed juvat audire quæ ille idem Author de tenuitate & incommoditate hoſpitiorum Hiſpanicorum commemorat. Qui de ſterilitate Hiſpaniæ dubius eſt (libet ipſiſſima Authoris verba recitare) is utinam voti obligaretur eò proficiſcendi, & hoſpitiorum deguſtandi delicias, ſi non aliud, ſaltem diſceret ibi ſplendidè eſurire,

disceret ventri importunè obstrepenti aurem obturare, famem speciosè dissimulare, & à prandio deambulans mantili fauces mundando, calamoque dentes carnis non visæ pridem reliquiis exonerando, saturitatem sobriè mentiri. Longè alia ibi hospitiorum est facies, quàm in nostra Germania, quæ tamen à multis hoc nomine inhumaniter vapulat. Quanquam optandum sit alicubi in Germania diversoria esse plura, & interdum magis munda, & ad mores peregrinantium magis accommodata; qua in re Galli omnibus aliis nationibus sine controversia præripiunt palmam. At in Hispania, ipsum regionis exsuccum & aridum solum cum incolarum inhospitalitate certat. In Gallia, velis nolis, pecuniam profundes, in Hispania si velis maximè, non poteris. Magnæ passim solitudines, magna passim armentorum, pabulorum, herbarum, lignorum & aliarum rerum necessariarum inopia: ut viatores sæpe pro tecto cœlum, pro cibo famem, pro potu sitim inveniant; aut si bona fortuna offendant diversorium, sæpenumero in illo nec comedendi, nec dormiendi habeant copiam, & ita plerumque reperiant prandium, cœnamve dubiam, dubii incertique an jejunare cogantur; & tamen umbra cœnæ lective tanti constat, quanti in Germania magnificum epulum: ita ut terra, vel flumina in Hispaniis ideo aurifera nominari possint, non quia ferant, sed quia auferant aurum. Quælibet autem Hispanica Civitas unum saltem habet diversorium: in quod dum divertis, invenis arietis cornu parieti annexum, ad quod jumentum tuum, si quod habes, alliges: deinde tibi dicitur, si aliud quid petas: *Vade ad forum.* Quòd si roges, ut famulus aut famula tibi commodetur, te operam remuneraturum: mox audies: *Vade tu ipse, opus habeo famulitio meo.* Neque est quòd avenam, paleas, aut fœnum petas: istis caret

Hispa-

Hiſpania. Hordeum emere poteris in pabulum equi tui. Terram pro ſtrato boni conſules: pro lecto vel culcitra mattam à vicino forſan emendicabis pretio: tibi coquus, tibi famulus eris, vix oleum & acetum, prætereaque nihil habebis in hoſpitio. Et audite ampliùs, audite inauditam alibi inhoſpitalitatem & egeſtatem.

Cùm Fridericus II. Elector Palatinus cum aulico viginti tantùm hominum comitatu ad Imperatorem Carolum V. proficiſceretur in Hiſpaniam, etiam Cerveram (oppidum eſt) venit; ubi feſto Corporis Chriſti quieſcere conſtituerat, ut equi æſtu nimio defatigati reficerentur: ſed loci Magiſtratus illico Principem acceſſit, rogavitque ut maturè diſcederet cum ſuis, ne panis, vini & reliquarum rerum annonam longiori morâ redderet cariorem. Promoto itaque itinere venit Elector Gomorram, urbem non inelegantem; cumque edendi appetitum, diurni caloris vehementiâ corruptum, patrio aliquo & familiari cibo reparare cuperet, interrogat in hoſpitio, num venale reperiatur butyrum: & annuente caupone, converſus Princeps ad diſpenſatorem, ait; vade & eme butyrum, quantum uni mulæ onerandæ ſufficit, & ut quotidie ova frixa habeam, cura. Diſcedens Oeconomus & butyrum inquirens in foro, ducitur à nonnemine ad domum Pharmacopolæ ſeu Aromatarii, ubi poſcit ducentas vel trecentas butyri libras; cui Pharmacopola admirabundus: *Atqui*, inquit, *tota Caſtilia non ſuppeditaret tantum butyri: in Eſtremaduram tibi foret eundum, ubi ſunt boum armenta: in his terris nihil herbarum creſcit: & nos alibi butyrum emimus, pro emplaſtris ad ulcera conficiendis: aliàs nobis nullus eſt butyri locus:* & ſimul attulit capellæ veſicam, axungiâ potiùs quàm butyro plenam & ibi contineri omne ſuum butyrum aſſeruit. Quod cùm Oeconomus retuliſſet Principi, fuit id dein-

ceps solutioris cachinni argumentum. Eadem verò hospitiorum difficultas toto itinere Principem comitabatur: qui cùm Mareschallum suum præmisisset Granatam, illic de hospitio prospecturum: reversus ille narravit, non aliter hospitium obtineri posse (in quo tamen nec lectus nec stramen reperiendum esset) nisi ipse Imperator suam apud civem aliquem authoritatem interponeret. Et quia Imperator Electori extra urbem Granatensem honoris causâ obviam ire constituerat, ideo Elector in pagum Allabalath dimidio milliari ab urbe distantem, & ibidem in domum per metatores Cæsareos ejus mansioni destinatam concessit. Sed ecce tibi sub tempus cœnæ Dominus domûs illius ex urbe Granatensi cum tribus famulis armatus & hastatus, Principem cum suis Germanis inde exturbaturus, advenit, vociferans, *ædes ad se non ad Imperatorem pertinere*; neque ab homine importuno quidquam impetrari potuit, donec ipse Princeps Elector prodiit, cujus augustam faciem ille intuitus, tandem conticuit & acquievit. *Hactenus Frœlichius ex Thoma Lansio in orat. contr. Hispan.*

ARTICULUS XXI.

An, & quæ privilegia Augusti competant Augustæ?

Tametsi vinculum Matrimonii inter copulatos cuncta communia facere videatur, Majestatis tamen ea est natura, ut cum nullo communicari possit. Unde communicatio Majestatis plerumque in pactis nuptialibus excipi solet. Sic actum inter Mariam Angliæ, & Philippum II. Hispaniarum Regem: inter Sigismundum Imperatorem, & Mariam Hungariæ Reginam; ita ut non Reges illi, sed mariti Reginæ appellarentur. Ea scilicet imperandi est conditio, ut non aliter constet,

quàm

quàm si uni reddatur. *Tacitus lib.1. Annalium.* Unde existimant Juris publici Professores, non Augustæ, sed soli Augusto jus nobilitandi competere. Licet enim Augustus eadem Augustæ privilegia tribuat quæ ipse habet, *l. Princeps. ff. de ll.* & aliàs uxor mariti sui radiis coruscet, & ipsius immunitatibus ac prærogativis gaudeat. *l. 8. de senator. l. 14. C. de dignit. N. 150. c. 2. l. fin. C. de nupt.* Licet item sicut Imperator Augustus, ita & Conjux ejus Venerabilis Augusta vocetur. *§. fin. I. de usucap.* Et Justinianus Imperator suam Conjugem Theodoram Reverendissimam appellet *in Nov. 8. c. 1.* Non est tamen per omnia idem jus Augusti & Augustæ, per *d. l. Princeps.* cùm Augusta iis tantùm gaudeat Imperialis Celsitudinis privilegiis, quæ nullum aut modicum parant præjudicium, & mulieri conveniunt. Hinc Augustæ non possunt legem condere, imò ne quidem legibus solutæ sunt. Et plerique sentiunt, in Augustam Crimen Læsæ Majestatis minimè committi. Videatur Arumæus *de Jure Publ. tit. 4.*

ARTICULUS XXII.

Memorabilis Historia de insidiis Doctori cuidam ex invidia structis, & feliciter demum detectis.

Bassiano Lando Placentino Medico excellentissimo, Theoricam Medicinam in Academia Pataviensi profitenti, cùm multi inviderent, inventi sunt etiam inter eos quidam nefarii homines, qui vitæ illius insidiarentur. Urnulam pulvere incendiario illi Anno 1561. replevêre, eamque sub Cathedra, è qua Bassianus singulis diebus declamare solebat, clam reposuêre, fune longo, qui extra Auditorium per occultas quasdam rimas protendebatur, urnulæ adaptato, eo consilio, ut fune extra auditorium accenso, ignis sensim prorepens,

repens, pulverem in urna contentum accenderet, & Baſſianum cum ſummo Auditorum ſuorum, atque Collegæ ſui Junii Pauli Craſſi, qui eadem hora in ſuperioris contignationis aula profitebatur, periculo, è medio tolleret. Et ſanè voto ſuo potiti fuiſſent, niſi Baſſianus, non emunctæ tantùm naris, ſed exquiſiti etiam odoratus homo, cùm Cathedram conſcenderet, fumoſum quendam halitum perſenſiſſet. Eum primò ex vicinis ædibus emergere ſuſpicatus, cùm nihil remitteret, famulo imperat, ut quid hoc rei eſſet, inveſtigaret. Reperitur igitur funis accenſus, cujus ductum ſecuti indagatores, urnulam ſub Cathedra poſitam vident, quæ niſi detecta fuiſſet, poſt ſextantem horæ accenſo, vitam Baſſiani extinxiſſet. Ille atrocitate periculi permotus Venetias proficiſcitur, deque inſidiis ſibi ſtructis apud Senatum conqueritur; qui hominem bono animo eſſe jubet, & ut ad profeſſionem ſuam revertatur, obſecrat, ſimulque indici duo millia librarum, & unius exulis revocandi poteſtatem decernit. Nec tamen, quamvis ampliſſimis propoſitis præmiis, Author indagari potuit. *Ex Academia Peregrinantium Frœlichii.*

ARTICULUS XXIII.

Memorabile ſomnium Gunthrami Regis Francorum.

Gunthramus Rex Francorum, cùm aliquando venationi intentus per nemus vagaretur, à ſuis avulſus uno tantùm Comite, cujus fidem præ reliquis perſpectam habebat, ad aquæ gelidæ rivulum delatus eſt. Ubi cùm ſopor gravis eum opprimeret, reclinato in ſervi ſinum capite, obdormivit. Quo tempore famulus rem admirandum obſervavit. Ex dormientis ſiquidem ore beſtiolam vidit prorepere, & rectà ad rivulum tendere; quem cùm tranſire non poſſet, famulus evagina-

tum

tum gladium rivo imposuit, per quem cùm bestiola rivum facilè transiisset, in foramen proximi montis irrepsit, & post horam inde regrediens, eâdem viâ in os Regis reversa est. Experrectus deinde Rex famulo narravit quòd sibi per somnium visus esset ad ripam fluminis deferri, perque ferreum pontem transire, atq; inde ad montem pervenire, in quo grande auri pondus lateret. Quòd cùm servo suo exposuisset Rex, & vicissim ab illo intellexisset, quid dormienti Regi acciderit, ambo ad montem illum accesserunt, ibique defossam ingentem auri vim invenerunt. Ita testatur Sigebertus in Chronico Anno 585.

ARTICULUS XXIV.

De multiplici Conjugio duorum conjugum.

D. Hieronymus Epist. 11. scribit se vidisse duos conjuges; virum quidem, qui viginti sepelivisset uxores: feminam verò, quæ viginti duobus viris superstes fuisset; & hos matrimonium denique secum inivisse; expectantibus verò hominibus avidissimè, quis horum priùs moreretur, mortuã esse primò feminam, & maritum à populo totius urbis coronatum esse, palmamque ferentem manu, ante feretrum & universum populum incessisse laureatum, dum uxorem terræ commendaret.

ARTICULUS XXV.

Sponsus à Sponsa deceptus.

Minimè fabulosum est, quod à viro fide dignissimo, qui diu Madriti in Hispania habitaverat, accepisse se testatur *Auctor Joco-seriorum Naturæ & Artis Centur.* 1. Erat Madriti quidam Doctor Juris famosissimus, ætatis florentis, & opulentus. Is uxorem quærebat nobilitate ac forma præcellentem, tametsi pauperem. Hanc quia Madriti non inveniebat, nec in Castella utraque, aliisque vicinis Regnis ac Provinciis; misit in Lu-

sitaniam,

ſitaniam, qui inde inventam qualem petebat, adduceret. Adducta fuit comptiſſima, & juvencula in ſpecie, exceptaque à Sponſo cum copioſa nobilitate, & virorum honeſtorum manipulo, obviam ſponſæ eunte; celebratum convivium; itum ad thalami locum. Hic ſponſa cum ornatu reliquo depoſuit & crines, & dentes, apparuitque calva & edentula. Quod adeo pupugit ſponſum, ut præ mærore paucos intra dies extinctus fuerit. Ite nunc, & fidite formæ fallaci.

ARTICULUS XXVI.

Qua induſtria poſſit deprehendi, an mulier aliqua ſit fucata.

Si quis cognoſcere cupiat, num facies mulieris ſit Mangonizata, ſeu fucata (inquit *Porta lib.* 11. *Magiæ natural. cap.* 30.) id aſſequetur, ſi crocum dentibus commanducet, & os propiùs ad faciem mulieris inter loquendum admoveat; tunc enim flatus ſeu halitus, qui ex ore prodit, deturpabit faciem, eamque ſubcroceam reddet; ſi autem mulier fucata non fuerit, nullam in facie mutationem ſubibit.

Idem Auctor loco citato ait, ſi ſulphur in conclavi, in quo mulier commoratur, combuſtum fuerit, fore ut ipſa reddatur fuſca & ſubnigra.

Licebit quoque ceruſſatam mulieris faciem dignoſcere, ſi cumini grana commanduces, & allii nucleolum demordeas, propiuſq; mulierem alloquaris; ſi enim nativus eſt color, permanebit: ſi ceruſſatus, ſtatim obſoleſcet.

ARTICULUS XXVII.

Quomodo effici poſſit, ut quis manus lavans ac tergens, tantò magis eas denigret, quantò magis terſerit.

Si ad convivii initium hoſpiti benè noto ac familiari, aut

aut parasito jocum facere, reliquis risum movere cupis, hoc utere ludicro. Chalcantum seu vitriolum dissolve in aqua, quâ manus lavandæ sunt ad mensæ initium: mantili verò, quo detergendæ sunt insperge gallas in pulverem comminutas, & furfure mistas. Cui jocum facturus es, præbe ad lavandas manus prædictam aquam, & ad tergendas mantile. Quæ quo magis abstersæ fuerint, eò apparebunt nigriores, non sine tergentis admiratione & indignatione, astantiumque risu. *Ita Auctor præced. art. citat.*

Hoc idem ludicrum præscribit Porta *lib.* 14. *Magiæ natural. cap.* 13. ad arcendos à Mensis Magnatum parasitos; jubet enim chalcantum & gallæ pilas conteri, arctiori cribro excerni, quò faciliùs tenuissimus pulvis excidat; inspergi eo pulvere mantile, ac deinde agitari, seu leniter ventilari, quò faciliùs quod hæsit, excidat; ac demum manibus teri, & fricari, usq; dum optimè putetur adhæsisse; deterso demum atque excusso, quod non insedit, cùm cœnipeta seu parasitus manus jam madefactas habet, mantile, quo se abstergat, ei projice. Quod ubi aquam senserit, manus nigerrimo inficiet colore, qui ægrè, multis etiam lotionibus, elui poterit.

ARTICULUS XXVIII.

Mira naturæ, defectum oculorum in cæcis aliunde compensantis, providentia.

Refert Kenelmus Digbæus *in Tract. de natura corporum cap.* 28. *num.* 7. se cæcum quendam filiorum suorum pædagogum domi aluisse, in quo mira solertis naturæ providentia, unius sensûs defectum alterius sagacitate compensantis, eluxerit. Erat ille oculis adeò captus, ut ne solis quidem claritate moveretur; humor quippe crystallinus in utroque oculo deperierat; perfectè nihilominus à reliquis sensibus erat instructus circa

ea, quæ cum oculorum officio connexionem habent. Chartis pictis & latrunculis tam peritè ludebat, ut à paucis vinceretur. Illud ludi genus, in quo rotundæ metalli laminę ſupra menſam propelluntur, aut in quo ferienda vel attingenda meta proponitur, perfectè callebat: tametſi eorum peritia in aliis hominibus vividam oculorum aciem, exactamque manus libratione͂ requirat. De Hoſpitis jam primùm adventantis ſtatura, totiuſque corporis habitu, poſt primùm cum eo colloquium, ſine errore judicabat. Cùm diſcipulos ſuos domeſticos audiret declamantes, ac dirigeret, geſtum eórum ſitumque corporum ex voce dignoſcebat: adeò ut ubi loqui cœpiſſent, protinus adverteret, ſtarentne, an ſederent, aut aliam corporis poſitionem haberent. Luminis inſuper præſentiam & abſentiam admirabili modo perſentiſcebat; toto enim corpore, præſertim in cerebro, mutationem quandam experiebatur ad luminis præſentiam. Inde ſolis ortum & occaſum internoſcebat, & nubilum à ſereno die diſcernebat.

Huic recenti exemplo alia vetera adjungo. Diodorus Stoicus cæcus, Philoſophiam, Muſicam & Geometriam didicit. Dydimus Alexandrinus cæcus, Dialecticam cum Geometria & didicit, & docuit, & Commentaria in Pſalmos ſcripta reliquit. Juvenis arcularius Ingolſtadienſis cæcus, duo minutiora molendina piperi molendo idonea, cum ſcalis, arca, rotis, radiis, dentibus, axibus, omnibus denique rebus neceſſariis exſculpſit. Joannes Ferdinandus cæcus, evaſit Poëta, Philoſophus & Muſicus inſignis. Nicaſius de Werda cæcus, Magiſterii Philoſophici Gradum, Theologiæ Licentiam, Juris utriuſque Doctoratum obtinuit, & Coloniæ publicè docuit. Alius quidam cæcus ſtatuas effinxit, tactos à ſe vultus ad vivum referentes.

AR-

ARTICULUS XXIX.

Lucrum prudentis responsi.

Ludovicus II. Galliæ Rex, aliquando dissimulata persona culinam intravit, in qua puerum assaturam veru ad ignem vertentem conspicatus, interrogavit, ecquidnam hoc suo labore lucraretur? Tantundem, inquit puer, inde lucri reporto, quantum ipse Rex. Cui Ludovicus: quid ergo Rex lucratur? Respondit puer: nil nisi victum & amictum; hunc Rex à Deo: ego vero à Rege, dum ei servio, accipio. Hac pueri prudenti responsione delectatus Rex, ad altiora eum evexit.

ARTICULUS XXX.

Pro Pomo accepta Corona.

Theophilus Imperator Constantinopolitanus ducturus uxorem, duodecim selectissimas virgines in Regiam ex diversis Imperii regionibus adduci curavit: quas inter & Theodora fuit, cæteris nec genere nec opibus, virtute tamen & venustate superior. In palatium adductæ, omnibus nuptialibus se vestibus splendidissimè exornarunt, sola Theodora quotidiano cultu contenta adfuit: derisa ab aliis, quod tantæ rei spem esset ausa concipere. Illa dissimulat omnia, cumq; aliæ oculos in Imperatoris Procerumque conspectu curiosè circumferrent, illa suos solo verecundè defixos tenebat. Singulis domum abeuntibus pomum donat Imperator, quod reliquæ in hospitia reversæ comederunt: sola Theodora pomum ab Imperatore acceptum, tanquam pignus amoris sollicitè custodivit. Revocatæ altero die, cùm à proco Imperatore juvene pomum reposceretur, omnes vacuas attulêre manus præter Theodoram, quæ sola eo die in nuptiali habitu, quem reliquæ deposuerant, con-

ſpicua, è ſinu virginali duo protulit poma; & *en,* inquit, *Domine, reddo quod mihi donaſti pomum, illique adjungo alterum, quod inſtabilis amicitiæ, & fidei conjugalis pignus offero.* Imperator Theodoram ſuaviſſimè complexus, illicò ei dedit annulum pronubum, coronamque capiti impoſuit, ſubſequente nuptiali apparatu. *Cruſius ad Heliodori Æthiopica cant. 7. verſ. 13.*

ARTICULUS XXXI.
Convivium Alphabeticum.

Geta Imperator per literarum notas eduliorum claſſes digerebat. Suſpenſam quippe non procul à triclinio Alphabeticam habebat tabulam, quam literis prægrandibus ordine diſpoſitis inſcripſerat, eo pacto, & convento cum ſervis, ut, cùm virgula quadam argentea literarum aliquam deſignâſſet, ſtatim cibi, quorum nomen ab ea litera initium duceret, inferrentur. Atque adeò ſi quintam decimam literam fortaſſis deſignaſſet, ecce tibi pruna, piſa, paſtinacas, palumbes, porcellos, pernas &c. Abecedarii ſervi inferebant: unâ ſæpe literâ magnam facientes periodum epularem; ut neſcio quis dixerit, ſine ea literatura nihil ſapere ſapientiam, & pro una Cæſaris litera dare ſe Varronis Grammaticam univerſam.

ARTICULUS XXXII.
De barba, non arte, ſed naturâ viridi.

Varios capillorum, barbarumque colores videmus quotidiè, præſertim in Regionibus Septentrionalibus, ubi major varietas ob climatis temperiem, quàm in calidis. Virides tamen capillos, non arte, ſed natura pictos, vix credo eſſe qui viderit. Ego verò novi Romæ (verba ſunt Auctoris Joco-ſeriorum Naturæ & Artis *Centur.* 1.) & quotidiè ferè allocu-

locutus sum Senem Germanum, cujus barba primo quidem anno, quo illuc appuli, virescere incipiebat, sequenti verò ac tertio adeò notabiliter in eundem degenerabat colorem, ut tandem planè ferè viridis evaderet.

ARTICULUS XXXIII.

Placere omnibus nemo potest.

Senex quidam, ejusque filius ætate minùs firmus asinum ad proximam urbem agebant. Quibus obvians nonnemo: Nonne fatui, inquiebat, estis, quòd hoc animal robustum sine onere sequamini, cùm tamen decrepita unius senectus, alteriusque tenella ætas, vectura indigeret. Ad hæc parens filium asino imposuit, & ipse pedes secutus est. Vix lapidis jactu progressis obviat alius, qui ad filium conversus: ô petulcum nebulonem! inquit, tu asino fortis insides, & parens vix spiritum trahens, per viarum lubrica incedit. Has audiens calumnias filius, parenti asinum cessit, qui illum conscendit, filio pedestri itinere subsequente. Mox alius occursans dicebat: prô barbarum & immisericordem in filium parentem! Tu ætate provectus, asino veheris, & filius tuus teneræ ætatis flosculus, vacillante pede insequitur? Quid hic faceret parens, ubi omni studio adhibito culpabiliter tamen ageret. Supererat itaq;, ut ambo simul asino insiderent; quo facto repentè novas incurrerunt increpationes. Vili certè pretio, inquiebant obviantes, hunc asinum pendas necesse est, quòd tanto oneri ferendo imparem graves: non est quòd mireris, si exanimis concidat. His auditis, Parens ad filium conversus: Si nec me solum, inquit, nec te solum, nec ambo nos ab asino portari convenit, quid superest, nisi ut nos asinum portemus? Ita-

que palo alligatum ſuſpenſumque aſinum ſuper humeros ſuos, ſervato æquilibrio, portarunt. Hac ſcena exhibita, omnes obvii in riſum effuſiſſimum proruperunt. Deluſis hoc modo nullum amplius ſuppetebat conſilium: quare indignati, quod nemini ſatisfacerent, aſinum è proximo monte præcipitem egerunt.

Quod Agaſonibus illis, id mihi quoque, cæteriſque librorum ſcriptoribus accidit. Satiſpati ab omnibus poſſumus: ſatisfacere omnibus non poſſumus. Veriſſimè enim dixit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. *Nullam ſcripturam ita fortunatam prodire, cui nullus omnino contradicat.* Suſpendo itaque calamum meum, atque interim Ariſtarchis illis velut ſcutum quoddam tutelare oppono dictum illud Sedulii in epiſtola ad Macedonium: *Proferant ſua, qui carpere nituntur aliena. Promptius eſt judicare, quàm facere.*

IN-



INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

AME-

AUCUPIUM.

AUGUSTUS ET AUGUSTA.

AVIS.

AURIS.

AURUM.

B.

BALSAMUM.

BARBA.

BARBO.

BARO.

BEHEMOTH.

BELLARIA.

BELLUM.

BESTIA.

BOMBARDA.

BOS.

BUCOLICA.

BUFO.

BUXUS.

C.

CÆCUS.

CÆLUM.

CO-

COMES IMPERII.

COMETA.

COMITATUS.

CONJUGES ET CONJUGIUM.

CONVIVIUM.

CORALLIUM.

CORONA.

CORPUS.

CROCUS.

CU-

DUELLUM.

E.

ECLIPSIS.

ELEPHAS.

EPISTOLA.

EQUUS.

ERYNGIUM.

ETHICA.

EVA.

H.

HALEX.

HANSA TEUTONICA.

HERBA.

HISPANI.

HISTORIA ET HISTORICUS.

HOMO.

MULIER.

MULLUS.

MUNDUS.

MUS.

MUSCA.

MUSICA.

N.

NAPELLUS.

NAPHTHA.

NAVIGATIO.

NIGREDO.

NITRUM.

NOBILIS ET NOBILITAS.

 diver-

SIGNATURA.

SILEX.

SIMIA.

SOL.

SOLANUM.

SOMNIUM.

SPONSUS ET SPONSA.

STERNUTATIO.

STRATAGEMA.

FINIS.

8°: X⁸ A-Rhin⁵ Ooo⁴

